Ministerium Solennis

EXPIATIONUM DIEI

juxta Ductum

Legum Mosaicarum, maxime Capitis XVI.

in Levitico,

Translatorie, Analytice, Exegetice & Mystice plenius tractatum.

Curâ

JOH. HENRICI HOTTINGERI,

dum viveret,

S.S. Theologiæ Doctoris & Professoris in Academia, ut & Pastoris in Ecclesia Heidelbergensi ad D. Petrum;

Nec non

Ejusdem Lucubrationes

De

Sacrificiis, Fertis, Libaminibus & Victimarum Integritate.

Editæ ab


Abele Adamo Hottingero

Verbi Divini Ministro in Ecclesia Crucenacensi & Classis INSPECTORE.


Rom. X. 4.

Finis Legis Christus; Ad justitiam omni credenti.

TIGURI, apud Heideggerum & Soc. An. MDCCLIV.



PRÆFATIO EDITORIS.



N Benevole Lector! Λειψανα quædam beati mei Parentis: Opus quidem posthumum edendo, sed non elaborando, sicuti Præfationes à Patre, τω νυν εν μακαριοις, ipsomet conscriptæ sat superque docent. Publicatio hinc, quæ modo prodit, jam dudum facta fuisset, ni supremo rerum humanarum Moderatori ita visum fuerit, Auctorem b. m. illo quasi temporis articulo in Sedes Æthereas transferre, cùm Luci publicæ hæc

Scripta exponere vellet. Poſtea autem mihi quoque varia ſe obtulerunt Impedimenta, quæ priùs removenda erant, antequam huic Editioni manum admovere poteram, quibus in præſentiarum ſublatis Religioni mihi duxiſſem, ulteriores nectere moras in publicanda hac opella, cui elaborandæ Parens optimus eò majorem navavit operam, quoniam ipſemet auguratus erat, poſtremum fore ſuum Laborem. Plures etiam Amici mihi Autores & Suaſores erant, ne in Scriniis linquerem, Pulveri & oblivioni traderem, quæ de Materiis tanti momenti Parentem τον μακαριτην conſcripſiſſe ipſis certum ſit. Facio ergo Juris publici eò confidentius, quod nullum mihi reſtet dubium, hæc non minus quàm alia Parentis optimi multo labore & ſudore exarata Scripta æquo cuivis Judici ſponte ſua ſeſe eſſe approbatura, ceu Signa indefeſſi ſui ſtudii ea diſcendi & docendi in Terris, quorum Scientia perſeverat in Cœlis. Addebat quidem, ut ita dicam, Acetaria Cibo Evangelii ſananti ac forti, ſed talia, quæ ad guſtum ſunt & apprimè conveniunt.


Nihil aliud mihi monendum eſt, quàm *Additamentum* quidem, *quo Myſterium Diei Expiationis ex nova Hypotheſi*, *Viri* ſcilicet (ne Ejus Pace, imo Nutu ſilentio prætercam) *Clariſſimi*, *Domini Johannis Wilhelmi Krafftii*, *Theologiæ Profeſſoris*

fessoris in Universitate Marpurgensi Celeberrimi, *tentatum ac publicatum Parens p. m. modestè examinavit*, ab illo ad formam publicam compositum mihique relictum fuisse, non item verò *Animadversiones Responsorias ad Difficultates à Viro memorato in Literis propositas*, quas procul dubio Parens optimus nervosius æque ac prolixius deduxisset, si diutius in vivis perstitisset. Ea de causa adeò breves comparent, quoniam in Schedula tantùm, ut vocant, conceptitia annotatæ erant, neque Verbulum quidem de meis addere consultius duco. Interim tamen nec penitus omittendas judicavi, cùm ex Literis citatis Viri suprà dicti, & mihi ut Patri defuncto æstumatissimi ac conjunctissimi, conjecerim non ingratum ipsi fore, si Dubia sua aliquatenus soluta reperiret, aut saltem ansam acciperet eadem de novo stringendi & illustrandi, aliisque his in rebus versatissimis Viris de utriusque Sententiæ Valore & Pondere Επικρισιν permittendi.

Tandem adhuc hoc indico, Parentem optimum (Præfatione teste) præmeditatum fuisse, *Lucubrationes de Sacrificiis*, *Fertis*, *Libaminibus & Victimarum Integritate* novæ *Goodwini* Editioni præmittere. Insecuto verò Ejusdem funesto Obitu hanc novam Editionem *Goodwini* intermittendam esse plures me persuädebant Rationes. Ne interim hæ Lucubra-

tiones in obſcuro lateant & pereant, quum tres priores nunquam Lucem viderint, quarta autem & ultima ultra viginti Annos per modum Diſſertationis prodierit & rarior fieri cœperit, hanc & illas priori Materiæ *de Miniſterio & Myſterio Diei Expiationis* commodè adjungi nullus dubitavi: Eſt enim Argumentum non abſimile, ſed affine.

Utinam ſolummodò Typum in Antitypo, & hunc non in Verbo, ſed in Veritate, non in Litera, ſed in Spiritu quærendi; introſpiciundi & experiundi Facultas & Voluntas nobis detur! Vale hisce & fave Benevole Lector!



PRÆFATIO AUCTORIS.

Deus Gratiæ & Commiserationum, qui delectatur Veritate in Præcordiis & notam facit Sapientiam occultatam in Umbris & Mysteriis, large donet Spiritum Veritatis, ut ducat nos in omnem Veritatem ac glorificet Jesum Christum Expiationem pro Peccatis totius Mundi!

§. I.

QUadruplex Tractatus hujus Dos est; *Translatoria, Analytica, Exegetica, subjunctis Porismatibus & Mystica.* De unaquaque ea monebo, quæ ad Rem faciunt.

§. II.

Translatoria, quâ, quantum licet, curatè Textum originalem in aliam convertimus linguam. Textui Sacro eam minimùm debemus Auctoritatem, quam profanis, Homero,

Demo

Demoſtheni, aliis Scriptoribus Græcis Latinisque. Præferimus autem Libros Græcè, Latinè ſcriptos eorum Verſionibus. Et rectè. Scriptor Libri Mentem ſuam optimè Verbis propriis exprimit. Non item alius, Doctus licet. Omnium maximè valet circa Libros Motu & Lumine Spiritus S. conſcriptos. In Jure Canonico P. I. Diſt. IX. c. VI. rectè hinc legimus: *Ut Veterum Librorum Fides de Hebræis Voluminibus examinanda eſt, ita novorum Græci Sermonis Normam deſiderat.* At Jus Canonicum, Hieronymum, Auguſtinum minimè ſequitur *Jacobus Gretſerus in ſua defenſione* C. XI. *Si Fontes in Dogmate aliquo Fidei vel Morum à Vulgata Editione diſſentiunt, Fontes tanquam turbidè fluentes depurandi & purgandi ſunt ad Latinam Vulgatam Editionem*, notante *RAMBACHIO in Inſtitutionibus Hermeneuticis Sacris* p. 660. Valde præclarè!

§. III.

Uti omnes Partes Codicis Sacri hanc habent Auctoritatem, ita ſpeciatim Typica, Pictura Antitypi. Si enim fallit Verſio, falſum ſimul eſt Myſterium. Vel pinge Regem naſutum, qualis non eſt, talis Pictura eſt falſa. Quare non mirum, ſi Myſterium perhibetur varium, imò oppoſitum, ſiquidem Translatio eſt varia, imò oppoſita. Exempla dedi in Translatione à me emendata, Verſionum dominantium,

Vul-

Vulgatæ & Lutheri; Ejus in Eccleſia Romana, Hujus in Proteſtante. Non ex iis ſum, qui Verſionibus recentioribus & antiquis, ſuum, quem habent, Honorem ac Uſum detrahunt, Affectibus rapti Laudo omnem verſionem in quantum cum Textu convenit, nulla habita ratione Translatoris huic vel illi Religioni addicti. Veritas extra Partes eſt. Vulgata ſuos habet inſignes Uſus. Verſio Lutheri quoque commendata eſt ſuis dotibus, Perſpicuitate ſpeciatim. Propter Nævos, qui iis inſunt, minimè contemnendæ, multo minus rejiciendæ, quin potius ab iis liberandæ. Fontium Originalium Studioſi, ut ſpero, agnoſcent me communiores has Verſiones juxta Textus originales verè emendaſſe, ſicut ex Verſionibus è Regione poſitis facilius dignoſcent. Emendationes quidem non ſunt omnes ejusdem Momenti. Minoris, quæ nexum, ordinem, lucem tantum adferunt. Aliæ maximi Momenti, quæ ſenſum literalem falsò converſum & hinc verum Myſterium detortum à Corruptione liberant; Ex quibus cito Lev. XVI. ℣. 14. 15. Ubi Vulgatus: *Aſperget Digito ſuo ſepties contra Propitiatorium ad Orientem - - Sanguinem ejus intra Velum, ſicut præceptum eſt de ſanguine Vituli, ut aſpergat e Regione Oraculi* adeoque rurſus *ſepties.* Vulgatum aberrantem, ut ſæpius, ſecutus eſt Lutherus: **Der Prieſter ſoll mit ſeinem Finger gegen dem Gnadenſtuhl ſprengen vor-**

nen an: Siebenmahl soll er also vor dem Gnadenstuhl mit seinem Finger vom Blut sprengen - - - und soll mit seinem Blut thun wie er mit des Farren Blut gethan hat, und damit auch sprengen vornen gegen dem Gnadenstuhl. In Exegesi vero §. 243. clare probavi Numerum septenarium non sufficere. Quando verò in Numero sparsionum Mysterium est, necesse sequitur Mysterium non posse monstrari in Numero septenario, quippe hic Numerus in Textu originali haud fundatus est.

§. IV.

Dos Analytica, quæ simul *Synoptica*, illa est, quæ plures varias Pericopas sacras in Partes dividit, contrahit, connectit, ordine disponit, ut Lector eas in Compendio Menti facilius sistat, Memoriæ fortius imprimat, hinc de iis rectius judicare valeat. Hanc Dotem præ aliis poscunt Themata Philologica, Ritualia, Critica, variis Quæstionibus constantia, naturali Lumine non cohærentia, ex Monumentis depromenda. Hujus Generis præsens labor est, continens Paragraphos 659. varii Generis. Ope Analyseos hujus Synopticæ avidus Lector Studii Typici brevi Conspectu & facile perspicit omnes Leges de Ministerio Expiationis, earum Partes, Officia Aharonis, Populi, Promissiones, Interminationes, sensum mysticum, generatim & speciatim in Convenien-

nientia & differitate propositum, sensum certum, dubium, falsum cum Fundamentis suis ac tot Gentis Judaicæ hac de Materia Traditiones, subjuncta Epicrisi. Usum quoque quemdam præstat non solum Indicis ad Alphabethum compositi, ad nexum rerum non attendentis, sed quod plus est, realis, Res sacras Ordine, quem Spiritus S. servaverat, tradentis.

§. V.

Dos Exegetica, quæ non solùm Ornamentum sed etiam Firmamentum Religionis divinæ est. Systemata Theologica minime eam habent Auctoritatem, quam accuratæ Exegeses. Suspecta communiter sunt & stant pro particularibus Religionibus, veluti Romana, Lutherana, Reformata. Scriptura torquetur ad placita variarum Religionum. Verum quidem est quod etiam Exegeses in varia abeant & detorsioni expositæ sint. Attamen non adeo, ut Systemata. Systematicus filum positionum, quas sua profiterur & amat Ecclesia, sequitur, explicat, probat, tuetur. Sed Exegeta, saltem à partibus liberior & avidus Veritatum divinarum, præ oculis nonnisi habet Textum originalem divinum, quem pressè sequitur & sensum eruit, Notiones, vim Vocum hebraicarum, græcarum, Particularum, Phrasium, Emphasium ex certis Principiis deducendo, probando, ad nexum, sco-

 pum

pum, Loca parallela attendendo, conferendo, ut Mens Spiritus S. loquentis quantum licet, certò pateat.

§. VI.

Nisi fallor, Leges & Media accuratæ Exegeseos solicitè observavi, solius Veritatis scrutandæ cupidus. Cum genuino LEVI ad Patrem, Matrem, Fratres dixi; *Non novi vos.* Judæos, Christianos, qui alia sacra sequuntur, fortibus Argumentis instructos prætuli Christianis vel Reformatis Interpretibus talibus Argumentis carentibus. Veritas Exegetica nullam habet Personarum Acceptionem, sed Spiritûs S. tantum in Sacris docentis, præcipientis, prophetantis. Quod alicujus Momenti videbatur, inconcussum non reliqui; consului quoque exercitatos Linguarum sacrarum indagatores & quæ adferunt pondera Notionum perpendi, & quod speciatim noto, Quæstiones graves & sine quibus Sensus Mysticus perhiberi nequit, cum cura proposui, memoravi dissentientes cum Rationibus pro & contra, ac tandem κρίσιν meam tuli, ut Lectores facilius ἐπίκρισιν subjiciant. Ex quibus memini sequentium. Quæstio momentosa est: *An Aharon solenniter expiaturus, speciatim in Sanctissimo gestaverit octo vestes aureas? An verò quatuor lineas, vilioris pretii.* Momentosam voco Quæstionem. Nam ab ea dependet Mysterium

rium. V. §. 58 - 66. & maxime infra §. 588 - 591. Momentosa est altera Lev. XVI. 10. לכפר עליו, quid sibi velit hæc Phrasis? Ostendi, Hircum ad Azazel intelligi, scil. hic cum socio antea factus est *sacrificium pro Peccato*, unde ei fuisset moriundum. At quia socius mactatus *ad expiandum hunc*, hinc hic expiatus vivus manserat. Unde fortissimum oritur Argumentum pro Mysterio; Hircum *ad Azazel* non posse sistere Christum patientem pro nobis, sed justificatum ad vitam æternam §. 127. & in Antitypo §. 603. 647. Ejusdem generis est tertia Lev. XVI. 10. *dimittere Hircum ad Azazel.* An Phrasis hæc inferat Mortem & Præcipitationem Hirci de rupe, quod falsissimum posteriorum Judæorum figmentum est? Contrarium clarissime probavi, ut ita denuo evincam Hircum hunc minimè notare Passiones & Mortem Christi, sed Justificationem, plenam libertatem ejus, cum plenaria Remissione & Oblivione omnium Peccatorum. Vid. §. 128 - 131. nec non 342 - 344. & 358. 359. Quarta non levis Quæstio de die Expiationis. C. *Gottl. Kœnig* determinat Diem Tisri nonum. Mustea est opinio, destituta Rationibus & ut videtur inventa solius Hypotheseos gratia §. 419. Sola decima est definita ad Expiationem solennem. Non ita pridem quidem legi *Venerandum Marperger*, de Theologia Typica, speciatim Sacrificio piaculari solennis Expiationis op-

 timè

timè meritum, a communi eaque fundata recedere sententia, quando in seinem Tractat das grosse Sühn- und Sünd-Opfer p. 86-90. cum specie quadam putat Diem Expiationis constitisse parte diei nonæ, die decima & etiam parte diei undecimæ. Fundamentum ponit Lev. XXIII. 32. *Affligetis Animas vestras in* (die) *nona hujus mensis, in vespera. A vespera ad vesperam quiescetis* (die) *quietis vestræ.* Provocat quoque ad Magistros, qui solent dimidiam Horam Diei nonæ & præterea dimidiam horam Diei undecimæ addere Diei decimæ, atque ita videntur statuere, Diem Expiationis non solum comprehendere unam Diem sed tres, saltem duas partes Diei nonæ & undecimæ. Pergit & putat ob בערב *in Vespera* Diem Expiationis incipere die nona post Meridiem Hora tertia, sed עד הערב *usque ad Vesperam* extendi usque ad tertiam lucem, imo bis gegen den dritten Morgen, puta Diei undecimæ. Hinc colligit Mysterium Mortis & Sepulturæ Jesu Christi per tres Dies durantis indicari. Amo, æstimo Mysteria, quæ probè fundata sunt in sensu literali Legis divinæ. At Fundamentum nullum hic video. Contrarium constat, quod ipsa Lex constanter determinet *Diem decimam* Lev. XVI. 29. XXIII. 27. XXV. 9. Num. XXIX. 7. Ex opinione verô Viri Venerandi Lex determinare debuisset etiam Diem nonam & Diem undecimam vel saltem partes. Dein

memo-

memorat ſemper in ſingulari יום *Diem*, non יומים *Dies* in plurali Lev. XVI. 3. Nam *in hac Die* expiabit Lev. XXIII. 28. in *illa ipſa Die*. Porro legitur יום הכפרים *Dies* inſignium *Expiationum* Lev. XXIII. 9. Denique obſtat Phraſis אחת בשנה quæ occurrit Lev. XVI. v. ult. conf. Exod. XXX. 11. אחת *una* (Die) *in Anno expiabit* (inquam) *ſuper illo de Sanguine Sacrificii pro Peccato Expiationem* אחת *una* (Die) *in Anno.* Si vero Expiatio facta eſt tribus Diebus aut ſaltem die integra & duabus mediis, quomodo dici poteſt *una* in Anno? Ultimo, ſi Expiatio tanto tempore duravit, quæro quid ergo Die nona ad Expiationem factum? Et quid Die undecima? An etiam ſacra ſolenniter expiatoria his diebus oblata erant? Qua lege? Nulla proſtat. Sacra ſolennia expiatoria non alia ſunt, quam Lev. XVI. & Num. XXIX. Vel an hæc non ſuffecerant? An die nona & undecima quoque Sanguis in Sanctiſſimum illatus erat? Quis aſſeret? Locus, qui citatur Lev. XXIII. 32. nihil probat. Tempus Miniſterii Expiationis dicitur ערב *Veſpera*, nunquam *inter duas veſperas*. Jam vero ערב notat illam Diei partem, quæ opponitur tempori diurno, adeoque tempus nocturnum Gen. I. 5. Tanto magis, quia addit *à Veſpera ad Veſperam*. Ergo Tempus à quo, eſt *Veſpera*; Terminus ad quem, eſt quoque *Veſpera*. Unica Dies intelligitur. Alias præcipiendum fuiſſet, à Die nona

vel

vel Parte Diei nonæ à Veſpera ad Veſperam Diei decimæ & partem ejus undecimæ. Rabbini, ad quos provocat, nihil probant, ſaltem quod tribueret ad Myſterium, quod intendit Vir Venerandus. Conſtitutiones Magiſtrorum non ſunt Typicæ. Nec etiam Rabbini conſentiunt, nam dimidiam tantum horam Diei nonæ & undecimæ illi fingunt. Cujus Conſtitutionis non alia ratio, quam ut faciant *ſepem circa legem.* Addunt particulam de Diebus profanis, ne Dies ſancta violetur. Vide ſimile Goodvv. L. III. c. III. §. 12. & Not. 8. Locus vero 1. Sam. XX. 5. עד ערב השלישית *usque ad Veſperam tertiam* nihil prorſus probat, quin contrarium. Noſtra Lex habet à *Veſpera ad Veſperam.* Ergo de una Die intelligenda. At Locus hic expreſſe memorat *ad Veſperam tertiam.* Extendo recte tempus litera poſcente. Pictura ergo Legis reſpuit Myſterium in ſe quidem certum, ſed non ex hac Lege probandum.

§. VII.

Ad hanc partem quoque refero *TRADITIONES Gentis Judaicæ* plurimas & varias, ſpectantes ad hanc Expiationis Diem. Novi dari, qui Traditiones Judaicas nullo habent Loco, contemnunt, ceu ineptas, fabuloſas, aniles, Religioni Chriſtianæ inimicas ſimpliciter traducunt. Nec ego ex numero eorum ſum, qui omnes fundatas, aureas, gemmeas habent,

agnoſcunt, commendant. Sed unde ſcio rejiciendas eſſe, ſi non legi cum attentione & examinavi ? Sola exploratio rationale medium eſt vera & bona retinendi & falſa, mala rejiciendi. Quare non ſine ſtudio παραδόσεις has exploravi, ut de iis verum ferrem Judicium. Quasdam inveni certas, utiles, quæ ſenſum Scripturæ ſupplent, ut illa de ſanguine Juvenci Sacerdoti ad agitandum dato §. 234. Alias hiſtorice certas de acerris, focis, aromatibus & ſimilibus, quæ Conſtitutiones Poteſtate Eccleſiæ Judaicæ formatæ ſunt, ut §. 171. 172. 177. 191. 193. Quas Rabbini rationales commendare voluerunt, ipſi ſe ineptos in ratiocinando notarunt. Rurſus alias valde probabiles, veluti eam de precibus horâ ſuffitus fuſis. §. 218. Introitu Pontificis quatuor vicibus facto 258. Prælectione Legis per Pontificem §. 360. 361. Denuo alias reperi in Lege non quidem fundatas ſed tamen poſteriori tempore ex metu hoſtium ortas, uti quæ de Tuguriis exſtant §. 350. Tandem quoque hiſtorice vera de Pontifice & præparatione ejus haberi poſſunt, quia monſtrant miſerum Pontificum ſub templo ſecundo ſtatum. Recte enim Judæis gloriabundis credimus, recenſentibus infamia de Proceribus ſuis §. 454- 460. Tandem agnoſco Traditionem de Hirco præcipitato Legi Moſaicæ è Diametro adverſam. Nollem tamen negare præcipitationem hirci ex ſententia ſuperiorum poſte-

rioribus temporibus fuisse constitutam, vicinis Gentibus tantum non cogentibus §. 129 - 132. & 344. nec non 358. 399. Ultimo observo me propendisse ad Traditionem de Lingua coccinea in albam commutata cum aliis probandam, sed non licet Miracula fingere, ut veris fides negetur V. §. 150. & 354 - 359. Nisi fallor discursus plenior de traditionibus sparsim in Tractatu reperiundis exercitatioribus in Antiquitatibus Judæis haud ingratus nec absque usu erit.

§. VIII.

Ultimo refero ad hanc tertiam Dotem *Porismata* circiter ducenta. Natura Contextus Typici ita est comparata, ut legenti primo videatur macilentus, sterilis. Alii contextus, ut theoretici, practici, prophetici, promissorii, comminatorii, historici majorem testantur vim mentes excitandi, veritates docendi, Præcepta vitæ & cultus inculcandi, futura in Mundo & Ecclesia prædicendi, ingentia Beneficia promittendi, Calamitates interminandi, notatu dignissima facta recensendi. Unde leguntur cum majori Attentione, Excitatione, spe, Jucunditate, Metu. Talia externa specie & in superficiaria Lectione non insunt Typicis. Quare tantam vim communiter non exerunt, quantam Themata prioris Naturæ. Unde recte & utiliter subjiciuntur, sensu literali & typico invento, varii generis Porismata eruta. Similia

sunt

ſunt Montibus Metallicis, quorum ſuperficies durior, inamœna, ſterilis eſt, quos vero ſi ſcrutamur & ad viſcera eorum penetramus, tum dant Metalla pretioſa, ſplendida, varie grata; ſunt vere Πορίσματα *quæſtuoſa* (V. 1. Tim. VI. 6.). Solemus mirari brevius dictum, Legem umbratilem continere & ſcrutantibus in manus quaſi dare divitias Dogmatum, Myſteriorum, Morum, Gratiæ, Fatorum; Picturam glorioſi Salvatoris, Θεανθρώπε, Statuum, Functionis Pontificialis, Propheticæ, Regiæ, Officiorum, Beneficiorum. Si ulla umbra à tali *Quæſtu* commendata, hæc de Miniſterio Expiationis. Adumbrat, quæ glorioſa in Chriſto, quæque docent ingens Diſcrimen inter Pontificem Aharonem & Pontificem noſtrum Jeſum Chriſtum. Si talia noſſe cupis, lege ſequentes Paragraphos, 28. 44. 69. 75. 91. 99. 151. 165. 232. 247. 258. 268. 368. 378. 385. 390. 397. 406. 412. 434. 444. 465. 473. 484. 514. 538. 563. Poriſmata quidem hæc non ſunt ejusdem Naturæ. Eminent, quæ ſimul typica ſunt ac comprehendunt Fundamenta Myſterii ſolennis Expiationis. Quorum hinc egregius uſus in parte ultima Myſtica. Alia non tam Typorum habent naturam, quam ſimilitudinem, quæ tantùm illuſtrant. Haec Pars, quæ

§. IX.

Quarta hujus Tractatûs *Dos* eſt, ſequitur non nihil defendenda ac commendanda. Pars hæc habet plures variosque for-

tes Hoſtes, Gentem Judaicam & ex quadam Parte Chriſtianam. Judæi, maxime hodierni, nihil ſciunt, nec ſcire volunt de Myſterio ſolennis Expiationis, quod eſt Pontifex Meſſias ac pretioſus ejus ſanguis in Cœlum ad Expiationem & Sanctificationem noſtram inferendus, ſpargendusque. Illi indignantur ex Chriſtianis audientes, quod Meſſias promiſſus ſit Redemtor, graves Paſſiones, ipſam mortem laturus pro peccatis mundi. Non enim animum habent rite inſtructum de Peccatis eorumque venenata Natura, de intima Corruptione Peccantium, horum partibus & facultatibus, de vera Ratione conſummatæ Reſtitutionis, de decente Glorificatione Perfectionum Divinarum, quæ per Peccata violatæ & obſcuratae erant. Judæi præjudiciis corrupti opinantur Peccatores jam Deo acceptos reddi per cultum externum, Circumciſionem, jejunia, Eleemoſynas, Confeſſiones, Feſta, vivendi genus honeſtum, olim per ſacrificia piacularia & conſimilia. Scandaloſum iis videtur Meſſiam exſpectare vel colere afflictum, miſerum, patientem anima, corpore, bonis, fama, imo moriturum vel mortuum. Error hic longo tempore dominatur in Eccleſia Judaica corrupta. Ignorant Vaticinia Moſis & Prophetarum de ſtatu primo humili, poſtea demum glorioſo. Turba Judæorum ad cœleſtem doctorem dixerat; *Nos audivimus ex Lege, Chriſtum*

stum manere in seculum ; Et quomodo tu ais : Oportere exaltari filium hominis. Joh. XII. 34. Quasi diceret, Lex nonnisi loquitur de glorioso Christo non misero morituro. Mirum! qui hostes sapientissimis responsis confuderat, ad hanc difficultatem nihil respondebat. Quare? Judico, quod Turbam responsione indignam habuerit. Nam ubi Lex agit de Gloria Christi, plerumque etiam agit de Passionibus & Morte ejus. Vide tantum Ps. VIII. 6. XXII. CX. CXVIII 22. Es. LII. 13. 14. LIII. Quare Judicio Excoecationis Judæorum (de qua capite cit. plura) adscribo, quod hodie cœca gens de Antitypo Aaronis Messia nihil quicquam sciat. Gravissimum hoc Judicium! Ecclesia judaica, quæ olim in Lumine incesserat, veritatem hanc perspexit. Novimus hoc non solum ex scriptis Mosis & Prophetarum, sed &, quod probe notandum, ex ruderibus priscæ fidei in Messiam, quæ plures difficili labore scrutando invenerunt, maxime Christian Schötgen in seinem Buch: *Jesus* der wahre *Messias*, aus der alten und reinen jüdischen *Theologie* dargethan. Liber hic Lipsiæ prodiit Anno 1748. Lectu dignissimum Caput II. L. VII. von dem hohenpriesterlichen Amt des Messiæ, quo ex antiquis Hebræorum Monumentis probat Messiam à veteribus habitum fuisse Pontificem, simul victimam, liberatorem, ejus liberationem esse æternam, loco nostro, ex

gratia, sufficientem, universalem; Messiam quoque Pontificis instar intercedere & benedicere. Optandum, ut quæ brevibus & obscure aliquandò notata sunt, suo tempore plenius & clarius deducantur. Non solum Judæi infideles Mysterium Diei Expiationis negant, sed & plures alii judaizant, ut Deistæ, Naturalistæ, Dippeliani, Sociniani & alii hujus Furfuris homines. Quæ Mysteria, Prædictiones, ὑποδείγματα continent, quæ lumen naturæ non demonstrat, communiter talibus nauseosa esse solent. Non enim sunt philosophica, concatenata, demonstrativa, mathematica. Sunt tantum ritus, *dicunt*, sunt ab indoctis gentibus inventi, per κακοζηλίαν à Judæis assumti, probati, à Deo indulti, ut gens refractaria commodius duci queat. Ritus steriles, qui sub N. demum Testamento ad Judæos excitandum sub Allusionibus, Accommodationibus, ceu mystici propositi erant. Sapientia vera aut Mysterium iis non inest, quam quod à recentioribus fictum. Hostes, qui omnia ad oculum demonstrare audacter promittunt, post longius tempus hæc vera non demonstrabunt. *Venerandus Marpergerus* pluribus erudite, piè & fervide contrarium monstravit. v. Sühn- und Sünd-Opfer p. 45-62. Ego paucis cogitata mea sequentibus aperiam. Quotquot Literis N. Testamenti fidem habent, tenentur fateri Scriptores N. Testamenti Ceremonias Mosaicas de sacrificiis, specia-

ſpeciatim de Expiatione ſolenni, pro Pictura & reali Paſſionum & Mortis *Meſſiæ Prædictione* habuiſſe. Lege, quæ plenius ex Epiſtola ad Hebræos in hac *Parte Myſtica* exſtant. Sufficit Locus Math. XXVI. *Hoc eſt ſanguis meus, ſanguis N. Teſtamenti pro multis effuſus ad Remiſſionem Peccatorum.* An Propheta ſummus, Teſtis verax, morti proximus, teſtans, allegorice & per accommodationem tantum loquitur & alludit ad ſanguinem V. Teſtamenti? An vero ſanguinem V. Teſtamenti ſiſtit typum ſanguinis ſui? Dein V. Teſtamentum Meſſiam proponit Sacerdotem Pſ. CX. 4. Victimam piacularem Eſ. LIII. 10. Attribuit ei functiones Sacerdotales Pſ. LI. 4 9. Iſraëlitæ ſpirituales qui hæc legerant, perpenderant, annon cogitarant Aaronem, Sacrificia ejus carnalia, functiones carnales, in ſe haud placere Deo, Meſſiam & ejus Sacrificia, functiones depingi, promitti? Quæ enim ratio, quod promittatur Sacerdos ex tribu Juda, isque excellentior, æternus? Promiſſus hic Sacerdos eſt ex alia Sacerdotum Claſſe, adeoque non Aaronis inſtar boves, oves, Deo immolat, alius Naturæ ſacra Deo offert, ſpiritualia in ſpiritu ſcil. & Veritate. Colligimus etiam inde, quia Sacrificia ad literam legis oblata magno numero, perpræſtantia, pretioſa, varii generis, Deo Spiritui contemta, deteſtabilia erant Pſ. L. 9-14. LI. 15. LXIX. 32. Eſ. I. 11-15. Jer. VII. 22. Mich. VI. 6. 7.

Qua-

Quare? Sunt tamen legi literali conformia, ſed non ſpirituali. Deerat fides in Meſſiam ejusque Sacrificium, in quo Deus acquieſcit Pſ. XL. 7-10. Denique *Teſtimonium Jeſu eſt ſpiritus Prophetiæ* Apoc. XIX. 10. Sive Spiritus in Prophetis pro palmario objecto habet de Chriſto teſtari. Annon de toto? Annon etiam de Paſſionibus, morte ejus & hinc de Expiatione Peccatorum? Sine dubio: Etenim & hæc continentur Teſtimonio Prophetarum v. Eſ. LIII. 5-11. 1. Petr. I. 11. Actor. X. 43. Certum eſt Prophetas Spiritu S. motos ſcholas aperuiſſe & in iis docuiſſe. Quænam Themata? An naturalia, communiora, minoris uſus? Quare non etiam ſupernaturalia & quæ fidem in Meſſiam conſtituunt? Spiritus in Prophetis teſtatur de Jeſu. Si de Jeſu, tum etiam de ſtatibus ejus, muneribus. Inter ſtatus vero eſt humilitatis, mors tanquam Sacrificium piaculare Eſ. LIII. 10. Inter munera pontificiale Pſ. CX. 4. Alia non addo. Inferius à 564. usque ad finem fundamenta ſenſus myſtici generalia & ſpecialia, Quæſtiones de dubiis, Tabella comparationum & differitatum inter Typum & Antitypum Miniſterii Diei Expiationis bono ſequentur ordine.

Scrutemur Scripturas ſpeciatim etiam Typicas; *Nam illæ ſunt, quæ teſtantur de Jeſu Chriſto*, Expiatione pro peccatis totius Mundi!

CON-

CONTENTA.

I. Leges Moſaicæ de Miniſterio Expiationum, tum juxta Verſionem Vulgatam & Lutheri, tum juxta emendatam translatæ; uti

Lex Principalis Levit. Cap. XVI. totum.

Leges reliquæ, ſcil.

Exod. XXX. 10.

Levit. XXIII. 26-33.


- - - - XXV. 9. 10.

Num. XXIX. 7-12.

II. Analyſis harum Legum.

III. Exegeſis modo memoratarum Legum ſive ſenſus literalis, quâ fieri poterat Curâ indagatus, probatus, vindicatus, inſertis commodo loco, pluribus Traditionibus Judæorum atque dijudicatis, ſubjunctis quoque Poriſmatibus, varii generis.

IV. Senſus Myſticus cum Fundamentis, tum generalibus, tum ſpecialibus, additis Tabellis Comparationum & Differitatum.



LEGIS PRINCIPALIS
De
Ministerio Solennis Expiationum Diei, quæ extat Lev. XVI.
Versio Latina.

* *

Vulgata.

v. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum Filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt, & præcepit ei dicens:

v. 2. Loquere ad Aaron Fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum) nisi hæc ante fecerit.

Emendata.

v. 1. *Præterea* locutus est Jehova cum Mose post mortem duorum Filiorum Aharon: *Qui, quoniam appropinquarunt in Conspectum Jehovæ mortui sunt.*

v. 2. Dixitque Jehova ad Mosen: Alloquere Aharonem Fratrem tuum, ut non ingrediatur omni tempore *illud sanctum,* quod intra velum versus *Operculum Propitiatorium*, *quod super* Arca, ne moriatur, nam in Nube apparebo super *Operculo Propitiatorio.*

v. 3. *Hoc*

v. 3. Vitulum pro peccato offeret, & Arietem in Holocaustum.

v. 4. Tunicâ lineâ vestietur, Feminalibus lineis verenda celabit: Accingetur zonà lineâ, Cidarim lineam imponet Capiti: Hæc enim vestimenta sunt sancta: Quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.

v. 5. Suscipietque ab universa multitudine Filiorum Israel duos Hircos pro peccato, & unum Arietem in Holocaustum.

v. 6. Cumque obtulerit Vitulum & oraverit pro se & pro Domo sua.

v. 7. Duos Hircos stare faciet coram Domino in Ostio Tabernaculi Testimonii.

v. 8. Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram Capro Emissario.

v. 9. Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro Peccato: Cujus autem in Caprum emissarium.

v. 3. *Hoc modo* (qui sequitur) *ingredietur Aharon in illud Sanctum; cum Juvenco, Filio Bovis*, in Sacrificium pro peccato, & cum Ariete in Holocaustum.

v. 4. Tunicam lineam *sanctam* induito, etiam Femoralia linea sunto *super Carne ejus*; & Baltheo lineo se accingito, ac Pileo lineo (Pontificali) Caput obvolvitor. Hæ sunt Vestes Sanctæ. Lavabit vero Carnem suam Aquis, & (tum) induet eas.

v. 5. Deinde sumet à Cœtu Filiorum Israel duos Hircos Caprarum in Sacrificium pro Peccato & unum Arietem in Holocaustum.

v. 6. *Postea adducet* Aharon Juvencum *Sacrificium pro Peccato, qui ejus*, ut *expiet* pro se & pro Domo sua.

v. 7. *Accipiet porrò* duos illos Hircos, statuetque illos *coram Facie Jehovæ* (*versus*) ostium Tentorii *Conventûs*.

v. 8. Dabitque Aharon super duos illos Hircos *sortes*; sortem unam *pro Jehova*; sortem alteram *pro Azazel* (sive pascuo Pecoris caprini.)

v. 9. *Et post adducet Aharon* illum Hircum, super quem ascendit sors *pro Jehova*, *parabitque* eum Sacrificium pro Peccato.

v. 10. Statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem.

v. 10. Verum Hircus ille, super *quem ascendit sors pro Azazel* (sive Pascuo Pecoris Caprini) *vivus porro sistetur coram Facie Jehovæ ad expiandum eum*, ad mittendum eum liberum ad *Azazel* (sive Pascuum Pecoris Caprini) *in desertum.*

v. 11. His rite celebratis offeret Vitulum, & rogans pro se & pro Domo sua, immolabit eum,

v. 11. *Tum Aharon adducet Juvencum Sacrificii pro Peccato, qui ejus, & expiabit* pro se & pro Domo sua, *mactabitque Juvencum illum Sacrificii pro Peccato, qui ejus.*

v. 12. Assumto Thuribulo, quod de Prunis Altaris impleverit, & hauriens Manu compositum, in Thymiama incensum, ultra velum intrabit in Sancta.

v. 12. *Postea* sumet *Ignitabulum plenum prunis ignitis à superiori parte Aræ, quæ coram Facie Jehovæ, atque Pugillos suos plenos suffitu Aromatum tenui, inferetque* intra velum.

v. 13. Ut positis super ignem Aromatibus, Nebula eorum & Vapor operiat Oraculum, quod est supra Testimonium, & non moriatur.

v. 13. Et imponet suffitum hunc super Ignem *coram Facie Jehovæ*, tegatque *Nubes hujus suffitûs* operculum propitiatorium, quod super Testimonium, ut non moriatur.

v. 14. Tollet quoque de Sanguine Vituli, & asperget Digito septies contra Propitiatorium ad Orientem.

v. 14. *Ex quo* sumet de sanguine illius Juvenci & sparget Digito suo supra operculum propitiatorium erga ortum; verum versus operculum propitiatorium sparget septem vicibus de sanguine illo Digito suo.

v. 15. Cumque mactaverit Hir-

v. 15. *Dehinc mactabit* Hircum Sacrifi-

cum pro Peccato Populi inferet Sanguinem ejus intra velum, ſicut præceptum eſt de Sanguine vituli, ut aſpergat è regione Oraculi.

crificium pro Peccato, quod pro Populo, inferet *etiam* Sanguinem ejus intra velum, & *faciet cum Sanguine ejus, quemadmodum fecit cum Sanguine illius Juvenci, ac ſparget eum ſupra Operculum Propitiatorium ac (etiam) verſus Operculum Propitiatorium.*

v. 16. Et expiet Sanctuarium ab Immundiciis Filiorum Iſrael, & à Prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet Tabernaculo Teſtimonii, quod fixum eſt inter eos in medio Sordium Habitationis eorum.

v. 16. Et expiet ita *Sanctum illud* ab Immunditiis Filiorum Iſrael, & à defectionibus eorum, ab omnibus peccatis eorum, & ſic faciet *Tentorio Conventûs ejus, qui habitat cum illis* in medio Immunditiarum eorum.

v. 17. Nullus Hominum ſit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro ſe & pro Domo ſua, & pro univerſo Cœtu Iſrael, donec egrediatur Tabernaculum.

v, 17. Ullus autem Homo non erit *in Tentorio Conventûs*, quando ille intrat ad *expiandum* in ſancto, usque dum is exit, & expiaverit pro ſe & pro Domo ſua & pro toto Cœtu Iſrael.

v. 18. Cum autem exierit ad Altare, quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumtum Sanguinem vituli atque Hirci fundat ſuper Cornua ejus per Gyrum.

v. 18. Cum autem *progreſſus fuerit ad illud* Altare, quod coram Facie Jehovæ eſt, *expiabit* illud & accipiet de Sanguine Juvenci illius & de Sanguine Hirci illius ac *dabit* ſuper Cornua hujus Altaris circumquaque.

v. 19. Aſpergensque digito ſepties, expiet, & ſanctificet illud ab Immunditiis Filiorum Iſrael.

v. 19. Sparget quoque ſuper illud *de illo Sanguine* Digito ſuo ſeptem vicibus, & *ita mundabit* ac ſanctificabit illud ab Immunditiis Filiorum Iſrael.

v. 20. Poſtquam emundaverit Sanctuarium & Tabernaculum & Altare, tunc offerat Hircum viventem.

v. 20. Et poſtquam *abſolverit expiare Sanctum illud*, *etiam Tentorium Conventûs*, atque Altare illud, Hircum illum vivum *adducet*.

v. 21. Et poſita utraque manu ſuper Caput ejus, confiteatur omnes Iniquitates Filiorum Iſrael, & univerſa delicta atque Peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus emittet illum per Hominem paratum in deſertum.

v. 21. Tum *Ahăron* ambas manus ſuas Capiti *Hirci illius vivi* imponet, atque confitebitur ſuper illum omnes Perverſitates Filiorum Iſrael & omnes Defectiones eorum, *quoad* omnia peccata eorum, ac *dabit illa* ſuper Caput Hirci illius & dimittet *illum liberum* per manum *viri opportuni* in deſertum.

v. 22. Cumque portaverit Hircus omnes Iniquitates eorum in Terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in Deſertum.

v. 22. Et feret Hircus ille ſupra ſe omnes Perverſitates eorum in Terram *Exciſionis*, quamobrem Hircum *illum liberum* in Deſertum dimittet.

v. 23. Revertetur Aaron in Tabernaculum Teſtimonii, & depoſitis veſtibus, quibus prius indutus erat, cum intraret Sanctuarium, relictisque ibi.

v. 23. *Tum intrabit Ahăron in Tentorium Conventûs*; etiam exuet veſtes lineas, quas induerat, quando intraverat *in ſanctum illud*, relinquetque eas ibi.

v. 24. Lavabit Carnem ſuam in loco ſancto, indueturque veſtibus ſuis, & poſtquam egreſſus obtulerit Holocauſtum ſuum ac Plebis, rogabit tam pro ſe, quam pro Populo.

v. 24. Lavabit quoque Carnem ſuam *Aquis* in loco ſancto & induet veſtes ſuas. *Ex hinc prodibit* & faciet Holocauſtum ſuum, & Holocauſtum Populi & expiabit pro ſe & pro Populo.

v. 25. Et Adipem, qui oblatus eſt pro Peccatis, adolebit ſuper Altare.

v. 25. Adipem vero Sacrificii pro Peccato in Ara incendet.

v. 26. Ille vero, qui dimiſerit Ca-

v. 26. Is autem, qui Hircum *ad*

Azazel

prum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aquâ, & sic ingredietur in castra.

v. 27. Vitulum autem & Hircum, qui pro Peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quam carnes eorum ac fimum.

v. 28. Et quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem Aquâ, & sic ingredietur castra.

v. 29. Eritque vobis hoc Legitimum sempiternum; Mense autem septimo, decima die Mensis affligetis Animas vestras, nullumque opus facietis, sive Indigena sive Advena, qui peregrinatur inter vos.

v. 30. In hac Die Expiatio erit vestri, atque Mundatio ab omnibus Peccatis vestris: Coram Domino mundabimini.

v. 31. Sabbathum enim Requisitionis est, & affligetis Animas vestras Religione perpetuâ.

v. 32. Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit, & cujus manus initiatæ sunt, ut Sacerdo-

Azazel (sive ad Pascuum Pecoris Caprini) *liberum* dimisit. eluet vestes suas, ac lavabit carnem suam Aquis, & postea sic veniet ad Castra.

v. 27. Juvencum vero Sacrificii illius pro Peccato, & Hircum quoque Sacrificii pro Peccato, quorum sanguis illatus fuit ad expiandum in Sancto, *educat* extra castra & comburent Igne pelles eorum & carnem eorum & fimum eorum.

v. 28. Et qui combusserit ea, *eluet* vestes suas & lavabit carnem suam Aquis, & *postea* sic intrabit in castra. *Et* (hoc) *erit vobis in statutum seculare.*

v. 29. Mense septimo, decimâ Mensis hujus (Die) affligetis Animas vestras, & nullum *prorsus* opus facietis; Indigena & *Proselytus*, qui peregrinatur inter vos.

v. 30. Nam in Die illa expiabit vos; ad mundandum vos ab omnibus Peccatis vestris; coram *Facie Jehovæ* mundabimini.

v. 31. Hoc (enim) vobis Sabbatum *magnum*, statutum seculare. Atque affligetis Animas vestras.

v. 32. Expiabit autem ille Sacerdos, *quem* (Deus) *unget & cujus manus implevit*, ad Sacerdotio

tio fungatur pro Patre suo: Indueturque stolâ lineâ & Vestibus sanctis.

v. 33. Et expiabit Sanctuarium & Tabernaculum Testimonii atque Altare. Sacerdotes quoque & universum Populum.

v. 34. Eritque vobis] hoc Legitimum sempiternum, ut oretis pro Filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur, sicut præcepit Dominus Moysi.

tio loco Patris sui defungendum; qui *quoque* Vestes lineas *induet*, Vestes sanctas.

v. 33. Expiabit (inquam) *Sanctuarium Sanctitatis* & *Tentorium Conventûs*; Expiabit etiam Altare, expiabit quoque Sacerdotes & totum Populum Cœtûs.

v. 34. Hoc itaque erit vobis *Statutum seculare ad expiandum* Filios Israelis ab omnibus peccatis eorum *unâ* (Die) in anno. Et *factum* quemadmodum Jehova Mosi præceperat.

LEGIS DEIN

Quæ exstat Exod. XXX. 10.

Versio

Vulgata.

v. 10. Et deprecabitur Aaron super Cornua ejus semel per annum, in sanguine, quod oblatum est pro Peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum Sanctorum erit Domino.

Emendata.

v. 10. *Præterea* Aharon *expiabit* Cornua ejus (Altaris in sancto) *unâ* (die) in anno. *Expiabit* (inquam) super illo de Sanguine Sacrificii pro Peccato *expiationum unâ* (*Die*) in anno ad generationes vestras. Sanctum Sanctorum *hoc est* Jehovæ.

LEGIS PORRO

Quæ exstat Levit. XXIII. 26-33.

Versio

Vulgata.

v. 26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

Emendata.

v. 26. Præterea allocutus est Jehova Mosen, dicendo:

VULGATA.

v. 27. Decimo Die Mensis hujus septimi Dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus: Affligetisque Animas vestras in eo, & offeretis Holocaustum Domino.

v. 28. Omne opus servile non facietis in tempore Diei hujus: Quia Dies Propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester.

v. 29. Omnis Anima, quæ afflicta non fuerit Die hac, peribit de Populis suis.

v. 30. Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de Populo suo.

v. 31. Nihil ergo operis facietis in eo: Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus & habitationibus vestris.

v. 32. Sabbathum Requisitionis est, & affligetis Animas vestras die nono Mensis septimi à vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.

EMENDATA.

v. 27. *Verum* (Die) decimâ hujus ipsius Mensis septimi erit Dies Expiationum, *quâ vobis* (erit) *Convocatio Sancta*; Et affligetis Animas vestras, ac offeretis Jehovæ ignitum.

v. 28. *Nullum autem prorsus* opus facietis in *hac ipsa Die*. Nam Dies *Expiationum illa* (est) *ad expiandum vos coram Jehova, Deo vestro.*

v. 29. Omnis *enim* Anima, quæ non afflicta erit in hac *ipsa* Die, *etiam exscindetur* è Populis suis.

v. 30. Et *omnem Animam*, quæ fecerit ullum opus *in illa ipsa* Die, *hanc Animam etiam* ego perdam è medio Populi ejus.

v. 31. Nullum (itaque) opus facietis. *Statutum sit seculare* in generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris.

v. 32. Sabbathum *Magnum* hæc erit vobis & affligetis Animas vestras; *In vespera* (Die) nonâ hujus Mensis à vespera ad vesperam *quiescetis* (Die) *quietis vestræ.*

LEGIS INSUPER

Quæ exſtat Levit. XXV. 9. 10.

Verſio.

Vulgata.

v. 9. Et clanges Buccinâ Menſe ſeptimo decima Die Menſis Propitiationis tempore in univerſa Terra veſtra.

v. 10. Sanctificabisque Annum quinquageſimum, & vocabis Remiſſionem cunctis Habitatoribus Terræ tuæ; Ipſe eſt enim Jubilæus: Revertetur Homo ad Poſſeſſionem ſuam, & unusquisque rediet ad Familiam priſtinam.

Emendata.

v. 9. *Tum facies, ut perſonet* Buccina *Clangoris fracti* Menſe ſeptimo (Die) decima Menſis; *Die Expiationum facite, ut perſonet Buccina* per totam Terram veſtram.

v. 10. *Et ſanctificabitis* Annum quinquageſimum & *proclamabitis libertatem* omnibus Inhabitatoribus ejus. *Jubilæum hoc erit vobis:* Et redibitis quisque ad Poſſeſſionem ſuam, & quisque ad cognationem ſuam revertemini.

LEGIS DENIQUE

Quæ exſtat Num. XXIX. 7 - 12.

Verſio.

Vulgata.

v. 7. Decima quoque Dies Menſis hujus ſeptimi erit vobis ſancta, atque venerabilis, & affligetis Animas veſtras: Omne opus ſervile non facietis in ea.

v. 8. Offeretisque Holocauſtum Domino in odorem ſuaviſſimum, vitulum de Armento unum, Arietem unum, Agnos

Emendata.

v. 7. *Verum* decima (Die) Menſis hujus ſeptimi *Convocatio* ſancta erit vobis, atque *tum* affligetis Animas veſtras; *Nullum prorſus* opus facietis.

v. 8. Offeretis vero *Holocauſta* Jehovæ in odorem *bonæ fragrantiæ*; (ſcil.) *Juvencum Filium Bovis* unum; Arietem unum; Agnos

anniculos immaculatos septem.

v. 9. Et in Sacrificiis eorum similæ oleo consperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per Arietem.

v. 10. Decimam decimæ per Agnos ſingulos, qui ſunt ſimul Agni ſeptem.

v. 11. Et Hircum pro Peccato: Absque his quæ offerri pro delicto ſolent in Expiationem: Et Holocauſtum ſempiternum: Et Sacrificio & Libaminibus eorum.

Agnos anniculos ſeptem. *Integri ſint vobis.*

v. 9. Etiam *ferta eorum* ſimilam *perfuſam* oleo, tres decimas pro *Juvenco illo*, duas decimas *pro Ariete uno.*

v. 10. *Singulas decimas pro unoquoque Agno, quoad ſeptem illos Agnos.*

v. 11. Etiam Hircum *Caprarum unum* Sacrificium pro Peccato, *præter illud Sacrificium pro Peccato Expiationum*, Holocauſtum *quoque* juge *cum ferto ſuo*, & Libamina eorum.

* *

Ejusdem Capitis XVI.
in Levitico
Verſio Germanica,

Ordinaria Lutheri.

v. 1. Und der HErr redete mit Mose, (nachdem die zwey Söhne Aarons gestorben waren, da sie vor dem HErrn opfferten.

v. 2. Und sprach: Sage deinem Bruder Aaron, daß er nicht allerley Zeit in das inwendige Heiligthum gehe, hinter dem

Emendatæ.

v. 1. Der HErr redete ferner mit Mose nach dem Tod der zween Söhnen Aharon, (welche, weilen sie naheten vor das Angesicht des HErrn, gestorben sind.)

v. 2. Und sprach zu Mose: Sage zu Aharon deinem Bruder, daß er nicht zu aller Zeit hinein gehe in das jenige Heiligthum,

Vorhang vor dem Gnaden-Stuhl, der auf der Laden ist, daß er nicht sterbe, dann ich will in einer Wolken erscheinen auf dem Gnaden-Stuhl.

thun, welches hinter dem Fürhang, gegen den Versöhn-Deckel, der auf der Lade ist, daß er nicht sterbe; dann ich werde in einer Wolke über dem Versöhn-Deckel erscheinen.

v. 3. Sondern damit soll er hinein gehen, mit einem jungen Farren zum Sünd-Opfer, und mit einem Widder zum Brand-Opfer.

v. 3. Auf diese (nachfolgende) Weise soll Aharon in besagtes Heiligthum hinein gehen (nemlich) mit einem Farren, der ein junges Rind, zum Sünd-Opfer, und mit einem Widder zum Brand-Opfer.

v. 4. Und soll den leinen Rock anlegen, und leinen Niederwad an seinem Fleisch haben, und sich mit einem leinen Gürtel gürten, und den leinen Hut aufhaben: Dann das sind die heiligen Kleider, und soll sein Fleisch mit Wasser baden, und sie anlegen.

v. 4. Er soll anthun den heiligen leinen Rock; auch sollen die leinene Niederkleider über seinem Fleisch seyn; und sich mit einem leinenen Gürtel gürten; und sich mit dem leinen (Hohen-Priesterlichen) Hut bedecken. Dieses sind die heilige Kleider. Er soll aber sein Fleisch im Wasser baden, und (dann) sie anthun.

v. 5. Und soll von der Gemeine der Kinder Israel zween Ziegenböcke nehmen zum Sünd-Opfer, und einen Widder zum Brand-Opfer.

v. 5. Demnach soll er von der Gemeinde der Kinder Israel zween Ziegenböck zum Sünd-Opfer, und einen Widder zum Brand-Opfer nehmen.

v. 6. Und Aaron soll den Farren, sein Sünd-Opfer, herzu bringen, und sich und sein Hauß versöhnen.

v. 6. Hernach soll Aharon den Farren des Sünd-Opfers, welcher sein ist, herzu bringen, daß er vor sich und sein Hauß eine Versöhnung mache.

v. 7. Und darnach die zween Bö-

v. 7. Ferner soll er die zween Böcke

cke nehmen, und vor den HErrn stellen, vor der Thür der Hütten des Stiffts.

cke nehmen, und sie stellen vor das Angesicht des HErrn gegen die Thür der Hütten der Zusammenkunft.

v. 8. Und soll das Looß werffen über die zween Böcke, ein Looß dem HErrn, und das andere dem ledigen Bock.

v. 8. Alsdann soll Aharon über diese zween Böcke das Looß werffen. Ein Looß für den HErrn, und das andere Looß für die Geißweid.

v. 9. Und soll den Bock, auf welchen des HErrn Looß fällt, opfferen zum Sünd-Opfer.

v. 9. Aharon soll hernach den Bock, auf welchen das Looß für den HErrn gefallen, herzu bringen, und ihn zum Sünd-Opfer bereiten.

v. 10. Aber den Bock, auf welchen das Looß des Lebendigen fället, soll er lebendig vor den HErrn stellen, daß er ihn versöhne, und lasse den ledigen Bock in die Wüste.

v. 10. Aber der Bock, auf welchen das Looß für die Geißweid gefallen, soll lebendig stehen bleiben vor dem Angesicht des HErrn, um ihn zuversöhnen, daß er ihn hernach zur Geißweid in die Wüsten frey sende.

v. 11. Und also soll er denn den Farren seines Sünd-Opfers herzu bringen, und sich und sein Hauß versöhnen, und soll ihn schlachten.

v. 11. Hernach soll Aharon den Farren des Sünd-Opfers, der sein ist, herzu bringen, sich und sein Hauß versöhnen, und den Farren des Sünd-Opfers, welcher sein ist, schlachten.

v. 12. Und soll einen Napf voll Glut von dem Altar nehmen, der vor dem HErrn stehet, und die Hand voll zerstossenes Rauchwerks, und hinein hinter den Fürhang bringen.

v. 12. Nach diesem soll er eine volle Kohlpfanne von glühenden Kohlen von oben dem Altar, der vor dem Angesicht des HErrn, wie auch seine Fäuste voll von klein zerstossenem

senem Rauchwerk nehmen, und hinein hinter den Vorhang bringen.

v. 13. Und das Rauchwerk aufs Feuer thun vor dem HErrn, daß der Nebel vom Rauchwerk den Gnadenstuhl bedecke, der auf dem Zeugniß ist, daß er nicht sterbe.

v. 13. Und soll dieses Rauchwerk auf das Feuer vor dem Angesicht des HErrn legen, daß die **Wolke** dieses **Rauchwerks** den **Versöhn-Deckel**, der auf dem Zeugniß ist, bedecke, und er nicht sterbe.

v. 14. Und soll des Bluts vom Farren nehmen, und mit seinem Finger gegen den Gnadenstuhl sprengen vornen an, siebenmal soll er also vor dem Gnadenstuhl mit seinem Finger vom Blut sprengen.

v. 14. **Nach** diesem soll er vom Blut des Farren nehmen, und mit seinem Finger **über den Versöhn-Deckel vornen an** sprengen, **aber gegen den Versöhn-Deckel** soll er siebenmal von diesem Blut mit seinem Finger sprengen.

v. 15. Darnach soll er den Bock, des Volks Sünd-Opfer, schlachten, und seines Bluts hinein bringen hinter den Fürhang, und soll mit seinem Blut thun, wie er mit des Farren Blut gethan hat, und damit auch sprengen vorne gegen den Gnadenstuhl.

v. 15. Darnach soll er den Bock des Sünd-Opfers für das Volk schlachten, und sein Blut hinein hinter den Vorhang bringen, und soll mit diesem Blut thun, wie er mit des Farren Blut gethan hat, und selbiges sprengen über den **Versöhn-Deckel**, und (auch) **gegen den Versöhn-Deckel.**

v. 16. Und soll also versöhnen das Heiligthum von der Unreinigkeit der Kinder Israel, und von ihrer Uebertrettung in allen ihren Sünden. Also soll er thun der Hütten des Stiffts, dann sie sind unrein, die umher liegen.

v. 16. Und soll (also) dieses Heiligthum von den **Unreinigkeiten** der Kinder Israel und ihren **Abfällen nach allen ihren** Sünden versöhnen. Und also soll er auch thun in der Hütten der **Zusammenkunft dessen, der bey ihnen wohnet,** mit-

LUTHERI.

v. 17. Kein Mensch soll in der Hütten des Stiffts seyn, wann er hinein gehet zu versöhnen im Heiligthum, bis er heraus gehe, und soll also versöhnen sich und sein Hauß, und die ganze Gemeine Israel.

v. 18. Und wann er heraus gehet zum Altar, der vor dem HErren stehet, soll er ihn versöhnen, und soll des Bluts vom Farren, und des Bluts vom Bock nehmen, und auf des Altars Hörner umher thun.

v. 19. Und soll mit seinem Finger vom Blut darauf sprengen siebenmal, und ihn reinigen und heiligen von der Unreinigkeit der Kinder Israel.

v. 20. Und wann er vollbracht hat das Versöhnen des Heiligthums und der Hütten des Stiffts, und des Altars, so soll er den lebendigen Bock herzu bringen.

v. 21. Da soll dann Aaron seine beyde Hände auf sein Haupt legen, und bekennen auf ihn alle Missethat der Kinder Israel, und alle ihre Uebertrettung in allen ihren Sünden, und soll

EMENDATA.

mitten in ihren Unreinigkeiten.

v. 17. Es soll aber kein Mensch in der Hütte der Zusammenkunfft seyn, wann er eingehet zu versöhnen in dem Heiligthum, bis er heraus gehet und für sich, und sein Hauß und die ganze Gemeinde Israel versöhnt haben wird.

v. 18. Und wann er fortgehet zu dem Altar, welcher vor dem Angesicht des HErrn, soll er ihn versöhnen, und soll des Bluts vom Farren, und des Bluts vom Bock nehmen, und auf die Hörner dieses Altars umher thun.

v. 19. Er soll auch über ihn von diesem Blut mit seinem Finger siebenmal sprengen, und (also) ihn reinigen und heiligen von den Unreinigkeiten der Kinder Israel.

v. 20. Und wann er vollendet hat das Versöhnen dieses Heiligthums, auch der Hütten der Zusammenkunfft und dieses Altars, so soll er den lebendigen Bock herzu bringen.

v. 21. Dann soll Aharon seine beyde Hände auf das Haupt dieses lebendigen Bocks legen, und über denselben bekennen alle Missethaten der Kinder Israel, und alle ihre Abfälle nach

sie dem Bock auf das Haupt legen, und ihn durch einen Mann, der vorhanden ist, in die Wüste laufen lassen.

v. 22. Daß also der Bock alle ihre Missethat auf ihm in eine Wildnuß trage, und lasse ihn in der Wüste.

v. 23. Und Aaron soll in die Hütte des Stiffts gehen, und ausziehen die leinen Kleider, die er anzog, da er in das Heiligthum gieng, und soll sie daselbst lassen.

v. 24. Und soll sein Fleisch mit Wasser baden an heiliger Stätte, und seine eigene Kleider anthun, und heraus gehen, und sein Brand-Opfer, und des Volks Brand-Opfer machen, und beyde sich und das Volk versöhnen.

v. 25. Und das Fett vom Sünd-Opfer auf dem Altar anzünden.

v. 26. Der aber den ledigen Bock hat ausgeführet, soll seine Kleider waschen, und sein Fleisch mit Wasser baden, und darnach ins Lager kommen.

nach allen ihren Sünden, und soll sie auf das Haupt dieses Bockes legen, und ihn durch den Dienst eines Mannes, der bequem seyn wird, frey in die Wüste senden.

v. 22. Und dieser Bock soll auf sich alle ihre Missethaten in eine Wildnuß tragen; darum soll er diesen Bock frey in die Wüste senden.

v. 23. Alsdann soll Aharon in die Hütte der Zusammenkunft gehen; auch ablegen die leinen Kleider, die er angethan hat, als er in dieses Heiligthum hinein gegangen, und soll sie daselbst lassen.

v. 24. Er soll auch sein Fleisch im Wasser an einer heiligen Stätte baden, und seine Kleider anthun, hernach hervor gehen, und sein Brand-Opfer und seines Volks Brand-Opfer machen, und beyde sich und sein Volk versöhnen.

v. 25. Das Fett aber des Sünd-Opfers soll er auf dem Altar anzünden.

v. 26. Der aber jenen Bock frey auf die Geißweid wird geführt haben, soll seine Kleider waschen, und sein Fleisch im Wasser baden, und hernach kan er also in das Lager gehen.

LUTHERI,	EMENDATA.
v. 27. Den Farren des Sünd-Opfers, und den Bock des Sünd-Opfers, welcher Blut in das Heiligthum zu versöhnen gebracht wird, soll man hinaus führen vor das Lager, und mit Feuer verbrennen, beyde ihre Haut, Fleisch und Mist.	v. 27. Den Farren aber des Sünd-Opfers, und (auch) den Bock des Sünd-Opfers, welcher Blut nun zu versöhnen in das Heiligthum ist gebracht worden, soll man hinaus ausser das Lager führen, und sie sollen ihre Häute, und ihr Fleisch, und ihren Mist mit Feuer verbrennen.
v. 28. Und der sie verbrennet, soll seine Kleider waschen, und sein Fleisch mit Wasser baden, und darnach ins Lager kommen.	v. 28. Und wer sie verbrennet, der soll seine Kleider waschen, und sein Fleisch im Wasser baden, und hernach kan er also ins Lager gehen. Und (dieses) soll euch eine lang daurende Satzung seyn.
v. 29. Auch soll euch das ein ewiges Recht seyn, am zehenden Tage des siebenden Monden sollt ihr eueren Leib casteyen, und kein Werk thun, er sey Einheimisch oder Frembde unter euch.	v. 29. In dem siebenden Monat am zehenden (Tag) dieses Monats sollt ihr (auch) euere Seelen casteyen, und gar keine Werke thun: Der Einheimische so wohl, als der Proselyt, der unter euch wohnet.
v. 30. Dann an diesem Tage geschiehet euere Versöhnung, daß ihr gereiniget werdet. Von allen eueren Sünden werdet ihr gereiniget vor dem HErrn.	v. 30. Dann an diesem Tage wird er euch versöhnen, um euch zu reinigen. Von allen eueren Sünden sollt ihr gereiniget werden vor dem Angesicht des HErrn.
v. 31. Darum solls euch der gröste Sabbath seyn, und ihr sollt eueren Leib demüthigen. Ein ewig Recht sey das.	v. 31. Dann dieser soll euch ein grosser Ruhetag seyn, und euere Seelen sollt ihr casteyen. Es soll eine lang daurende Satzung seyn.

LUTHERI.	EMENDATA.
v. 32. Es soll aber solche Versöhnung thun ein Priester, den man geweihet, und des Hand man gefüllet hat, zum Priester an seines Vaters statt. Und soll die leinen Kleider anthun, nemlich die heiligen Kleider.	v. 32. Es soll aber derjenige Priester die Versöhnung thun, den (GOtt) wird salben, und seine Hände füllen lassen, um an seines Vaters statt des Priester-Amts zu pflegen; der auch anthun wird die leinen Kleider, die heilige Kleider.
v. 33. Und soll also versöhnen das heilige Heiligthum, und die Hütten des Stiffts, und den Altar, und die Priester, und alles Volk der Gemeine.	v. 33. Dieser (sage ich) wird versöhnen das heilige Heiligthum und die Hütte der Zusammenkunft; er wird auch den Altar versöhnen; er wird ferner versöhnen die Priester und alles Volk der Versammlung.
v. 34. Das soll euch ein ewiges Recht seyn, daß ihr die Kinder Israel versöhnet, von allen ihren Sünden, im Jahr einmal. Und Mose thät, wie ihm der HErr gebotten hatte.	v. 34. Und dieses soll euch eine lang daurende Satzung seyn die Kinder Israel an einem (Tag) im Jahr von allen ihren Sünden zu versöhnen. Und es geschahe, wie der HErr dem Mosi befohlen hatte.

Folget die Uebersetzung des Gebotts.
Exod. XXX. 10.

Und Aaron soll auf seinen Hörnern versöhnen einmahl im Jahr, mit dem Blut des Söhn-Opfers zur Versöhnung, solche Versöhnung soll jährlich einmahl geschehen bey eueren Nachkommen, dann das ist dem HErrn das Allerheiligste.	Ueber das soll Aharon auf seinen (des Altars im Heiligthum) Hörnern auf einen (Tag) im Jahr versöhnen; er soll aber auf demselben versöhnen auf einen (Tag) im Jahr von dem Blut des Sünd-Opfers der Versöhnungen, bey eueren Nachkommen: Das ist dem HErrn das Allerheiligste.

Folget

Folget ferner die Uebersetzung des Gebotts. Levit. XXIII. 26 - 33.

Ordinaria Lutheri.

v. 26. Und der HErr redete mit Mose und sprach:

v. 27. Des zehenden Tags, in diesem siebenden Monden ist der Versöhnungs-Tag, der soll bey euch heilig heissen, daß ihr zusammen kommt, da sollt ihr eueren Leib casteyen, und dem HErrn opffern.

v. 28. Und sollt keine Arbeit thun an diesem Tage, dann es ist der Versöhn-Tage, daß ihr versöhnet werdet vor dem HErrn euerem GOtt.

v. 29. Dann wer seinen Leib nicht casteyet an diesem Tag, der soll aus seinem Volk gerottet werden.

v. 30. Und wer dieses Tages irgend eine Arbeit thut, den will ich vertilgen aus seinem Volk.

v. 31. Darum sollt ihr keine Arbeit thun, das soll ein ewiges Recht seyn eueren Nachkommen, in allen eueren Wohnungen.

Emendata.

v. 26. Der HErr redete ferner Mosen an und sprach:

v. 27. Am zehenden (Tag) eben dieses siebenden Monats soll seyn der Tag der Versöhnungen, daran soll unter euch eine heilige Versamlung seyn, und ihr sollt euere Seelen casteyen, und dem HErrn ein Feuer-Opfer bringen.

v. 28. An eben diesem Tag sollt ihr gar kein Werk thun, dann er ist der Tag der Versöhnungen euch zu versöhnen vor dem HErrn euerem GOtt.

v. 29. Dann eine jede Seel, die sich an eben diesem Tage nicht wird casteyen, soll auch aus ihrem Volk ausgerottet werden.

v. 30. Und alle Seel, die irgend eine Arbeit an eben diesem Tage thun wird, dieselbe Seel will auch ich mitten aus ihrem Volk vertilgen.

v. 31. (Darum) sollt ihr keine Arbeit thun, das soll eine langdaurende Satzung bey eueren Nachkommen in allen eueren Wohnungen seyn.

v. 32. Es ist euer grosser Sabbath, daß ihr euere Leiber casteyet. Am neunten Tage des Monden, zu Abend, sollt ihr diesen Sabbath halten, von Abend an bis wieder zu Abend.	v. 32. Es soll euch ein grosser Ruhetag seyn, und sollet euere Seelen casteyen. Am Abend des neunten (Tags) dieses Monats sollt ihr von Abend bis Abend an euerem Ruhetag ruhen.

Folget über das die Uebersetzung des Gebotts.
Levit. XXV. 9. 10.

Ordinaria Lutheri.	*Emendata.*
v. 9. Da sollt du die Posaunen lassen blasen durch alle euere Land, am zehenden Tage des siebenden Monden, eben am Tage der Versöhnung.	v. 9. Da sollt du der Posaunen starken Schall im siebenden Monat am zehenden (Tag) dieses Monats durchthönen lassen. Am Tage der Versöhnunkgen sollt ihr die Posaunen durch euer ganzes Land thönen lassen.
v. 10. Und ihr sollt das fünfzigste Jahr heiligen, und solts ein Erlaß-Jahr heissen im Lande allen die darinnen wohnen, dann es ist euer Halljahr, da soll ein jeglicher bey euch wieder zu seiner Haab und zu seinem Geschlechte kommen.	v. 10. Und ihr sollt das fünfzigste Jahr heiligen, und die Freyheit im Land bey allen ihren Einwohnern offentlich ausruffen. Es soll euch ein Jubeljahr seyn, da sollt ihr ein jeglicher zu seiner Haabe wiederkehren; ein jeder soll auch zu seiner Verwandschafft wieder kommen.

Folget endlich die Uebersetzung des Gebotts.
Num. XXIX. 7-12.

Ordinaria Lutheri.	*Emendata.*
v. 7. Der zehende Tag dieses siebenden Monden soll bey euch	v. 7. Aber am zehenden (Tag) dieses siebenden Monats soll

unter

auch heilig heissen, daß ihr zusammen kommet, und sollt euere Leiber casteyen, und keine Arbeit darinnen thun.

unter euch eine heilige Versammlung seyn. Dann sollt ihr euere Seelen casteyen. Ihr sollt gar keine Arbeit thun.

v. 8. Sondern Brand-Opfer dem HErrn zum süssen Geruch opffern, einen jungen Farren, einen Widder, sieben jährige Lämmer ohne Wandel.

v. 8. Ihr sollt aber dem HErrn Brand-Opfer zu einem lieblichen Geruch bringen, (nemlich) einen jungen Farren, einen Widder, sieben jährige Lämmer (diese Opfer) sollen vollkommen seyn.

v. 9. Mit ihren Speiß-Opfern, drey Zehenden Semmelmehls mit Oehle gemenget zu dem Farren, zwo Zehenden zu dem Widder.


v. 9. Auch ihre Speiß-Opfer, (sollt ihr bringen) von Semmelmehl mit Oehl gemenget; drey Zehenden zu dem Farren: Zwo Zehenden zu dem einen Widder.

v. 10. Und einen Zehenden, je zu einem der sieben Lämmer.

v. 10. Je einen Zehenden zu einem Lamm von den sieben Lämmern.

v. 11. Darzu einen Ziegenbock zum Sünd-Opfer, über das Sünd-Opfer der Versöhnung, und das tägliche Brand-Opfer, mit seinem Speiß-Opfer, und mit ihrem Trank-Opfer.

v. 11. Auch einen Ziegenbock zum Sünd-Opfer, über das Sünd-Opfer der Versöhnungen, und über das tägliche Brand-Opfer, mit seinem Speiß-Opfer, wie auch ihre Brand-Opfer.



LEGIS PRINCIPALIS

De

Ministerio Solennis Expiationum Diei, quæ exstat Lev. XVI.

Analysis.

QUemadmodum inter Leges Typicas facile eminent illæ de solenni Expiationum Die; sic inter has Lex Levit. Cap. XVI. §. 1.

Quare merito Caput hoc primo tractatur loco, juxta ordinem, quem ipse Legislator servavit. Præmittitur curata, quantum fieri potuit, Exegesis sensus literalis, ut tuta sternatur via ad Mysterium. §. 2.

Caput memoratum quatuor continet partes; Præfamen, Officia Pontificis, Officia populi, & Ἀνακεφαλαίωσιν. Præfamen exstat v. 1. & 2. §. 3.

In quo distinguitur:

א *Nexus hujus Legis* cum antecedentibus, hinc commode vertitur: *Præterea locutus est.* &c. §. 4.

ב *Dein Legislator* Jehova, qui Auctoritatem ac Fidem Legibus, speciatim etiam Typicis, dat. §. 5. Tulit vero etiam hanc Legem privatim in Tentorio Conventûs. §. 6.

ג Insuper *Minister* Moses, fidus in tota Dei domo, Aharone major, ac cum quo Deus immediate locutus est. §. 7.

ד Porro *Tempus hujus Legis*, quod incidit mox post mortem duorum Filiorum Aharonis. §. 8.

ה Pro

ה Proporro *Cauſa Interdicti*, quod ſequitur. §. 9.

Quæ erat irreverens & ex ἐθελοθρησκείᾳ orta Appropinquatio in Conſpectum *Jehovæ*. §. 10.

Crimen hoc deducitur Expoſitione *Acceſſus Sacerdotalis ad Deum* & Phraſi in *Conſpectum Jehovæ*, quæ hoc loco Sanctiſſimum indicat. §. 11.

ו *Pœna* merita, quæ Mors præternaturalis manu Dei illata. §. 12.

Qualis fortiſſimum Motivum ad evitandum omnem Irreverentiam in Miniſterio Sacerdotali. §. 13.

Duæ adhuc moventur difficultates, ſolvunturque. §. 14. 15.

ז Interdictum rationibus munitum. v. 2. §. 16.

Ex hoc Interdicto conſtat Mandatum Dei ad Moſen immediatum, ad Aharonem mediatum. §. 17.

Abarbanel æquo ſubtilior videtur, dando rationem, quare Aharon *Frater Moſis*. h. l. dicatur. §. 18.

Sanctum, cujus hic Lex meminit, certo notat *Sanctiſſimum*. §. 19.

Aharoni interdicitur Introitus in illud *omni tempore*. Infertur tamen *certo tempore* præceptus. §. 20.

Rationes interdicti duæ : *Prior* pœna mortis violentæ divinæ : *Ne moriatur*. §. 21.

Poſterior dupliciter explicatur. §. 22.

Quidam exponunt : *Nonniſi accenſis Aromatibus in fumo conſpiciar*; quare unica die ſanctiſſimum adeundum. §. 23.

Alii vero : *Nam in Nube Symbolo præſentiæ Divinæ in Sanctiſſimo apparere ſoleo*. Igitur locus ſanctiſſimus non omni tempore adeundus eſt. §. 24.

Ἐπίκρισις ſtat pro poſterioribus, prolatis hunc in finem argumentis. §. 25.

Deſtructis quoque priorum, quas proferunt, rationibus. §. 26. 27.

Poriſmata ex præfamine hujus Legis v. 1. & 2. eruuntur duodecim. §. 28.

Altera Capitis Pars continet Officia Pontificis, quorum alia ipſe immediate præſtat, alia præſtantur ex juſſu ejus. §. 29.

Officia

Officia hæc dependent à Mandatis Dei, tum generali, tum specialibus. §. 30.

Illud in verbis: *Hoc modo* (qui sequitur) *ingredietur Aharon in illud Sanctum.* v. 3. a. §. 31.

Exprimitur *Aharon*, & intelligitur omnis Pontifex, primi legitimus Successor. §. 32.

Aut etiam in Casu extraordinario *Substitutus.* §. 33.

Sanctum vero denuo notat Sanctissimum. §. 34.

Ex Mandatis specialibus primum: Cum Juvenco Filio Bovis in Sacrificium pro peccato, & cum Ariete in Holocaustum. v. 3. b. Hæc cum XIV. aliis communiter in Die Expiationum Deo offerebantur. §. 35.

Ellipsis *ingredietur* ex antecedentibus ita supplenda, ut ea quæ sequuntur, & substrata Materia, permittunt. §. 36.

Sacrificium *primo* memoratum docet sumendum illud esse ex Pecore Bovino, eoque nec tenerrimæ nec vetulæ ætatis. §. 37.

Species ejus dicitur חטאת, distincta ab aliis in Lege Mosaica, quæ ob imputationem appellatur *Peccatum* vel *Sacrificium pro Peccato.* §. 38.

Juvencus præcipitur à Pontifice offerendus credibiliter in recordationem μοσχολατρείας. §. 39.

Alterum *Aries* masculus pecore ovino à robore dictus. §. 40.

Anno ætatis secundo, Judæis tradentibus. §. 41. 42.

Hic vero cesserat *in Holocaustum*, aliam Sacrificiorum Speciem, quæ tota igne comburebatur. §. 43.

Sequuntur IX. Porismata ex v. 3. formata. §. 44.

Secundum concernit *Vestitum Pontificalem* v. 4. a. distinctum ab ordinario, constantem VIII. vestibus, at hic quatuor tantum. §. 45.

Ex his prima *Tunica*, ut videtur, ocellata Talaris. §. 46.

Ex specie Lini בד, viliori quam שש. §. 47.

Quæque *Sancta*, Deo & Cultui ejus consecrata. §. 48.

Quam (ut & reliquas tres) tum demum Pontifex induerat occupatus circa sacra solenni Expiationi appropriata, exutis vestibus aureis. §. 49.

Secunda venit Nomine מכנסים *femoralium* ex eadem Lini specie viliori, quæ noviter inventa texerant Pontificis *Carnem.* §. 50.

Sive *verenda*, tum Castitatis gratiâ, tum ut opponeretur impudicis cultoribus Pehor. §. 51.

Longa

Longa hinc erant, ut hæc tota obtecta fuerint. §. 52.
Quæ probabiliter primo induebantur. §. 53.
Tertia *Baltheus*, prolixior ad constringendum Tunicam, ejusdem Longitudinis & Latitudinis cum ordinario. §. 54.
At dispar specie Lini, arte, materia simplici & coloribus. §. 55.
Quarta & ultima *Pileus*, itidem lineus,, latior מצנפת *à convolutione* dictus. §. 56.
Omnes hæ vestes *sanctæ*, sancto usui sacræ dicuntur. §. 57.
Differunt ergo memoratæ vestes, tum à vestibus Sacerdotum Gregariorum. §. 58.
Tum à vestibus Pontificum ordinariis. §. 59.
Sunt quidem, qui dissentiunt. §. 60.
Sed longe plures consentiunt. §. 61.
Quorum argumenta adferuntur. §. 62.
Priorum vero objectiones solvuntur. §. 63. 64. 65.
Allegatur παράδοσις, sistens magnum harum IV. linearum vestium pretium. §. 66.
Quod vero Intentioni Legislatoris prorsus adversatur. §. 67. 68.
Porismata de vestibus lineis v. 4. a. N. IV. §. 69.

Mandatum Tertium agit de *Immersione* Pontificis. §. 70.
Varia in Israële Immersio obtinuerat, maxime à Sacerdotibus in cultu observanda. §. 71.
Pontifex hac die se sæpius lavare debuerat; si Judæis credimus, decies manus pedesque, quinquies vero totum corpus laverat. §. 72.
Molestum adeoque fuit Ministerium Expiationis annuæ. §. 73.
Facta hæc Immersio, antequam vestes sacræ à Pontifice induebantur. §. 74.
Porismata IV. ex v. 4. b. *de Immersione*. §. 75.

Mandatum Quartum præscribit *Sacrificia Cœtûs*. §. 76.
Quæ sapienter sequebantur Sacrificia Pontificis, ceu prius expiandi: *Deinde sumet* &c. §. 77.
Priora dicuntur שעירי עזים *Hirci Caprarum* masculi in secundo ætatis anno, orti ex Capris. §. 78.
Tertiâ vice postulantur quidem numero duo. At minus solide hinc infertur, quod Staturâ, pretio, colore pares necessario poscantur. §. 79.

Quanquam fatendum, quod Judæi & Chriſtiani pro æqualitate duorum horum Hircorum ſtent. §. 80.

Attamen nullâ neceſſitate Legis; Nec valide æqualitatem requirit Myſterium. §. 81.

Ceſſerant hi Hirci *in Sacrificium pro Peccato*, ut omnes alii in Lege Moſaica; Hirci nunquam conſecrati erant Deo nomine *Holocauſtorum*, *Pacalium* &c. §. 82.

Rationes ſunt: 1. Hirci commode Peccatores ſiſtunt. 2. Docuit dein Legislator Sacrificiis his non ineſſe vim peccata expiandi. 3. Τραγολατρεία tali lege proſcribebatur. §. 83.

Rejicitur verò illorum Judæorum opinio, qui putant in memoriam revocatam fuiſſe Calliditatem Jacobi & Filiorum Gen. XXVIII. & XXXVII. §. 84.

Quia ex Mandato Dei Hirci ceſſerant *in Sacrificium pro Peccato*, Populus certus reddebatur peccata & pœnam commeritam à ſe auferri & tranſire in ſurrogatum hoc Piaculare. §. 85.

Recte ambo dicuntur *in Sacrificium pro Peccato*, non vero in *Sacrificia pro Peccato*. Una enim concurrerant ad expiandum peccata Populi, atque ita conſtituerant unum Sacrificium. §. 86.

Alterum Cœtûs Sacrificium eſt *Aries in Holocauſtum*, isque unus. §. 87.

Memorata hæc Sacrificia, Hirci & Aries, ceu publica, ære publico emebantur. §. 88.

Speciatim Hemiſiclo à ſingulis Judæis annuatim ſolvendo. §. 89.

Cœtus Iſrael, vel qui eum repræſentârant, dederant hæc Sacrificia Pontifici in manum, indicaverantque Nomina Sacrificiorum. §. 90.

Poriſmata N. VIII. eruuntur ex v. 5. §. 91.

Mandatum Quintum præcipit *actualem Adductionem Juvenci*, *ejusque ſcopum*. §. 92.

Id, quod adducendum, deſcribitur, *Juvencus illius Sacrificii pro Peccato*, quod jam memoratum, *quod ejus*, Pontificis, hujus adeoque ære emendum erat. §. 93.

Adductio hæc ſenſu ſtrictiori notat Præſentationem Sacrificii coram facie Dei ad Oſtium Tentorii Conventûs, ut id gratioſe accipiat. §. 94.

Scopus

Scopus, *ut Pontifex expiet.* Vox כפר emphatica non notat *Orare*, ſed *Peccata* Sacrificiorum ſanguine *obtegere*, ne Peccator in Iram Dei incurrat, attrahatque noxam. §. 95.

Et quidem ſpeciatim *pro ſe & Domo ſua*, vel tota familia Sacerdotum Aharonicorum, ceu qui quoque rei erant. §. 96.

Hic inſeritur *prima Pontificis Oratio* ex Traditione Judæorum. §. 97.

Quanquam Oratio & *χειροθεσία* diſerte hic præcepta non ſit, aliunde tamen veritas conſtat. §. 98.

Porismata ex v. 6. formantur VI. §. 99.

Mandatum Sextum varia de duobus Hircis complectitur. v. 7-11. §. 100.

א Primo *Præſentationem* eorum. v. 7. §. 101.

Eamque *coram facie Jehovæ*, Iſraelis Deo, cui illi ſacri. §. 102.

Ad Oſtium Tentorii Conventûs, ut Hirci obverſi quidem fuerint Ingreſſui in Tentorium, non tamen ei proximi adſtiterint, ſed circa Altare. §. 103.

ב *Sortitionem* v. 8. ceu quâ ipſe Deus varia eorum fata determinaverat. §. 104.

Contenta ejus ſpecialia. §. 105.

Quâ occaſione exponitur vox hebraica גורל *Sors*. §. 106.

Dein *Numerus*, qui hic binarius. §. 107.

Porrò *Materia*, quæ juxta Legem libera; Poſtea ab Eccleſia decernebatur *buxea*, tandem *aurea*. §. 108.

Utraque æqualis poſcebatur. §. 109.

Inſuper *Locus ſortiendi*; In Atrio ante Oſtium Tentorii Conventûs. Juxta Judæos in plaga Atrii orientali ad Latus Altaris aquilonare, præſente Deo & judicante. §. 110.

Præterea *Inſtrumentum*, in quod ſortes projectæ, cujus formam Lex non definit. §. 111.

A Salomone vocatur חיק *Sinus*, quod Sinum retulerat. §. 112.

Eratque *profundius*. 113.

Conveniunt Judæi. §. 114.

Etiam *uſus ad diſcernendum varia Fata*. §. 115.

Nec non *Inſcriptiones diſtinctæ*. Una inſignis voce ליהוה; Altera vero לעזאזל. §. 116.

Tandem *Modus miſcendi*, extrahendi. §. 117.

Denique *Modus imponendi* Sortes Hircis ad dextram & ad ſiniſtram. §. 118.

Præſentibus gravibus Teſtibus. §. 119.

Ultimo allegatur *Traditio dicta ſummatim comprehendens.* §. 120.

ג Eventum oppoſitum. v. 9. 10. §. 121.

Primo ejus, ſuper quem ſors *pro Jehova.*

Hunc Aharon, & non alius, propius ad Locum Sacrificiorum tenebatur ducere. §. 122.

Facereque חטאת *Sacrificium pro Peccato*, Peccata populi ita imputando, ut Mortem vicariam ſubire debuerit, à qua alter liber. §. 123.

Secundo ejus, ſuper quem aſcendit Sors pro *Azazel.* §. 124.

Hic vivus in conſpectum Jehovæ porro ſtans relinquendus erat. §. 125.

Ad certiorandum, quod liber à ſententia mortis judicatus, licet ab initio cum ſocio ſuo *in Sacrificium pro Peccato* deſtinatus fuerit; dein eum Dei eſſe & vita coram eo gaudere. §. 126.

Finis duplex indicatur: Prior *ad expiandum eum*, indiguerat quippe Expiatione, nam antea datus erat in *Sacrificium pro Peccato.* Expiabatur vero morte Socii. §. 127.

Poſterior: *Ad mittendum eum liberum ad Azazel*, in deſertum, demum tamen morte Socii perlata. §. 128.

Refutantur Judæi tradentes hircum hunc in deſertum fuiſſe mittendum, ut ibi occideretur. §. 129.

Tum Rationibus. §. 130.

Tum Auctoritatibus. §. 131.

Tandem movetur Difficultas. *Quid notet vox Azazel, & quid ſub ea intelligendum?* §. 132. 133.

Sunt, qui per *Azazel* intelligunt ipſum caprum abeuntem. §. 134.

Qui vero Argumentis rejiciuntur. §. 135.

Alii intelligunt *Diabolum.* §. 136.

Sed & hi ſolidis rationibus rejiciuntur. §. 137. 138.

Rurſum alii intelligunt *nomen certi Loci, ſpeciatim montis.* §. 139.

Etiam hi ſenſu, quo illi accipiunt, refutantur. §. 140.

Valde

Valde tamen probabile est, sub *Azazel* locum quendam esse intelligendum. §. 141.

Eumque duriorem in deserto. §. 142.

Vel potius, in quo Pecus caprinum libere pascebatur & huc illuc ad pascendum vagabatur. Germanice Geißweid à עז *Capra* & אזל *ire.* §. 143.

Marpergeri Censura circa hanc Etymologiam minus necessaria. Etenim nulla est differentia inter conjecturam Viri venerandi & Auctoris. Hircus, qui mittitur ad Pascuum Pecoris caprini, eo ipso mittitur ad Pecus caprinum. Vide Notam ad §. 143.

Proponitur *παράδοσις de Lingua coccinea alliganda ad Caput Hirci Emissarii; Nec non de alia lingua liganda ad Cervicem Hirci immolandi.* §. 144.

Lingua hæc notat Pannum ad formam linguæ eumque Colore coccineo tinctum. §. 145.

Monumenta Judæorum antiquiora pro una tantum stant lingua, eaque, quæ ligata ad Caput Emissarii. §. 146.

Proponitur dein pretium hujus linguæ, nec non miraculosa ejus conversio in colorem album. §. 147.

Qua occasione quæritur

Primò: An exstet Præceptum Divinum hac de Lingua? Negatur. §. 148.

Secundò: Quæ ergo ratio decretæ hujus Linguæ? Ad præcavendum commixtionem duorum Hircorum. §. 149.

Tertiò: An tuta fides miraculosæ conversioni coloris coccinei in album haberi queat? Non. §. 150.

Eruuntur VIII. Porismata è v. 7-11. §. 151.

Septimum Mandatum, præcipiens *Mactationem Juvenci.* v. 11. Ubi disquiritur; An eadem sit Adductio cum ea, quæ supra v. 6. Judæi negant. §. 152.

Uti constat ex altera oratione Pontificis. §. 153.

Quæ licet sequente tempore obtinuerat in Lege diserte fundata non est. §. 154.

Formulæ: *Deliqui, rebellis fui, peccavi* origo. §. 155.

Quæritur: *An Pontifex expians pro Domo sua Levitas subintellexerit?* Negatur. §. 156.

Adductio Juvenci explicanda ex iis, quæ dicta sunt ad vers. 6. §. 157.

Mactatio hæc facta *per ipsum Pontificem.* §. 158.

Modus mactandi juxta Legem liber; sed juxta constitutionem Ecclesiæ victimæ primo percutiebantur, postea annulis subjectarum jugulum cultro νομίμως incidendum erat. §. 159.

Locus vero *Mactationis* ad plagam Atrii septentrionalem, ceu sanctiorem. §. 160.

Juvenci mactati *sanguis excipiebatur ac agitabatur.* §. 161.

Ministerio Sacerdotum; Hic vero ipsius Pontificis, tradentibus Judæis. §. 162.

Mediante patera aurea. §. 163.

Sanguis hic dein alii Sacerdoti in Atrio ad scamnum quartum stanti agitandus dabatur. §. 164.

Tria ex v. 11. deducuntur Porismata. §. 165.

Mandatum octavum continet *suffitum.* v. 12. 13 sive Symbolum Precum, quæ Expiationem Deo commendant. §. 166.

Suffiens est ipse Pontifex. §. 167. 168.

Vas prunis ignitis continendis inserviens dicitur מחתה *Ignitabulum.* §. 169.

Materia ejus, quæ olim libera, postea definiebatur *aurea.* §. 170.

Specialia tradit παράδοσις. §. 171.

Quorum rationes. §. 172.

Contenta ejus *Prunæ totæ igneæ.* §. 173.

Sumendæ *à superiori parte Altaris externi*, adeoque nonnisi sacræ. §. 174.

A facie Jehovæ, Deo quasi intuente. §. 175.

Recentiores Judæi *plures Altaris focos* fingunt. §. 176.

Numerantur hac Expiationum die à quibusdam III; Ab aliis IV; Rursum ab aliis V. §. 177.

Scilicet in usum Sacrificiorum, suffitûs quotidiani, ignis perpetui, membrorum & adipis Sacrificii jugis vespertini sub vespera nondum consummatorum, & denique suffitus in Sanctissimo. Ultimus hic focus dicitur à Latere Altaris occidentali. §. 178.

At

At frigida ſunt, quæ pro tot focis ex Lege conquirunt, Argumenta. §. 179.

Ignis quidem ſacer alendus erat *Lignis probis*, ſed Traditionarii nimis anxie in ſpecies inquirunt. §. 180. 181.

Ut & in magnitudinem focorum. §. 182.

Ex dictis ſequitur *Pontificem Altare conſcendere debuiſſe*. Aſcenſus facilis ſub Tabernaculo, moleſtus ſub Templo ſecundo, ſed & magnificus. §. 183.

Modus prunas depromendi ſecundum Miſchnicos. §. 184.

Aromata, quæ incendenda, vocantur קטורת *Incenſum qualecunque*. §. 185. 186.

Specialius סמים *Aromata*, quæ odoris gratia incendi ſolent. §. 187.

Quorum alia Lege ſunt determinata; libera alia. §. 188.

Illa ſunt Opobalſamum, Onyx, Galbanum, Thus purum, Sal. §. 189.

Hæc generatim in Lege fundata probantur, §. 190.

Et ſunt ex Judæorum Traditione Myrrha, Caſia, Spica Nardi, Crocus, Coſtus, Cortex odoratus, Cinnamomum, Sal Sodomiticum, Ambra Jordanis, Herba quæ fumum aſcendere facit. §. 191.

Quæ finguntur Moſi in monte Sinai à Deo tradita, ſed potius libera Eccleſiæ poteſtate ordinata erant. §. 192. 193.

Ejusdem Originis tota ſuffitûs Maſſa pro anno confecta, pondus & modus præparationis. §. 194.

Aromata hæc juxta Legem *tenuia* poſcuntur. §. 195.

Sed juxta Traditiones communibus *tenuibus tenuiora*. §. 196.

Sumſerat autem Pontifex, *quantum duobus pugillis ſuis capere poterat*. §. 197.

Ex majori Aromatum, quæ aderant, copia, ſed juxta Judæos ex tribus minis reliquis. §. 198.

Hæc ex Antiquitatibus elucidantur. §. 199.

Duplex erat Acerra; alia ex qua Aromata depromebantur; alia in quam effundebantur, quæ quoque videtur majori circumdata. §. 200.

Etiam ſolius Pontificis erat, ea pugnis ſuis capere, ſine moleſta arte, quam recentiores effinxerant. §. 201.

Incen-

Incensio vero restricta ad Sanctissimum. §. 202.

Pontifex itaque utraque manu onustus hoc petierat. §. 203.

Et quidem dextra ignitabulum, sed sinistra acerram tenuerat. §. 204.

Ac remoto intimo velo in id penetraverat. §. 205.

Hoc enim sub פרכת intelligitur. §. 206.

Modus intrandi Mischnicus subjicitur. §. 207.

Censeturque. §. 208.

Sub Templo II. conceduntur duo vela, inter quæ cubitale vacuum. §. 209.

Ideo relictum erat, quod Judæi hæsitaverint, num spatium hoc ad Sanctissimum vel Sanctum pertinuerit. §. 210.

Vela hæc vocabantur פרופות. §. 211.

Aperiebantur fibula soluta. §. 212.

Ignitabulo interea seposito. Qua occasione refutatur singularis opinio Abarbanelis. §. 213.

Post introitum demum Aromata in Sanctissimo incensa erant. §. 214.

Sadducæis vel Karræis licet aliter opinantibus. §. 215.

Quorum objectiones refutantur. §. 216.

Modus incendendi tum legalis. §. 217.

Precibus fusis. §. 218.

Ex Judæorum Traditione in Sanctuario. §. 219.

Formula proponitur. §. 220.

Tum Traditionariorum cum ratione exeundi. §. 221. 222.

Deficiente Arcâ sub Templo II. Ignitabulum haud poterat intra ejus vectes collocari. §. 223.

Collocabatur tamen super lapidem, de quo mira tradunt. §. 224.

Molesta incendendi Ars incredibilis habetur. §. 225. 226.

Excepta tamen circumstantia. §. 227.

Ex incensione ortus erat fumus. §. 228.

Qui dicitur *Nubes*. §. 229.

Unde replebatur totum Sanctissimum, speciatim obtegebatur Propitiatorium. §. 230.

Id quod faciundum ad evitandum mortem violentam Divinam. §. 231.

Eruun-

Superadditur *Mandatum undecimum* continens *Scopum Effectumque* salutarem Actuum præcedentium v. 16. a. §. 259.

Scil. *Expiatio Sanctissimi.* §. 260. 261.

Ab immunditiis, *Defectionibus & Peccatis.* 262.

Duæ priores voces species, ut posterior genus peccatorum indicant. §. 263.

Expiatio hæc restringitur *ad Filios Israel*, non extenditur ad Philistæos, aliosque Ethnicos. §. 264.

Ex dictis constat, quod peccata summam polluendi vim habeant, penetrentque Sanctissimum. §. 265,

Unde obtectio erat necessaria, ne ira Dei ad nocendum excitetur. §. 266.

Medium tegendi sanguis est. §. 267.

Porismata ex v. 16. a. eruuntur VIII. §. 268.

Mandatum duodecimum de sanguine Juvenci & Hirci in Tentorio Conventûs consimiliter spargendo. §. 269.

Locus qui dicitur אהל מועד explicatur. §. 270.

Intelligiturque Sanctum. §. 271.

Quod habitat cum iis, vel *quod est ejus*, *qui cum iis habitat* scil. Dei. Posterior sensus præfertur. §. 272.

Et quidem *in medio immunditiarum eorum.* §. 273.

Quæ hinc Causæ Pollutionis. §. 274.

Quod generaliter vocatur *Tentorium Conventûs*, per id specialiter non Altare suffitus accipitur. §. 275.

Sed *velum intimum*, locum sparsionis determinante Ecclesia. §. 276.

Porismata V. ex v. 16. b. §. 277.

Mandatum decimum tertium prohibens Præsentiam in Sancto. §. 278 279.

Ullius hominis, etiam Sacerdotis. §. 280.

Tempore tamen nonnisi restricto ad Expiationem hanc solennem in tentorio. §. 281.

Qua peccata Pontificis, Domûs ejus, & totius Israel expiata erant. §. 282.

Omnes alii tum temporis extra tentorium devoti stabant. §. 283.

Porismata ex v. 17. N. V. §. 284.

Manda-

Mandatum decimum quartum, concernens *impositionem & aspersionem utriusque sanguinis super cornua & ipsum altare suffitus.* v. 18. 19. §. 285.

Altare h. l. intelligendum est suffitus. §. 286. 287. 288.

Non Holocausti. Solvitur objectio. §. 289.

Expiandum quoque à peccatis, quæ id polluerant. §. 290.

Etiam sanguine Juvenci & Hirci, sed nunc mixto. §. 291. 292.

Specialia de modo sanguinem cornibus imponendi, juxta Traditiones, quæ recte arcessuntur à potestate Ecclesiæ talia definiendi. §. 293 - 299.

Sanguis, qui super cornua Altaris dandus, etiam præcipitur spargendus. §. 299.

Et quidem super *Tectum* Altaris. §. 300.

Septem vicibus. Numerantur in totum XLIII. sparsionis vices. §. 301.

Reliquiis effusis super Fundamentum Altaris exterioris occidentalis. §. 302. 303. 304.

Quis ordo spargendi & effundendi obtinuerit, docet παράδοσις. §. 305.

Subjungitur scopus effectusque, inferens peccata totius Israelis polluentia Altare interius. §. 306.

Quæ vero per sanguinem modo dicto delenda erant. §. 307.

Effectus dicitur duplex; Purgatio & Sanctificatio. §. 308.

Porismata è v. 17. 18. formantur V. §. 309.

Mandatum decimum quintum de Dimissione Hirci vivi. v. 20. 21. 22. §. 310.

Ille ipse Hircus vivus, qui coram Deo constitutus erat. §. 311. 312.

Adducendus erat propius coram Deo. §. 313.

Sed demum absoluta Expiatione per sanguinem Juvenci & prioris Hirci. §. 314.

Postea ipse Pontifex omni nisu utramque manum Capiti hujus Hirci imposuerat, ac peccata expiata ei injecerat. §. 315.

Additâ Confessione. §. 316.

Quæ recte intelligitur voce התודה. §. 317.

Confitenda vero populi peccata, tum specialia, tum generalia. §. 318.

Superadditur *Mandatum undecimum* continens *Scopum Effectumque* salutarem Actuum præcedentium v. 16. a. §. 259.

Scil. *Expiatio Sanctissimi.* §. 260. 261.

Ab immunditiis, Defectionibus & Peccatis. 262.

Duæ priores voces species, ut posterior genus peccatorum indicant. §. 263.

Expiatio hæc restringitur *ad Filios Israel*, non extenditur ad Philistæos, aliosque Ethnicos. §. 264.

Ex dictis constat, quod peccata summam polluendi vim habeant, penetrentque Sanctissimum. §. 265.

Unde obtectio erat necessaria, ne ira Dei ad nocendum excitetur. §. 266.

Medium tegendi sanguis est. §. 267.

Porismata ex v. 16. a. eruuntur VIII. §. 268.

Mandatum duodecimum de sanguine Juvenci & Hirci in Tentorio Conventûs consimiliter spargendo. §. 269.

Locus qui dicitur אהל מועד explicatur. §. 270.

Intelligiturque Sanctum. §. 271.

Quod habitat cum iis, vel *quod est ejus*, *qui cum iis habitat* scil. Dei. Posterior sensus præfertur. §. 272.

Et quidem *in medio immunditiarum eorum.* §. 273.

Quæ hinc Causæ Pollutionis. §. 274.

Quod generaliter vocatur *Tentorium Conventûs*, per id specialiter non Altare suffitus accipitur. §. 275.

Sed *velum intimum*, locum sparsionis determinante Ecclesia. §. 276.

Porismata V. ex v. 16. b. §. 277.

Mandatum decimum tertium prohibens Præsentiam in Sancto. §. 278 279.

Ullius hominis, etiam Sacerdotis. §. 280.

Tempore tamen nonnisi restricto ad Expiationem hanc solennem in tentorio. §. 281.

Qua peccata Pontificis, Domûs ejus, & totius Israel expiata erant. §. 282.

Omnes alii tum temporis extra tentorium devoti stabant. §. 283.

Porismata ex v. 17. N. V. §. 284.

Manda-

Mandatum decimum quartum, concernens *impositionem & aspersionem utriusque sanguinis super cornua & ipsum altare suffitus.* v. 18. 19. §. 285.

Altare h. l. intelligendum est suffitus. §. 286. 287. 288.

Non Holocausti. Solvitur objectio. §. 289.

Expiandum quoque à peccatis, quæ id polluerant. §. 290.

Etiam sanguine Juvenci & Hirci, sed nunc mixto. §. 291. 292.

Specialia de modo sanguinem cornibus imponendi, juxta Traditiones, quæ recte arcessuntur à potestate Ecclesiæ talia definiendi. §. 293 - 299.

Sanguis, qui super cornua Altaris dandus, etiam præcipitur spargendus. §. 299.

Et quidem super *Tectum* Altaris. §. 300.

Septem vicibus. Numerantur in totum XLIII. sparsionis vices. §. 301.

Reliquiis effusis super Fundamentum Altaris exterioris occidentalis. §. 302. 303. 304.

Quis ordo spargendi & effundendi obtinuerit, docet παράδοσις. §. 305.

Subjungitur scopus effectusque, inferens peccata totius Israelis polluentia Altare interius. §. 306.

Quæ vero per sanguinem módo dicto delenda erant. §. 307.

Effectus dicitur duplex; Purgatio & Sanctificatio. §. 308.

Porismata è v. 17. 18. formantur V. §. 309.

Mandatum decimum quintum de Dimissione Hirci vivi. v. 20. 21. 22. §. 310.

Ille ipse Hircus vivus, qui coram Deo constitutus erat. §. 311. 312.

Adducendus erat propius coram Deo. §. 313.

Sed demum absoluta Expiatione per sanguinem Juvenci & prioris Hirci. §. 314.

Postea ipse Pontifex omni nisu utramque manum Capiti hujus Hirci imposuerat, ac peccata expiata ei injecerat. §. 315.

Additâ Confessione. §. 316.

Quæ recte intelligitur voce התודה. §. 317.

Confitenda vero populi peccata, tum specialia, tum generalia. §. 318.

Juxta Legem nulla præſcripta erat ſpecialis confitendi Formula, ſed ſubſequente tempore præſcribebatur ab Eccleſia. §. 319.

Quæ vero varia. §. 320. 321.

Pontifice confitente populus devote extra ſtabat. §. 322.

Atque ita peccata Iſraelis in Hircum hunc transferebantur, eique imputabantur. §. 323.

His præmiſſis demum ſubſecuta erat ipſa dimiſſio in libertatem. §. 324. 325.

Locus generaliter indicatur מדבר *Deſertum* pecori caprino paſcendo inſerviens, nullum certum, ſed prout circumſtantiæ permittebant. §. 326.

Specialiter per voces ארץ גזרה & עזאזל. §. 327.

Illa communiter exponitur per *Terram exciſam, præruptam*, ut plenaria peccatorum remiſſio clarius ſiſteretur. §. 328.

Significantius per *Terram Pecoris* minuti. §. 329.

At *hæc* per *Paſcuum, in quo Capri, Hirci ibant.* §. 330.

Judæi vocant צוק *Locus præruptus.* §. 331.

Qui Hieroſolymis diſtabat XC. ſtadiis, vel XII. Milliaribus Hebraicis. §. 332.

Quæ differunt à Romanis & Græcis. §. 333.

Cubitus & Paſſus Hebræorum parum differunt. §. 334.

Tabella Comparationum Milliarium Hebræorum & Romanorum. §. 335.

Locus hic, quem Judæi definiunt, in Lege fundatus haud eſt. §. 336.

Hircus hic vivus deducendus erat per Virum עתי, qui varie explicatur. §. 337.

Κρίσει ſubjuncta probabiliter dicitur, Vir εὐκαιρίας, qui hoc officio *tempore* Expiationis defunctus erat. §. 338.

Varia de hoc Viro ex Traditionibus. §. 339.

Memoratus Hircus, non quidem propter peccata mori, attamen peccata ipſi imputata portare debuerat. §. 340.

Explicatur hinc phraſis *peccata portare*, ut auferantur à Populo, ceu morte ſocii jam expiata. §. 341.

Portanda vero erant ad *Terram Exciſionis, Paſcuum Pecoris minuti*, ut nulla ſuperſit peccatorum Recordatio, & Hircus hic vivus in Libertate exiſtat. §. 342. 343.

Dimiſ-

Dimiſſio in libertatem, ceu maximi momenti, ter repetitur, ut clarius ſciam figmentum eſſe, quod Judæi de morte hujus Hirci effinxerunt. §. 343.

Ex conſimili ratione repetitur Locus deſertum absque ſpeciali definitione. §. 344.

Subjiciuntur nonnullæ παραδόσεις, huc pertinentes. §. 345.

Quales ſunt (a) exſtructio pontis, ut Hircus ſuper eum ducatur. §. 346.

Cujus cauſa dicitur Petulantia Babyloniorum. §. 347.

Sive hominum malorum, confuſæ vitæ, qui ſecundum quosdam ipſum Hircum, ſecundum alios deductorem ejus conſpuerant & vellicaverant. Poſterius probabilius videtur. Unde Myſterium, quod hinc cuditur, fundamento caret. §. 348.

Quod porro probatur ex ſequente (b) Traditione, qua nobiles Hieroſolymitani eum ad Tabernaculum primum comitati erant, ne Ethnicis illuſioni eſſet. §. 349.

Quem quoque ad finem ſtructa erant Tuguria inter Hieroſolymam & צוק. Inventa etiam tot Tuguria, ne comites Leges itineris Sabbathici violarent. §. 350.

Ideo notatur diſtantia itineris Sabbathici. §. 351. 352.

Duci offerebatur (c) cibus potusque. §. 353.

Lingua coccinea dividebatur, parte ad Rupem, altera inter cornua alligata. §. 354.

Qua occaſione denuo παράδοσις de converſione Linguæ coccineæ in albam profertur. §. 355.

Dijudicatur incredibilis. §. 356.

Reſpondeturque ad Eſai. I. 18. §. 357.

Hircus vero de Rupe (e) præcipitatus dicitur. §. 358.

Id quod contra Legem, quanquam concedi queat poſteriores Judæos certis ex rationibus præcipitationem Hirci decreviſſe. §. 359.

Inſeritur παράδοσις de publica Legis Prælectione per Pontificem. §. 360.

Prælegerat vero Pericopas Legis hac de Expiatione. §. 361.

Additur ſpecialior Modus. §. 362.

Pompoſa quoque Traditio Libri in manus Pontificis. §. 363.

Hinc illuſtratur Luc. IV. 16-21. §. 364.

Dein veſtitus liber. §. 365.

Insuper Tempus. §. 366.
Tandem VIII. Preces fusæ. §. 367.
Porismata X. è v. 20. 21. 22. §. 368.

Mandatum decimum sextum. v. 23. 24. a. §. 369.
Continens officium (a) intrandi in tentorium Conventûs, ut probabile videtur, ad Acerram è Sanctissimo exportandam. §. 370.
(b) Exuendi vestes lineas. §. 371.
Easque relinquendi, ut in posterum nullus earum usus sit. §. 372. 373.
(c) Lavandi. §. 374. 375.
In loco atrii sancto. §. 376.
(d) Vestes Pontificiales ordinarias induendi. §. 377.
Porismata VI. ex v. 23. 24. a. §. 378.

Mandatum decimum septimum. v. 24. b. §. 379.
Comprehendens. א. Egressum è loco, in quo vestes induerat. §. 380.
ב. Oblationem Holocaustorum, de quibus supra v. 3. 5. §. 381.
Non vero illorum, quæ memorantur Num. XXIX. 3. §. 382.
Pontifex dicitur Holocausta עשה *fecisse*, more qui consuetus, circa hanc Sacrificiorum speciem. §. 383.
Et ita *expiasse.* §. 384.
Duo eruuntur Porismata è v. 24. b. §. 385.

Mandatum decimum octavum. v. 25. §. 386.
Quod præcipit adipem late accipiundum, quem Rabbini אמורים vocant. §. 387.
Tum Juvenci, tum Hirci. §. 388.
Incendendum in ara exteriori. §. 389.
Porismata III. è v. 25. §. 390.

Mandatum decimum nonum v. 26. præscribens officia posteriora. §. 391.
Ejus, qui Hircum in libertatem duxerat. §. 392.
Quorum *primum* vestes suas eluere. §. 393.
Alterum Carnem suam lavare. §. 394.
Peractis scil. iis, quæ circa Emissarium agenda ei erant. §. 395.
Atque ita Copia ei data erat redeundi ad Castra. §. 396.
Porismata V. è v. 26. §. 397.

Man-

Mandatum vigesimum. v. 27. 28. §. 398.
Agens de Hilasticis tum Juvenci pro Pontifice, tum Hirci pro coetu. §. 399.
Quorum sanguis in Sanctissimum & Sanctum illatus erat. §. 400.
At cadavera tota portabantur per longius spatium extra castra, sequente tempore extra Hierosolymam. §. 401.
Opera plurium, ex Traditione IV. virorum. §. 402.
Cadaveribus sibi invicem implicitis. §. 403.
Dein tota cremabantur. §. 404.
Ne quidem pellibus & fimo exceptis. §. 405.
Porismata IV. ex v. 27. §. 406.

Mandatum vigesimum primum. v. 28. §. 407.
Præcipiens comburentibus ceu pollutis. §. 408.
Vestium Lotionem. §. 409.
Lotionem quoque carnis propriæ. §. 410.
Cum facultate redeundi ad castra. §. 411.
Porismata II. ex v. 28. §. 412.
Verba, & *erit vobis Statutum seculare*, quæ communiter referuntur ad v. 29. rectius pertinent ad finem versus 28. §. 413.
Vox חקה notat *Statutum* Numinis arbitrarium, cæremoniale. §. 414.
Cujus duratio dicitur עולם, non *æternitas*, *perpetuitas*, sed *seculum* Oeconomiæ Mosaicæ. §. 415.
Rationes, quare hæc verba v. 28. annectantur. §. 416.

Tertia Capitis Pars continet officia totius Israelis communia. §. 417.
Præstanda mense septimo anni politici. §. 418.
Die decimâ hujus mensis, non nonâ, ut *C. Gottl. König* computat. §. 419.
IV. Dantur selecti hujus temporis rationes. §. 420.
Eæque examinantur. §. 421.
Officia præstanda sunt duo. §. 422.
Primum *Afflictio Animarum.* נפש *est Facultas Animæ* appetens sibi grata. §. 423.
Hæc vero affligitur denegando ea, quæ accepta; quod quidem fit *jejunando.* §. 424.
Sed insuper pluribus aliis modis, quos Judæi quatuor numero numerant. §. 425.

Alte-

Alterum *cessatio ab opere communi*, in proprium usum. §. 426.
Permissa erant opera sacra & necessaria ad liberandum è periculo vitæ. §. 427.
Subjectum horum officiorum tum Indigena, tum Proselytus. §. 428.
Sed *Justitiæ*, non *Domicilii*. §. 429.
Traditionarii excipiunt Regem & Sponsam, Puerperam, Uxorem picâ laborantem, Ægrotum, Pueros. §. 430.
Determinant quoque quantitatem, quam circa cibum potumque prohibitam habent. §. 431.
Etiam pœnam. §. 432.
Cum distinctione. §. 433
Porismata XII. è v. 29. §. 434.
Memoratorum officiorum ratio, scil. Expiatio. §. 435. 436.
Scopus. §. 437.
Effectus. §. 438.
Subjiciuntur Traditiones magni momenti. §. 439.
Specialia indicantur & examinantur. §. 440.
Corroboratur officium commune secundum, quod hac die observandum, *Sabbathum Sabbathi*, sive Sabbathum majus. §. 441.
Etiam commune primum, sive *afflictio animarum*. §. 442.
Utriusque duratio ad finem Oeconomiæ Mosaicæ. Notantur hinc hodierni infideles Judæi, utpote horum officiorum etiamnum tenaces. §. 443.
Porismata ex v. 30. V. §. 444.
Subjicitur curatior designatio, tum Personæ expiantis, tum objectorum expiandorum. v. 31. 32. §. 445.
Persona solenniter expians tribus characteribus insignitur. §. 446.
Primus *unctio* ejus præ Sacerdotibus gregariis. §. 447. 448.
Alter *solennis Inauguratio* loco Patris. §. 449.
Unde sequitur Pontificem Filium, non tamen necessario primogenitum, successisse. §. 450.
Solvitur difficultas. §. 451.
Tertius *Pontificialis vestitus*. §. 452.
Talis aptus ad solennem Expiationem. §. 453.
Juxta Leges Ecclesiasticas Pontifex (1.) per septiduum separatus vivere debuerat. §. 454.

(2.) Sub-

(2.) Subſtituebatur ei Vicarius. §. 455.

(3.) Exercebatur per hoc ſeptiduum in functionibus ſacerdotalibus. §. 456.

(4.) Etiam in legendis ſacris. Dabantur enim aliquando Pontifices Idiotæ. §. 457.

(5.) Die diem magnam antecedente exercebatur ſpeciatim in Juvencis, Arietibus, Agnis ſacrificandis. §. 458.

(6.) Toto hoc ſeptiduo multum cibi ei dabatur, ſed ſub veſpera ante ſolennitatem parum. §. 459.

(7.) Adjurabatur de non mutando cultu. §. 460.

(8.) Legendo ſomnus impediebatur. §. 461.

(9.) Hoc ipſum monendo, ſtando, negotiis intendebatur. §. 462.

Expianda vero erant quinque objecta, tria inanimata, Sanctiſſimum, Sanctum, Altare. §. 463.

Duo animata, Sacerdotes & Iſrael. §. 464.

Porismata VII. è v. 31. 32. §. 465.

Quarta & ultima pars Capitis continet Ἀνακεφαλαίωσιν v. 33. more aliarum Legum. §. 466.

In qua ſolennitatis hujus duratio ſecularis. §. 467. 468.

Dein ſcopus, ceu ſumma totius ſolennitatis; Expiatio ſcil. Filiorum Iſrael ab omnibus peccatis. §. 469.

Inſuper ſpeciale Tempus, in quod ſolennitas hæc incidit; אחת non *unâ* vice, ſed *unâ* die in anno. §. 470.

Tandem obſequium Aharonis exactum. §. 471. 472.

In fine adduntur VII. Porismata commatis ultimi. §. 473.

Analyſis Legis
Exod. XXX. 10.

In qua occurrunt *verba Legis una cum Nexu.* §. 474.

Lex hæc de ſolenni Expiatione eſt omnium prima, perbrevis, poſtea deducta, reiterata. §. 475.

Perſona, cui officium adſcribitur, Aharon, ſolus Pontifex eſt. §. 476. 477.

Officium ejus eſt expiare, ſive Peccatum, ceu cauſam Iræ Divinæ, tegere, ne condemnationi ſit. §. 478.

 Median-

Mediante ſanguine, non communi, ſed ſpeciali Sacrificii pro peccato, quod celeberrimum ob divitias Expiationum. §. 479.

In Cornibus Altaris ſuffitus. §. 480.

Unâ die in anno, minime unâ vice. §. 481.

Per longius tempus, non tamen determinatum, ſed quamdiu generationes gentis Judaicæ impermixtæ populum Dei conſtituent. §. 482.

Additur denique Legis hujus ſumma Exiſtimatio. §. 483.

Ultimo ſubjiciuntur VII. Poriſmata hac ex Lege formata. §. 484.

Analyſis Legis.
Levit. XXIII. 26-33.

Verba hujus Legis proponuntur. §. 485.

Legislator, qui plures alias ſolennitates ſacras in Capite XXIII. inſtituit, *etiam annuam Expiationem inſtituit*. §. 486. 487.

Commode inter Feſtum Buccinarum & Tabernaculorum, reſipiſcentiam inter & ſummum gaudium proponitur. §. 488.

Solennitas hæc eſt *Divinæ Originis*. §. 489.

Nomen ejus *Dies Expiationum* prorſus inſignium. §. 490.

Tempus *Dies decima* menſis ſeptimi in anno politico. §. 491.

Quare populus publice convocabatur ad cultum teſtandum & Pericopas Legis, quæ hanc ad ſolennitatem pertinent, & prælectæ erant, auſcultandum. §. 492.

Cultus hic conſiſtebat primo *in afflictione animarum*. §. 493.

Secundo in *oblatione igniti Jehovæ*. §. 494.

Notione collectiva, qua omnia igne conſumenda hac in ſolennitate intelliguntur. §. 495.

Quæ modo ſingulari *Jehovæ* conſecrabantur. §. 496.

Tertio *in curata quiete* hac die obſervanda. §. 497.

Motiva ſunt ingens *commodum* vel Expiatio Populi coram Jehova. §. 498.

Ingens dein *damnum* ex afflictione animæ omiſſe, quod eſt *excidium animæ*. §. 499.

Pœna

Pœna hæc non est politica, ecclesiastica, sed divina, quæ vero variabat. §. 500.

Quando additur: *è populis suis*: Pœna hæc videtur etiam posteritatem ferire. §. 501.

Phrasis & *exscindetur* vertenda vel *tandem* aut *etiam exscindetur*. §. 502.

Ingens porro simillimum motivum de quiete non violanda: *Perdam animam*. §. 503.

Intelligitur clare pœna divina, privans bono, quod quis antea habuerat. §. 504.

Quies præcipitur *curatissima*. §. 505.

Observanda usque ad finem Oeconomiæ Mosaicæ, Israele populo Dei distincto existente. §. 506.

Non in Tabernaculo aut Templo tantum, sed *passim Locorum, in quibus Israel degit*. §. 507.

Lex hæc *clauditur Epilogo*. v. 32. §. 508.

Qui continet Diei præstantiam. §. 509.

Officium (1.) affligendi animam. §. 510.

(2.) Sabbathum agendi. §. 511.

Tempus præcise notatum; integrum νυχθήμερον vel diem XXIV. Horarum, quæ more antiquo cum vespera incipit, desinitque. §. 512. 513.

Ultimo adduntur VIII. Porismata è commatibus 26-33. §. 514.

Analysis Legis.

Levit. XXV. 9. 10.

Verba hujus Legis sistuntur. §. 515.

Dein notantur *Partes*. §. 516.

Deus, qui *ordinavit solennitates* hebdomadales, menstruales, annuas, quovis septimo anno recurrentes, ordinavit *quoque recurrentes quovis anno L. sive Jubilæas*. §. 517.

Singulariter ἀξιομνημονευτὸν est, quod annus jubilæus in solenni Expiationum Die publicandus fuerit. §. 518.

Publicabatur autem *Instrumento* שופר *Buccinæ*. §. 519.

Quo תרועה sonus *sonorus*, isque *fractus*, edebatur. §. 520.

Personabatque ad indicandum solennitatem Jubilæi. §. 521.

Ex Mandato Synedrii. §. 522.

Die decimâ mensis septimi, nec alia, postulante Mysterio. §. 523.

Determinatio hujus temporis varie construitur; sensus tamen ferme idem. §. 524.

Non solum Synedrium clangore hanc solennitatem proclamabat; *Proclamabant insuper omnes alii per totam terram Canaan*, non tamen extra Canaan. §. 525.

Memorata Die Jubilæum sanctificabatur, vel discernebatur à communi anno in honorem Dei, tum per Synedrium, tum in Synagogis precibus fusis. §. 526.

Eratque annus quinquagesimus, non vero quadragesimus nonus. §. 527.

Hac die proclamabatur quoque דרור *Libertas*. §. 528.

Consistens in manumissione servorum, & *restitutione agrorum venditorum*. §. 529.

Manumittebantur omnes servi Hebræi, etiam auribus perfossi, non tamen Ethnici. §. 530.

Notatur digna παράδοσις de manumissione servorum & restitutione agrorum. §. 531.

Proclamatio hæc faciunda *omnibus habitatoribus*. §. 532.

Num vero tribubus quibusdam in Exilium abductis anni jubilæi ideo cessaverint, non liquet. §. 533.

Annus hic יובל *Jubilæum* dicitur. Ratio nominis varia datur. Quæ maxime probabilis videtur, sumta à cornibus arietum, quæ tum inflabantur. §. 534.

Jubilæi beneficia distincte memorantur duo: Primum reditus ad possessiones bonorum, agrorum, quarundam domuum, non tamen pecorum, æris alieni. §. 535.

Beneficium hoc omnibus commune, etiam sexui fœminino. §. 536.

Alte-

Alterum reditus ex statu servitutis ad Libertatem in familia propria. §. 537.

In fine adduntur XVI. Porismata ex v. 9. & 10. formata. §. 538.

Analysis Legis.
Num. XXIX. 7-12.

Verba Legis hujus exprimuntur. §. 539.

Studio & utiliter quædam hac Lege repetuntur, quæ jam supra à Mose tradita erant, sed & alia nova adduntur. §. 540. 541.

Continentur autem, quæ sequuntur, *tempus solennis* Expiationis. §. 542.

Jus commune Primum. §. 543.
Secundum. §. 544.
Tertium. §. 545.
Quartum. Hoc officium offerendi sacra publica quæ ære quoque publico emenda erant. Unde cœtui *oblatio* præcipitur. §. 546.

Sacrificia hac Lege præcepta constabant ex variis speciebus. I. *Holocaustis.* §. 547.

Quæ Jehovæ consecranda ad odorem acceptum. §. 548.

Et quidem talia erant. א. Juvencus, Filius Bovis unus. §. 549.

ב. Aries unus. §. 550.

ג. Septem Agni anniculi. §. 551.

Omnia hæc sine ulla macula. Unica macula ex pluribus victimam reprobam reddebat. §. 552.

Sacrificiis his addenda erant *ferta* vel munera farinacea, & quidem constantia. §. 553.

E simila vel flore farinæ probe cribrato. §. 554.

Oleo præstanti perfuso. §. 555.

Variâ quantitate pro varia magnitudine victimarum. §. 556.

Sale condita. §. 557.

II. *Sacrificio pro Peccato*, quod Hircus, non tamen is, cujus Levit. XVI. 15. mentio fit. §. 558. 559.

Excipitur Holocaustum juge. §. 560.

Tandem memorantur *Libamina* Holocaustorum. §. 561.

Varia quoque pro varietate Sacrificiorum. §. 562.

Porismata V. in fine superadduntur. §. 563.

Sensus Mystici de solenni Expiationum Die cum Fundamentis suis, tum generalibus, tum specialibus; Additis Tabellis Comparationum & Differitatum

Σύνοψις.

Sensus Mysticus Literali hactenus tractato longe est præstantior & quasi hujus anima; hinc solicite scrutandus est. §. 564.

Ordo Tractationis. §. 565.

Sensus Mystici fundamentum generale. §. 566.

Specialia: *Primum*: Ipse Spiritus S. hanc Legem in sacris sistit typicam. §. 567.

Secundum: Tota Lex Mosaica typica est. Ergo etiam specialis hæc eaque illustris. §. 568.

Tertium: Pontifex V. Testamenti, ejusque ordinariæ functiones sunt typicæ. Ergo etiam extraordinariæ & solennes hujus Diei. §. 569.

Quartum: Persona vel res, quæ habet figuræ nomen, typica. At Christus dicitur ἱλαστήριον. §. 570.

Quintum: Ministerium Diei Expiationis absque Mysterio Deo, Pontifice, & Israele indignum. §. 571.

Fundamenta hæc, maxime conjuncta, fortissime probant Mysterium. §. 572.

Mystica hujus Solennitatis haud habenda sunt, quæ contra Legem divinam finguntur. Exprimuntur quatuor. §. 573.

Mystica vero sunt, quæ hac de Solennitate prædicantur sive disertis verbis, sive per legitimas consequentias. §. 574.

Circa Mysterium duo sunt cavenda, defectus & excessus. §. 575.

Specia-

Specialissime. Mystica sunt : A. Legislator Deus. §. 576.

Non proprie Moses hoc in Mysterio. §. 577.

B. Sed Aharon Pontifex. §. 578.

C. Hujus insuper præparatio; sed cum distinctione. §. 579.

D. An occasio sit typica? Cum distinctione. §. 580.

E. Mysticus est Locus interior : *Intra velum versus Propitiatorium, quod supra Arcam.* §. 581.

F. Inest quoque Mysterium verbis : *Nam in Nube apparebo supra operculo Propitiatorio.* §. 582.

G. Etiam verbis : *Hoc modo ingredietur.* §. 583.

Aharon ipse Peccator Lege obligatus ad offerendum Juvencum Filium Bovis in Sacrificium pro peccato. §. 584.

H. Attamen Juvencus mysticus est. §. 585.

I. Etiam Aries. §. 586.

K. Insuper vestitus Pontificis extraordinarius. §. 587.

Quodnam Mysterium sit, quæritur. §. 588.

Varii varie de eo judicant; Additur ἐπίκρισις. §. 589. 590.

L. Præterea Lotiones, Immersiones, cum limitatione. §. 591.

M. Porro Mysterium inest utrique Hirco. §. 592.

Inquiritur quodnam sit Mysterium Hirci mactati. §. 593.

Et quodnam Mysterium Hirci vivi? Diversum fertur. §. 594. 595.

Subjungitur ἐπίκρισις. §. 596 - 603.

Additur verum Mysterium. Hircus mortuus refert Christum mortuum, sed vivus vivum. §. 603.

Objectiones contra hoc Mysterium proferuntur & refutantur. §. 604.

Quæritur : An Pontifex triplicem Peccatorum Confessionem edens repræsentaverit Pontificem Jesum Joh. XVII. orantem? Negatur. §. 605.

N. Sortes proporro mysticæ sunt. §. 606.

Quæstio : Quomodo Hircus male olens repræsentare potuerit Christum sanctissimum? §. 607.

O. Erat

O. Erat quoque suffitus hujus diei, isque in Sanctissimo, typicus. §. 608.

Mysterium indicatur *generaliter*. §. 609.

Specialiter: Non repræsentaverat intercessionem Christi gloriosam ad dextram Dei, sed humilem in terra. §. 610-613.

Objectiones prolatæ solvuntur. §. 613.

Quæstio: Quare sanguis Juvenci mactati non statim sparsus fuerit, ut Hirci? §. 614.

P. Ut & sanguis Juvenci & Hirci. §. 615. 616.

Q. Speciatim sparsus. §. 617.

Quæritur: An sparsiones memoratæ referant sedentem Jesum Christum in Throno Majestatis ac intercedentem? Negatur. §. 618.

R. Nec non effectus Lev. XVI. 16. *Et expiet ita sanctum illud ab immunditiis Filiorum Israel & à defectionibus eorum, ab omnibus Peccatis eorum.* §. 619.

S. Ostenditur Mysterium verborum Lev. XVI. 10. *Et sic faciet Tentorio Conventûs habitanti cum illis in medio immunditiarum eorum.* §. 620.

T. Ut & Legis de absentia ullius hominis in Tentorio Conventûs Lev. XVI. 17. §. 621.

U. Typica quoque est Altaris suffitûs expiatio, purgatio & sanctificatio factis jam sparsionibus in Sanctissimo & Sancto. §. 622.

W. Pariter ordo, juxta quem Hircus vivus non prius adducendus, ut dimittatur, quam absoluta Sanctissimi, Sancti & Altaris Expiatione. §. 623.

Quæritur: Annon huic Mysterio contrarientur, quæ v. 21. de χειροθεσία &c.? Negatur. §. 624.

X. Quæstio: Quid notet *Azazel*, ad quem Hircus vivus deductus; *desertum*; *Terra Excisionis?* Et quodnam Mysterium? §. 625.

Y. Mysterium *viri opportuni*. §. 626.

Z. Vestium Pontificalium depositarum. §. 627.

Lotionis & novæ Induitionis vestium non videtur commodus typus. §. 628.

AA. Sed

AA. Sed typus est oblatio Holocaustorum. §. 629.

BB. Incensio quoque adipis Sacrificii pro Peccato. §. 630.

CC. Etiam eductio Juvenci & Hirci extra castra & totalis combustio. §. 631.

DD. Nec non duratio solennis Expiationis. §. 632.

EE. Et quidem, quæ unica die, decima tisri faciunda. §. 633. 634.

Cumulatim sistuntur Mysteria Israelitarum se affligentium, quiescentium, Indigenarum, Proselytorum, Commatum à 30- ad finem in Lev. XVI. ut & Exod. XXII. 10. Luc. XXIII. 26. 34. quæ in Exegesibus & Porismatibus ad hæc Loca jam reperiuntur, aut supra in quæstionibus. §. 635 - 640.

Ultimo loco Mysteria subjiciuntur scil. Legis significantissimæ Lev. XXV. 9. 10. quæ promittit felicissima tempora sub N. Testamento adhuc exspectanda, Israelem N. Testamenti à servitute, paupertate, omni denique miseria liberantia. Nec non Num. XXIX. 7 - 12. quæ docet consummatum Sacrificium expiatorium in morte Jesu Christi & simul Communionem Fidelium cum hac morte. §. 641. 642.

Tandem subjiciuntur Tabulæ. §. 643.

א. Comparationum

Et quidem *primò* generalis, sistens Expiationem typicam per Aharonem, antitypicam per Jesum Christum. §. 644.

Secundò speciales, ut sunt

1. Comparatio Pontificis V. & N. Testamenti. §. 645.
2. Inter suffitum Aharonis & preces Pontificis Jesu Christi. §. 646.
3. Inter victimam piacularem, typicam & antitypicam. §. 647.
4. Inter aspersionem Sanguinis Hirci, & Sanguinis Jesu Christi. §. 648.
5. Inter ducem emissarii in desertum & duces Evangelii de fructibus Christi vivi. §. 649.
6. Genuinum Expiationis subjectum sub V. & N. Test. §. 650.
7. Tempus Expiationis sub V. & N. Test. §. 651.

2. Differitatum. §. 652.

Tabellæ Differitatum

α. Specialis primò depingens differentiam inter Aharonem infirmum & Pontificem Jesum Christum gloriosum. §. 653.

β. Inter imperfectionem suffitus sub V. Testamento & perfectionem precum Christi. §. 654.

γ. Inter victimas piaculares sub V. Testamento & victimam Pontificis Jesu Christi. §. 655.

δ. Inter Sanguinem Bestiarum & Jesu Christi. §. 656.

ε. Inter Hircum vivum, libertati redditum, ejusque ducem ductumque & Christum vivum, liberum, ejusque præcones. §. 657.


ϛ. Inter subjectum Expiationis sub V. & N. Testamento. §. 658.

ζ. Inter tempus Expiationis sub utroque Testamento. §. 659.



EXE-


EXEGESIS
LEGUM OMNIUM
De
Solenni Expiationum Die,
quæ exſtant
apud
M O S E N,
Scil. Levit. Caput XVI. integrum
Exod. XXX. 10.
Levit. XXIII. 26-33.
- - - - XXV. 9. 10.
Num. XXIX. 7-12.



EXEGESIS LEGIS PRINCIPALIS

De Solenni Expiationum Die, quæ exstat Levit. XVI.

§. I.



Ota quidem Lex cæremonialis, ceu divina, sapientissima, fatidica, quæ Christo, quæque Christianis eventura sunt, tanquam ἐν σκιᾷ delineata doctissime referens, jure ab omnibus, illis præsertim, qui λόγια τῦ Θεῦ in honore habent, atque attenta eorum Meditatione diu noctuque delectantur, sedulum devotumque poscit Examen. Vix tamen ulla ejus Pars est, quæ propter summam sapientiam atque δήλωσιν πνευματικὴν, qua opus redemtionis sanctificationis & glorificationis per operam Pontificis Jesu Christi ejusque Sacrificium in ordine resipiscentiæ & veræ fidei vividis coloribus depictum sistitur, magis inconnivam contemplationem nostram flagitat, ac Ministerium Diei Expiationis, prout vel Pontifici peculiare vel toti cœtui Israelitico commune erat. Atque hoc jam olim docuit Legislator, qui in aliis brevissimus, prolixe admodum ac sæpius de functionibus illa Die à Pontifice totoque cœtu obeundis scripsit. Non contentus erat, ut pro ratione aliorum Festorum, brevem aliquam ἐκτύπωσιν exhiberet,

veluti

veluti Exod. XXX. 10. Levit. XXIII. 27 - 33. XXV. 9. 10. & Num. XXIX. 7 - 12. Sed insuper integrum XVI. in Levitico Materiæ huic scitu necessariæ plenius proponendæ destinavit Caput. Divinus scriptor, qui Epistolam ad Hebræos Ecclesiæ reliquit, perspicue & sæpius Mysterium Pontificis & Mortis Jesu Christi tradit, ut attentos doceat, fundatum illud esse in Ministerio Diei Expiationis. Judæi pariter & veteres & recentiores in solennitate hac describenda multi sunt. Integer Tractatus, quem ob Excellentiam illius Diei יומא DIES appellant, hac de re *in Corpore Juris Judaici* prostat, quique insuper partim in ordinariis glossis, partim in Commentationibus scripturæ data occasione à variis, iisque eruditissimis Scholæ Judaicæ Doctoribus egregie illustratus est, quemadmodum ex inferius dicendis elucebit.

§. 2. His exemplis, divinis & humanis, aliisque rationibus motus judicavi operæ pretium esse, ut *Ministerium Expiationis*, ceu Thema cognitu utile non minus ac jucundum pertractem. Æquissimum mihi videbatur ea, quæ Deus in Lege statuit, Apostolus enodavit, & meditanda Hebræis in cultu hoc exercitatis reliquit, quæque Judæi recte vel secus ad planiorem intelligentiam adjecerunt, legere, colligere, dijudicare, observationibus vel aliorum vel propriis augere, ut me & Commilitones, quorum commoda promovere, susque deque habita omni molestia, perquam cupio, insigni *de Functionibus expiatoriis decima tisri* cognitione instruerem. Hunc scopum optime me assecuturum credidi, quando cuncta in Cap. XVI. Levitici divinam Methodum sequens examinavero, cum aliis alibi in Lege reperiundis contulero, super hac re Traditiones, Explicationes Judaicas debito loco collocavero, de earum veritate aut falsitate judicium meum apposuero. Nolo quidem alios, qui Antiquitates sacras vel ad propriam, vel Judaicam Methodum, qualem in Mischna, Maimonide reperis, exponunt, redarguere; Possunt enim utilia diversa conscribi ratione. Hoc tamen in labore consultum duxi, verba Legislatoris, ut illa Levit. XVI. exstant, presse sequi, ac plenius exponere. Hæc enim Methodus est ipsius Dei, qui, ut Leges tulit, illarum etiam ordinem optime novit. Prodest præprimis illis, qui Antiquitates sacras ad Scripturam intelligendam legunt. Sensu literali ad hunc modum præmisso subjiciam mysticum, vere animam prioris, nam qui illum solum cognoscit, parum vel nihil scit, verba Dei ad literam, non ex intentione

tione

tione ejus præcipua assequitur. Est tamen cognitu summe necessarius, sine quo δήλωσιν πνευματικὴν solide scire prorsus impossibile est. Deridendi merito illi sunt, qui posthabita exacta literæ pensitatione imprudenter Mysteria quærunt, atque pro turpi licentia, quam sibi sumunt, commentitia ex cerebellis suis effingunt: Similes iis, qui, nescio quæ futura, ex vaticiniis literaliter nondum intellectis prædicunt. Ejusmodi profecto homines pessime de verbo Dei merentur, nec illam, quam scriptis humanis reverentiam debent, divinis adhibent. Utrumque itaque sensum, uti Materiæ Natura poscit, pro virili explanabo. *Tu vero Spiritus Sancte doce me genuinum & Literæ & Spiritus significatum!*

§. 3. Missa omni alia mora *Caput XVI. in tertio Mosis Libro* explicandum aggredior. *Continet autem quatuor Partes; Præfamen* v. 1. 2. *Officia Pontificis* v. 3 - 29. *Officia dein totius populi* v. 29 - 31. & ἀνακεφαλαίωσιν v. 31. fin. Verba Præfaminis hæc sunt: *Præterea locutus est Jehova cum Mose post mortem duorum Filiorum Aharon, (qui, quoniam appropinquarunt in conspectum Jehovæ, mortui sunt) dixitque Jehova ad Mosen: Alloquere Aharonem Fratrem tuum, ut non ingrediatur omni tempore illud sanctum, quod intra velum versus Operculum Propitiatorium, quod super Arca, ne moriatur, nam in nube apparebo super Operculo Propitiatorio.*

In quo distinguitur *Nexus*, *Legislator*, *Minister*, *Tempus hujus Legis*, *causa interdicti*, *pœna*, *ipsum interdictum.*

§. 4. א. *Nexus cum antecedentibus*, quem Particula ו multarum notionum in voce וידבר indicat. Conjungitur ita lex hæc cum prioribus, maxime a Capite X. quo *Sanctus Israelis* docet se velle à Populo & servis suis sanctificari. Præscribit itaque Leges purificantes, quæ concernunt animalia Cap. XI. Puerperas Cap. XII. Leprosos Cap. XIII. XIV. varie immundos Cap. XV. Capite, quod exponimus, Purificationem totius populi solennem. Commode vertimus: *Præterea locutus est Jehova* &c. vide usum hujus voculæ Gen. III. 15. Jer. XXXIX. 7. ut & καὶ 2. Pet. I. 19. & in tot aliis locis, quæ reperies apud *Noldium* in *Concord. Particul.* p. 283.

§. 5. ב. Legislator est יהוה. Hic non tantum ἐφανέρωσε τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Rom. I. 19. omni carni dando lumen Theologiæ Naturalis, & inscribendo τὸ ἔργον τοῦ νόμου ἐν ταῖς καρδίαις Cap. II. 15. ut

omnes

omnes natura sciant existentiam, essentiam & perfectiones divinas, turpia ac honesta, illa fugienda, hæc amanda esse. Sed Israelem peculium suum Legibus insuper aliis, quæ à liberrimo & sapientissimo suo beneplacito dependent, circumscripsit, constituitque Populum נבדל *separatum* ab aliis gentibus in fide & cultu. Legislator *Jehova* probe tenendus; Nam Legi dat auctoritatem. Summum obligationis vinculum oritur à legislatore, qui *Jehova*, qui perfectissimus est, qui quoque populo suo omne id dedit, datque, quod habet, quare quam sæpissime Leges corroborantur verbis: *Ego Jehova* Lev. XIX. 14. 16. 32. 37. Hæc lex de expiatione singulariter postulat latorem divinum, utpote maxima delineat promittitque Beneficia, quæ ratio non docet. Jehova Hebr. IX. 8. exponitur *Spiritus S.*, *qui omnia scrutatur, etiam profunditates Dei* 1. Cor. II. 10. Tuto igitur tanto Legislatori omnem adbibemus fidem, ceu *Spiritui Sapientiæ & Revelationis.*

§. 6. Jehova *locutus est*, non quidem audiente & intuente toto populo, prout in νομοθεσίᾳ, factum, sed' solo Mose: *Præterea locutus est Jehova cum Mose;* sic enim Leges Ceremoniales, præsertim, à quo Deus Rex populi Judaici declaratus est, atque palatium suum inhabitavit, ferebantur, veluti Levit. I. 1. *Inclamavit Jehova Mosen', & locutus est cum eo è Tentorio Conventûs*, & sic intelligendæ sunt sequentes allocutiones Cap. IV. 1. VI. 1. VIII. 1. XI. 1. XII. 1. XIII. 1. XIV. 1. XV. 1. factæ è Tentorio Conventûs, in quo alis Cherubinorum insidens delitescebat, ut sibi & Legibus suis maximam auctoritatem venerationemque apud populum conciliaret & sic timorem animis subditorum incuteret Exod. XXV. 22. Nimia enim familiaritas contemtum parit, sed qui raro & tum quidem modo glorioso & terribili apparet, admirationi terrorique est, qua ex causa Orientales Reges parce admodum in publicam conspectum prodibant, Leges per Ministros Potentia & Sapientia graves subditis notificabant.

§. 7.).(Deus *per Ministrum* cum Israele egit, Mosen scilicet servum נאמן πιςὸν ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτȣ̃, *fidum in Domo* h. e. Ecclesia Judaica Num. XII. 7. Hebr. III. 5. qui summa fide verba Domini sui retulit; per virum, qui Deo familiariter utebatur, quique jam ante fortitudine, potentia & miraculis in eductione Hebræorum ex Ægyptiaca servitute inclaruit. Hujus itaque Ministerium in proponenda

nenda Dei voluntate erat percommodum, nam fidelitas, amor populi tenerrimus, atque plura alia integritatis Moſis Documenta Hebræis conſtabant, & illos ad obediendum convincebant. Dein notandus eſt ſingularis Honos Moſis hac in Lege. Res quidem erat Deo cum Aharone, ſed hunc non immediate allocutus erat, verum mediate per Fratrem Moſen. Hic modum expiandi eum docuerat, exſtiteratque ipſi לאלהים *loco Dei.* Exod. IV. 16.

§. 8. ד. *Tempus Legis hujus datæ* indicatur verbis: *Poſt mortem duorum Filiorum Aharon.* Clare reſpicitur lugubris Hiſtoria, quæ plenius exſtat Lev. X. 1. 2. Rarius notatur tempus ſpecialium Legum latarum, ut hic. Inquirentes in rationes, ſequentes obſervamus. *Prima* facit ad certitudinem hiſtoricam. Hiſtoria, cujus tempus exprimitur, habetur certa, illuſtratque alia tum geſta. *Secunda* docet rurſus gloriam Moſis. Pergit enim Jehova cum Moſe familiariter loqui, aliis præteritis, Filiis Aharonis morte divina illata conſumtis. Hunc ad finem ſcripſit Abarbanel fol. CCL. C. 3. M.
וענין אמרו וידבר י"י אל משה אחרי מות הוא להודיע שמ" רעה להיותו
מוכן לנבואה בכל עת היה הרצון האלהי וחפצו שיכנס בכל עת אל קד"ש
הקדשים לדבר אתו שם וכמו שאמר ובבא משה אל אהל מועד וג"ו:
Verba & locutus eſt Adonai cum Moſe poſtquam mortui ſunt (duo Filii Aharonis) *indicat Moſen omni tempore Prophetiæ accipiendæ diſpoſitum eſſe: Placere Deo, ut quovis tempore Sanctiſſimum ingrediatur, ad colloquendum cum eo*, prout ſcriptum eſt Num. VII. 89. quum ingrederetur Moſes in tentorium Conventûs, ut loqueretur cum Deo, tunc audiebat vocem ſermocinantem ſecum. Et ſtatim infra ait primum comma eo pertinere. להגיד מעלתו של משה שמיד אחרי מ"ת
בני אהרן דבר אתו השם באותו מקום עצמו שהם מתו שמה והודיעו
שהיתה מיתתם בעבור קרבתם לפני השם ולכן וימותו מקום שנתקרבו
שם והיה אם כן המקום ההוא גורם למשה ודבור ומעלת הנבואה; *ut teſtetur de Excellentia Moſis, quem Deus ſtatim ac mortui ſunt Filii Aharonis, allocutus eſt. Idque factum in eo ipſo loco, in quo illi miſere vitam finierunt. Unde clare colligitur mortis cauſam aliam quærendam non eſſe, quam in approximatione ad Deum: Idcirco mortui ſunt eo ipſo in loco, ad quem acceſſerunt. Atque ſic locus hic ſermocinationem & præcellentiam Prophetiæ Moſi procreabit.* Scriptum enim eſt: Locutus eſt Jehova cum Moſe poſt mortem duorum Filiorum Aharonis.

§. 9. ה. Occasio & causa interdicti quod exstat, v. 2. ostenditur. Nadab & Abihu intrantes in sanctum igne divino absumti sunt. Caveat itaque sibi Aharon ab ingressu, ut plenius dicemus.

§. 10. Quo igitur causa mortis illatæ clarissime constet, additur verbis בקרבתם לפני־יהוה וימתו *quum accessissent in conspectum Jehovæ, mortui sunt.* Oncelos transfert: *Quando obtulerunt* אשתא נוכרתא *ignem alienum coram Domino & mortui sunt.* Supplementum petiit ex Lev. X. 1. quod quoque LXX. Vulgatus, Syrus fecerant. Parum refert, num transferas: *Quum accessissent illi*, vel *ideo quia accesserunt illi in conspectum Jehovæ.* Habet enim Particula ב etiam hanc notionem, observante *Noldio lib. cit. pag.* 160. Sensus eodem quoque redit, testans accessum Filiorum Aharonis coram facie Dei voluntati & reverentiæ numinis contrarium fuisse. Est enim Deus summe venerandus, colendus ea, quam præscribit, ratione, non quam homo excogitat. Talis alias cultus esset ἐθελοθρησκεία, quæ Deo displicet Coloss. II. 23.

§. 11. Crimen Filiorum Aharonis illustraturi specialius attendemus (a) ad vocem בקרבתם dein, (b) לפני יהוה *in conspectum Jehovæ.* Vox קרב notione specialiori accipitur *de accessu ad Deum, qualis Sacerdotum ministrantium est*, vide Ezech. XL. 26. *Filii Zadock* הקרבים *accedentes ex Filiis Levi ad Deum, ut ministrent ei.* Ut & Exod. XL. 32. ubi ipsissima constructio בקרבתם *quando (sacerdotes) accedent ad Altare.* Recte itaque intelligitur accessus Sacerdotalis, qui cultum Legi divinæ respondentem postulaverat. Phrasis *in conspectum Jehovæ* varium ob varium ejus usum admittit significatum. Quia Deus est omnipræsens, etiam conspectus ejus omni in loco. *Vel quo fugiam à facie Dei.* Ps. CXXXIX. 7. Pii ubique terrarum in *conspectu Dei* sunt Gen. XVII. 1. Strictius notat *terram Canaan* Jon. I. 3. Sensu adhuc strictiori *Tabernaculum, Templum*, ceu Palatium divinum, in quo Deus symbolice habitans habebatur faciem suam erga adorantes convertisse Jer. VII. 10. Exod. XXIII. 17. Comparentes hinc dicuntur coram *facie Dei.* Substratæ Personæ exigunt, ut sensum magis constringamus, atque intelligamus locum Sacerdotibus ad suffiendum destinatum. vid. Lev. X. 1. Quando vero suffitus fieri poterat, ac sequente tempore incensus erat jam in Sancto, jam & rarius in Sanctissimo, quæritur, num illud, num hoc accipi debeat. Resp. Posterius. Poscit comma secundum, quod imme-

immediate sequitur. Etenim Sanctissimum ingredi Aharoni prohibetur. Ergo Filii Sanctissimum ingressi sunt. Interdictum alias non responderet crimini. *Filii sanctum intrarunt sine reverentia. Tu itaque Aharon non intrabis Sanctissimum.* Et quoniam Deus Israelis proprie sub Symbolo in Sanctissimo habitabat, ἐν δυνάμει dicitur esse *in conspectu Jehovæ*, qui in Sanctissimo versatur. Qua explicatione admissa crimen Filiorum Aharonis gravius cernitur. Unde minus mirum Sanctum Israelis gravissime in illos animadvertisse; occupati erant in Ministerio, versabantur in ipso Sanctissimo immediate coram Throno Dei & tamen *ignem peregrinum* incenderant.

§. 12. 1. Pœna, quam meriti erant, dicitur *mors*, & *mortui sunt.* Mors intelligitur non naturalis, sed præternaturalis, illata, ut Hebræi loquuntur ביד י״י *manu ipsius Dei*, ut legimus Levit. X. 2. *Et exiit ignis è conspectu Jehovæ, & absumsit illos, & mortui sunt coram conspectu Jehovæ.* Nonnihil impedit particula ו & in voce *& mortui sunt.* Vulgatus, Lutherus & alii pro redundante habent (redundat autem quam sæpissime, ut scire licet ex *Noldii Concord.* p. 314. &c.) Chaldæus, Syrus & alii transferunt per ET. At sonus durior est. Schmidius emollit sequenti translatione: *Præterea locutus est Jehova ad Mosen post mortem duorum Filiorum Aharonis, quum accessissent ante Jehovam & mortui essent. Dixit*, inquam, *Jehova ad Mosem.* Emolliretur quoque Phrasis vertendo ו per *tunc*, hoc modo: *Quum accessissent in conspectum Jehovæ, TUNC mortui sunt.* V. Jes. VI. 1. vel per *ideo*: *Quia accesserunt in conspectum Jehovæ, IDEO mortui sunt.* V. Gen. III. 23. Plurima dat Exempla Auctor memoratus, Particularum scrutator ad admirationem diligens. Æquo subtilior est Bechai duas fingens Filiorum Aharonis transgressiones in *Comment.* f. CXLVII. c.4. האחת במחשבה אשר עליה נגזרה עליהם מותה והשנית במעשה שמתו בה׳ *Quarum una cogitatione, altera perpetratione facta. Ob cogitationem mors decreta, sed ob perpetrationem illa subsecuta est.* Illam Exod. XXIV. 10. 11. Hanc Levit. X. 1. &c. comprehensam putat & verbum בקרבתם *quum accederent*, refert ad priorem, sed וימותו *& mortui sunt* ad posteriorem locum, quippe Levit. X. 1. non הקרבה *accessus*, sed, הקריבה *oblatio* ignis peregrini mortis causa perhibeatur, de quo quoque disputantes reperis Magistros R. Josen Galilæum & R. Akibham in *Jalkut* f. CLXIV. 1. Sed hæc solida non sunt. Nam *a.* in Exodo mortis Nadabo &

 Abihu

Abihu propter acceſſum ad Deum decretæ mentio non fit. *b.* Nec hi duo ſoli cum Moſe montem aſcenderunt aſpexeruntque Deum Iſraelis, ſed & Aharon & LXX. è Senioribus Iſraelis. Ergo etiam his eadem adjudicata erat. Non enim diſcrimen aliquod inter aſcendentes notatur. *c.* Nulla quoque neceſſitas verbis Textus ineſt, ut illa de duplici morte intelligamus. Verbis *locutus eſt Jehova cum Moſe poſt mortem duorum Filiorum Aharon*, cujus nunc cauſam ſequentibus indicat: *Qui, quum accederent*] *in conſpectum Jehovæ, tunc mortui ſunt.* Vel *quia acceſſerunt in conſpectum Jehovæ, ideo mortui ſunt.* Nec repugnat cum illis C. X. ויקריבו *& obtulerunt ignem peregrinum*, nam utrumque factum eſt, utrumque quoque malum, quo Deus ad iram provocabatur.

§. 13. Terribilis hæc pœna acutum reliquit ſtimulum cavendi ſibi à conſimili irreverentia in Miniſterio Sacerdotali. Vel quid fortius horrenda pœna Nadab & Abihu propter approximationem ad Deum inflicta? Nam exempla nova & inteſtina præſertim ad movendum plurimum valent. Bene veteres Judæi ſimili illuſtrarunt: מה תלמוד לומר היה רבי אלעזר בן עזריה מושלו משל לחולה שנכנס אצלו רופא אמר לו אל תאכל צונן ואל תשכב בטחב בא אחר ואמר לו אל תאכל צנון ואל טשכב בטחב שלא תמות כדרך שמת פלוני זה זרזו יותר מן הראשון לכך נאמר אחרי מות שני בני אהרון *Quid Textus* (v. 1. & 2.) *vult?* Reſp. *Eleaſar Filius Aſariæ accomparat infirmo, cui Medicus, qui ipſum inviſebat, dicebat: Noli frigidum comedere & cubare in loco humido. Acceſſit illum alius atque ita dixit: Noli frigidum comedere & in humido jacere, ne moriaris, prout mortuus eſt* N. *hujus monela priori longe fortior erat. Ideo hic quoque additur:* Poſt mortem duorum Filiorum Aharonis, &c. Quare Spiritus S. in verbo ſuo ſæpiſſime exemplis monet atque illis à peccatis nos abſterret, uti Luc. XVII. 32. μνημονεύετε *mementote uxoris Loti:* Mementote impurorum Sodomitarum & Gomorrhæorum, qui, uti Judas dixit, πρόκεινται δεῖγμα πυρὸς αἰωνίȣ *ſuſtinentes*: & Paulus in ſimili materia 1. Cor. X. 6. Hæc τύποι ἡμῶν *acciderunt, ne concupiſcamus res malas, ſicut illi cupiverant*, nam aliena pericula ſapientem cautum reddere debent.

§. 14. Priusquam progredior ad vers. 2. duo adhuc referenda ad v. 1. Ex his primum: Deus h. l. dicitur tantum allocutus Moſen, non Aharonem, ut alibi ſæpe, veluti Lev. XI. 1. XIII. 1.

XV. 1.

XV. 1. Abarbanel haud male annotat: Recte hinc colligi præcellentiam Mosis præ Aharone, uti jam supra dictum §. 8. Præterea observandum, quod interdictum divinum rectius mediate per Mosen datum, quam immediate ad Aharonem. Facit magis ad Majestatem legislatoris, interdictum, intercedente Ministro, ferre.

§. 15. Alterum exstat: *Præterea locutus est Jehova ad Mosen*, sed id, quod locutus erat, clare non exprimitur. Prævidit hanc difficultatem Seb. Schmidius ac conatus est tollere ita vertendo. v. 1. *Præterea locutus est* &c. & v. 2. ויאמר *dixit*, inquam, *Jehova ad Mosen*; *Loquere ad Aharonem* &c. Objectum ergo est interdictum v. 2. Consimilis phrasis, quæ occurrit 2. Reg. XVIII. 28. וידבר–ויאמר *& locutus est, dixitque*, tantundem valet ac communis illa וידבר לאמר *& locutus est dicendo* Exod. XVI. 11. Num. XXVIII. 1. Gen. VIII. 15. XVII. 3. Missis criticis, quæ ad rem parum faciunt, transeo ad

§. 16. ו· Ipsum interdictum v. 2. quod ita sonat: *Alloquere Aharonem, fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur illud sanctum, (quod) intra velum, versus operculum propitiatorium, quod super Arcam.*

§. 17. Moses ergo immediatum accepit à Deo mandatum; At Aharon mediatum per Mosen. Statim ab initio Missionis Moses junior prælatus; erat Aharoni seniori. Hic enim declarabatur *os* Mosis. Moses vero *Deus* Aharonis Exod. IV. 16. Deus liberrimus est, & carnis rationem non habet, sicuti toties testatus præferendo natu minores majoribus. Moses etiam sequente tempore primas tenebat, referebatque *Vice-Regem*, erga ipsum quoque Aharonem. Quo speciatim quoque referimus prærogativam familiariter cum Deo loquendi, & ex ore ejus jussa audiendi. Hinc Num. XII. 8. *Oretenus* אדבר *loquar cum eo*, & supra Cap. VII. 89. *quando ingressus est Moses in tentorium Conventus & audivit vocem* מדבר *loquentis (Dei) cum eo de propitiatorio, quod super Arcam Testimonii, è medio duorum Cherubinorum,* וידבר *ita (nimirum) locutus est ad ipsum.* Id quod ægre tulerat Aharon cum Sorore Miriam. hinc jactantes & indignantes sistuntur, *an tantummodo cum Mose* דבר *loquitur Deus? Annon etiam nobiscum* דבר *loquitur Deus, & exaudict nos.* Num. XII. 2. sed fastus sui commeritam tulerunt pœnam. Moses non ex ambitione sibi hanc gloriam dederat, sed jussus à Deo. *Alloquere Aharonem*

uem vel *præcipe Aharoni* nomine meo, ſicuti Arabs hanc vim voci דבר hoc loco tribuit. Conf. Gen. XII. 4. Lev. XXI. 16. 17. &c.

§. 18. Ex Hebræis, ceu ſingulare quid Abarbanel notat; quod exſtat: *Alloquere Aharonem fratrem tuum. Annon novit Aharonem* הלא ידע כי אהרן אחיו *eſſe fratrem ſuum?* Abarbanel fol. CCL. c. 1. Alibi ſimpliciter *Moſes* & *Aharon* ſuppreſſo nomine *Fratris* dicuntur, Levit. XI. 1. XIII. 1. Ita quoque Levit. VI. 2. *Præcipe Aharoni* C. VIII. 2. *Accipe Aharonem* Conf. C. X. 6. 12. 19. Difficultatem motam altera Columna ita ſolvit: אף על פי שהוא היה אחיו לא יחשוב בלבו שכל מה שהיה מותר למשה היה מותר לאהרן וכיון שמשה היה נכנס תמיד אל קדש הקדשים היה אהרן כן כל שכן בראותו שבמעמד הר סיני נאמר לו רד ועלית אתה ואהרן עמך והכהנים והעם אל יהרסו וגו׳ כאלו היו שני האחים שוים במעלות הנבואה! כי הנה במקדש י״י לא: יהיה כן Adjectum eſt nomen Fratris tui, *ne Aharon exiſtimet omne id ſibi licitum eſſe, quod licitum erat Moſi, cujus Frater eſt, adeoque habere poteſtatem jugiter adytum intrandi, æque ac Moſes: Idque eo magis, quod quando ſtabant in monte Sinai, dictum noverit* abi & deſcende ac aſcende tu & Aharon tecum, ſed Sacerdotes & Populus terminum ne perrumpunto &c. Exod. XIX. 24. qs. *eſſent duo Fratres eodem Prophetiæ gradu gaudentes*, ſed ab exſtructo ſanctuario res ita ſe non habet, & paucis interjectis הנה מעלותיהם לא היו שוות כי אהרן היה בבל יבא אבל משה לא היה בבל יבא כמו שדרשו ר״זל: *Ecce dignitate non ſunt æquales: Aharon enim tenebatur ad interdictum, ne ingrediatur, ſed Moſes non item, prout Magiſtri noſtri p. m. explicarunt.* vid. inſuper f. CLXIV. c. 1. Judicat itaque Abarbanel Fratris nomen ideo extra ordinem adjectum fuiſſe, ne eo ipſo, quod Moſis Frater eſt, ſibi idem adſcribat Privilegium, quod ille habet. Hæc quidem ſpeciem veritatis haberent, ſi non alibi, ubi hæc ratio valere nequit, conjunctim *Aharon Frater tuus* reperiretur. Habes loca Exod. XXVIII. 2. 3. Exod. IV. 14. VII. 1. 2. Num. XX. 8. Promiſcue itaque modo ſimpliciter *Aharon*, modo *Frater Moſis* dicitur. Major Moſis dignitas aliunde quidem conſtat, ſed hinc non firmiter probatur.

§. 19. Sequitur ipſum interdictum: *Ne omni tempore ingrediatur illud ſanctum, quod intra velum, verſus operculum propitiatorium,*

quod

quod super arca. Accurate describit locum, à quo Aharon abesse debeat. קדש sive originem, sive etiam ejus usum spectes, *Locum Sacrum*, Deo, ejusque cultui consecratum notat. Vocabulum adeoque generale est, quod circumstantiæ demum determinant. Ita *anteriorem sanctuarii partem* per קדש intelligendum esse Exod. XXVIII. 29. 35. facile scio, nam Pontifex Pectorale & Pallium cum Tintinnabulis & Malogranatis indutus illud ingredi dicitur, sed vestibus his ornatus ad Locum sanctissimum non pertingit Lev. XVI. 4. Posteriorem autem in commate, quod pro oculis est, ex Textu, rationibus & auctoritatibus. Dicitur enim הקדש *Sanctum illud*, puta quod מבית לפרוכת *intra velum*, scil. disterminans Sanctum à Sanctissimo: Hoc enim ita appellatur. vid. infra v. 12. Exod. XXVI. 31. XXXV. 12. Bene explicat Abarbanel p. cit. C. 4. אחר הפרוכת *retro velum.* Sic Arca testimonii reponenda מבית לפרכת Exod. XXVI. 33. Sed hæc sine dubio in adyto sita erat. Phrasis מבית לפרכת opposita est מחוץ לפרכת. At hæc Locum exteriorem ratione veli ad ortum significat, uti Exod. XXVI 35. & *pones mensam* מחוץ לפרוכת *extra velum in sancto.* Conf. XL. 22. & de Lychnucho C. XXVII. 21. Ergo vi oppositionis illa interiorem versus occasum vid. Exod. XXV. 11. 1. Reg. VII. 9. Insuper, ut in loco cognoscendo certissimi simus, explicationis gratia porro additur *versus faciem operculi propitiatorii*, *quod super Arca.* Quis vero, hodie saltem, nescit locum Arcæ in Sanctissimo Exod. XXVI. 33. XL. 3. Hebr. IX. 4. Quando memorat פני *faciem operculi* &c. Locum in Sanctissimo specialius determinat. Non enim Pontifex unquam copiam habuerat ad latera, multo minus ad tergum operculi standi, non nisi ad partem ejus anteriorem, vel orientalem. Alias peccasset contra reverentiam numini debitam. Rationes idem evidenter docent. Vel quid hic הקדש *sanctum*, in quod Aharon omni tempore ingrediendi licentiam non habet, sed una tantum die in anno v. 33. notat, an atrium? Non puto hoc ulli in mentem venturum. An Sanctum, in quo mensa, Lychnuchus & Altare suffitus? Nec hoc dici potest, etenim sanctum ipsi gregarii Sacerdotes singulis diebus bis ad suffiendum, Lucernas aptandum, & semel hebdomatim, ad panes in mensa removendos imponendosque, intrarunt. Ergo certum est *Locum Sanctissimum*, quem Judæi קדש הקדשים appellant, intelligendum esse. Ultimo huic explica-

plicationi favent omnes, quotquot vidi, interpretes & translatores, Judæi & Christiani.

§. 20. Ab ingressu hujus loci sanctissimi Aharon prohibetur: ואל *Ut non ingrediatur omni tempore illud sanctum* &c. Particula אל notionem *mandati graviter prohibentis* habet, veluti Exod. XVI. 29. Jer. XVII. 21. jam ante Deus docuit se caste & cum reverentia adeundum esse Exod. XIX. 21. XXIV. 9. & v. 12. Mosen solum in montem advocat. Nunc quoque, quod circa aditum adyti Aharon observare teneatur, statuit, *ne ille omni tempore intret*, quasi locus esset vulgaris, quem pro lubitu nullo non tempore adire posset. LXX. כל־עת vertunt *πᾶσαν ὥραν*, ut & alibi Exod. XVIII. 22. Job. XXIV. 1. &c. quod obiter moneo: Nam ad hunc modum non semel in N. T. *ὥρα* pro *tempore* sumitur Joh. XVI. 2. Philem. v. 15. Eo ipso, quando prohibetur introitus omni tempore, conceditur aliquod, quod inferius definitur.

§. 21. Rationes interdicti, quæ exprimuntur, sunt duæ. Prior petitur à pœna, *ne moriatur*, scil. Morte præternaturali, violenta, quam iratus Deus Mandati transgressori alias inferet. Qualis illata Nadabo & Abihu, Aharonis Filiis Levit. X. 2. *Egressus est ignis è conspectu Adonai, qui illos* (Nadab & Abihu) *consumsit* וימתו *& ita mortui sunt in conspectu Domini*: Ne itaque Aharon mortem sibi arcessat, alieno periculo sapiat. Hinc Canon Judæorum *ap. Abarb. Comment. l. p.* CCL. c. 4. אמרו רז"ל כהן גדול שנכנס לפני לפנים בלא צורך עבודה חייב מיתה כהן הדיוט שנכנס להיכל בלא צורך עבודה חייב *Dixerunt Doctores nostri, p. m. Pontifex, qui citra necessitatem* מלקות *muneris Sanctissimum ingressus est, morte dignus censetur; sed Sacerdos gregarius sanctum citra necessitatem administrationis sacræ intrans, vapulat.* Maimonide Tr. *Joma* C. V. 1. circa finem notante: *Multi Pontifices mortui sunt, ceu qui inepti erant aut suffitum mutaverant.*

§. 22. Posterior in verbis: *Nam in nube apparebo super operculo propitiatorio.* De sensu horum verborum interpretes non conveniunt, sed in duas abeunt partes: Quarum una כי idem valere putat ac רק *tantum* & ענן per *fumum* ex suffitu excitatum exponit: Altera vero retinet ordinarium כי *quia* significatum & ענן pro *nube* ceu Symbolo præsentiæ divinæ in adyto habet. Quia vero utra-

utraque sententia magnos habet patronos, rationibus quoque militantes, optimum puto, si quid sentiant & quibus rationibus expositionem probent, candide proposuero, postea judicium meum circa illas modeste apposuero.

§. 23. Priori modo ex Judæis explicant Bechai, Aben Esra, & Abarbanel: Ex Christianis Sheringhamius & Vitringa. Bechai *in Comment. ad Legem* CXLVII. c. 4. Cavendum erat Aharoni שלא יבא בכל עת אל הקדש מבית לפרכת אלא בקטורת בענן *Ne omni tempore sanctum illud, quod intra velum, intret, nisi cum suffitu, qui Nubes est.* Sapiens Aben Esra כי בענן הטעם שלא יכנס כי אם בקטורת שיעשה ענן ולא יראה הכבוד פן ימות והנה טעמו לא אהיה נראה אליו כי אם בענן *Verba* nam in Nube *significant adytum intrandum non esse, nisi cum suffitu, qui Nubem excitat, ne aliter gloriam Dei videat & forsan moriatur: Erit itaque hic sensus* ***non conspiciar ab illo, nisi in Nube.*** Addo denique Cel. Abarbanelem עניני רק שבענן הקטורת אחת בשנה אהיה נראה אליו על הכפורת *Sensus verborum est; tantum in Nube suffitus semel in anno conspiciar ab illo, in Expos. Leg.* fol. CCL. c. 4. Ex Christianis *Cel. Vitringæ παράφρασιν* in hæc verba adduxisse sufficiet, quæ exstat *in Animad. S. p. m* 162. *Nolo enim,* inquit Deus, *ut alio tempore sanctum illud adeant, quam quo accenso Thuribulo Nubem fumi in adyto illo suscitabunt juxta præscriptum Legis, quod unico & solo fiebat Die expiationis publicæ.* Rationes autem sequentes sunt. I. כי sæpius idem significare ac רק *tantum:* In quem finem Abarbanel citat Gen. XVII. 15. XIX. 2. XLII. 12. II. Si fuisset Nubes in Sancto Sanctorum super propitiatorio, antequam in adytum veniret Pontifex, eccur, cedo, Nubem creare debuit, inquit *Cel. Vitringa* vid. loc. cit. III. Explicite idem infra v. 13. doceri, & *imponet suffitum illum igni coram Adonai, ut tegat Nubes illa suffitus operculum, quod super Testimonio est, ne moriatur.* Ubi quoque suffitus dicitur *Nubes*, quæque propitiatorium tegit, & quæ mortem ab intrante arcet, adeoque merito explicatio v. 2. habetur. IV. Addit *Bechai:* Si verba de Nube ceu Symbolo præsentiæ divinæ intelligenda essent, vix quidquam dici, quam quod reliquis quibusvis Israelitis gloriam Dei in columna Nubis manifestatam videntibus obtigit, conf. Exod. XVI. 8. XXXIII. 10. Rectius itaque exponi de gloria Dei extra Nubem super propitia-

torio apparente & ideo excitandum fuiſſe ſuffitum כדי שיהיה לו כסות עינים ולא יזנו עיניו מזיו הכבוד *Ut ipſi eſſet oculorum integumen*-*tum, ne illi ſplendore gloriæ divinæ paſcantur.*

§. 24. Poſteriori ſententiæ quoque non deſunt viri auctoritate graves ex utraque gente, Chriſtiana & Judaica. Ex illa doctiſſimi Theologi, qui verſionem Belgicam Gloſſis ornarunt, Cel. Coccejus & plures alii. Ex hac Jonathan B. Uziel, qui ita Moſis verba explicat: ארום בענני איקרי שכינתי מתגלי על בית כפורי *Quoniam in Nube mea gloria divinæ meæ Majeſtatis revelabit ſe ſuper propitiatorio. Aben Eſra* prolata, quam fovet, ſententia ſubjungit יש אומרים כי פי כי בענן כעבור כי אני דר בענן על הכפורת *Alii vero explicant verba*, nam in Nube, *quia ego ſuper propitiatorio in Nube habito.* Raſchius כי תמיד אני נראה שם עם עמוד ענני ולפי שגלוי שכינתי שם יזהר שלא ירגיל לבא וזהו פשוטו *Jugiter ego ibi appareo in columna Nubis meæ, quia autem glorioſa præſentia mea ibi conſpicua eſt, admonetur* (Pontifex) *ne huc frequenter accedat. Hic ſenſus literalis verborum*, nam in Nube apparebo. Cum quibus conſentit R. Menahem, notante Ainswortho. Verba Aben Eſræ & Raſchii reperis in *Bibliis Buxtorfianis* ad Levit. XVI. p. CXXXII. Rationes evidentes ſunt. (א) Verba uſitate ſenſum, quem memorati viri dant, habent. (בּ) Solida quoque ratio, quæ ſupra legitur, videtur, quare Pontifex non nimis familiariter Sanctiſſimum ingredi debeat.

§. 25. Propoſita utraque ſententia reſtat, ut judicium meum apponam. Fateor quidem & illam & hanc Argumenta primo intuitu haud infirma habere, quæ per aliquod tempus animum meum ancipitem effecerunt, imo cogitandi anſam dederunt; Annon utraque his in verbis intelligenda ſit. Sed cunctis ad calculos revocatis poſteriorem, ceu verbis Textus, ſcopo atque aliis Scripturæ Locis convenientiorem præferendam judicabam. Nam ex antea dictis conſtat, Legem hanc occaſione mortis propter inverecundum ad Deum aditum Filiis Aharonis inflictæ datam eſſe. *Alloquere Aharonem Fratrem tuum, ne quovis tempore intret illud ſanctum, quod intra velum, ne moriatur, nam in Nube apparebo ſuper propitiatorio*; quaſi d. ſubita morte Filii Aharonis igne ex facie mea prodeunte in loco ſancto perierunt: Caveat ſibi Aharon, ne intrans San-

Sanctissimum in eandem incidat pœnam; *Nam in Nube apparebo super propitiatorio.* In Sanctissimo facies mea est ignivoma, ipsum æque perdet, ac perdidit Filios ejus. Ita ultimis verbis ratio redditur & interdicti & pœnæ à Deo ibi habitante in contumacem animadvertendæ. Rectissime ita Pontifex ab adyto arcetur, quia Deus ibi in Nube apparet. Notum enim undique in sacris Nubes Præsentiæ Majestatis divinæ Symbola esse. Psal. XCVII. 2. ענן *Nubes & Caligo circa illum.* Præsertim autem ex historia Mosaica, quæ toties numen Nube gloriose vestitum refert Exod. XIII. 21. XIV. 19. XIX. 9. XXIV. 15. 16. XXXIII. 9. 10. XL. 34. 35. Num. IX. X. XII. & alibi. Atque hoc non tantum intelligendum de columna illa Nubis, quæ populo in deserto invio præeundo viam parans, extra Tabernaculum conspiciebatur. Sed & intra id, quæ in Sanctissimo tempore castrorum quiescentium subsistebat & alis cherubinorum quasi insidebat. Quare alias legifer cherubinos alis expansis, quæ solii formam & usum exprimunt, confici jussit? Voces ex sanctuario editæ Lev. I. 1. Num. VII. v. ult. Deum ibi symbolice habitasse (quod procul dubio in Nube factum) docent. Huc quoque facit Locus Exod. XXV. 22. *Et conveniam te ibi* (in Sanctissimo) *& loquar tecum de propitiatorio e medio duorum cherubinorum qui super Arcam testimonii.* Hæc inferunt Deum Tabernaculo existente habitasse in Sanctissimo. An absque Symbolo præsentiæ divinæ? Non. Ergo cum Symbolo. Hoc vero est Nubes. Docet idem ignis ex Deo, vel potius Nube egrediens, qui Nadab & Abihu consumsit. Insuper si tempus, quo Israel in terra pacata habitabat, expendimus, Nubem in Sanctissimo fuisse negare non possumus, legimus enim Deum 1. Sam. III. 3. Nomine Samuelem vocasse, quod explicante Davide ex Columna Nubis factum Psal. XCIX. 7. בעמוד ענן *in Columna Nubis locutus est cum illis*, scil. Mose, Aharone, & Samuele, de quibus Commate 6. Columna autem Nubis alia hic intelligenda non est, quam quæ super Arca in Tabernaculo apparebat, nam à quo terram Canaam ingressi sunt Israelitæ, Nubes, quæ illos præire solebat, disparuit, idque merito. Idem vult nexus in Historia Samuelis: *Samuel cubabat in Palatio Adonai, ubi Arca Dei* (*erat*) *& vocavit Adonai Samuelem.* Dein tempore Salomonis, quo sedes numinis nonnihil immutabatur, Nubes implebat domum Dei 1. Reg. VIII. 10. 11. 2. Chron. VII. 1-4. atque, ut probabiliter judicamus; in illa ejusque adyto

ferme ad destructionem templi permanebat, quod nos visio Ezecheliana non obscure edocet Cap. X. 3. 4. 18. 19. &c. Imminente vero devastatione Hierosolymitana ex loco suo discessit, atque discessum gratiæ divinæ in populum hactenus collatæ præfiguravit. Evidentissime hinc patet Nubem in adyto extitisse, Nubem Deum præsentem indicasse, adeoque ad reverentiam loco sanctissimo exhibendum recte dici: *Ne Aharon quovis tempore illud Sanctum intret, nam in Nube apparebo super propitiatorio.*

§. 26. Verum & ea excutienda sunt, quæ viri docti stabiliendæ sententiæ suæ inservire judicant. I. Particula כי notionem רק *tantum* ordinario non habet. Ordinaria autem, si fieri potest, semper præferenda est. Hic autem notio: *Nam*, *quia* longe significantior, quam *tantum*: Ratio enim danda, quare Pontifex sub pœna mortis adytum quovis tempore ingredi non debeat. Dein nullus ex locis citatis Gen. XVII. 15. XIX. 2. XLII. 12. significatum *tantum* admittit, ut non commodius *nam*, *quia*, admittat. II. Maxime alia Nubes suffitu accenso creanda erat, ut illa, in qua Deus habitabat, contegeretur atque ita gloria Dei non conspiceretur. Utar verbis Aben Esræ, *Nubem excitat, ne gloriam Dei videat.* Sed quæro, quæ est illa כבוד *gloria* Dei? Profecto non alia, quam Nubes conf. Exod. XL. 35. Inverto itaque Argumentum viri Clar. Si non fuisset Nubes h. e. Symbolum præsentis Dei, antequam in adytum veniret Pontifex, eccur, cedo, Nubem ex suffitu creare debuit? An illa excitanda propter Arcam & pauca reliqua vasa in Sanctissimo? Non puto, sed propter Deum, qui locum illum symbolice incolebat. Quo sub Symbolo? Aliud præter Nubem ignoro. Nam quod Vir Clar. dicit caliginem inducendam fuisse, *ne Secreta adyti oculis omnium paterent*, plane non capio, tum quod generalius dixit, *Secreta adyti*, tum etiam, ne illa oculis omnium paterent, cum soli Pontifici lex hæc data sit. III. Ita quidem est, fumus suffitu accenso ortus ענן *Nubes* dicitur, sed non simpliciter, verum ענן הקטורת *Nubes suffitus*, uti & Ezech. VIII. 11. At commate 2. ענן tantum reperitur, quæ de Nube suffitus nullibi, licet ultra 80. occurrat, prædicatur. Si ענן *Nubem suffitus* denotat, quare v. 13. & apud Ezechielem VIII. adjicitur הקטורת, quod tamen minus necessarium, quam in hoc versu? Nam illis in locis sermo est de suffitu incenso, unde facile Nubem artificialem colligo: Hic vero

vero ratio interdicti introitus datur atque adeo specialiorem significatum ita facile scire nequeo. Quare hinc colligo ענן *Nubem*, in qua Deus se conspiciendum præbuit, innuere. At aromatica illa v. 13. quoque dicitur tegere propitiatorium, atque efficere, ne Pontifex intrans moriatur. Nec hoc impedit: Nam aroma incensum surgebat, seque diffundebat, atque caliginem inducebat, ne Nubes illa Dei perspicue conspiceretur. Probe distinguenda puto, quæ commate secundo, quæque sequentibus, decimo tertio præsertim, exstant. Etenim illo rationem dat ingressus non affectandi, sed his præscribit modum, ad quem uno Die in anno Sanctissimum ingredi potest, debet. Hinc versu tertio demum, *cum hoc (sc. quod postea recensurus est) ingredietur Aharon in illud Sanctum.* IV. Obstat præterea, quod legitur: *Nam in Nube apparebo super propitiatorio.* Si Nubes suffitus esset intelligenda, qua ratione exstaret, *apparebo* super propitiatorio. Fumus Deum non sistit videndum. Dein fumus excitatus se diffuderat per totum Sanctissimum, non solum texerat propitiatorium. V. Viderunt quidem etiam Israelitæ gloriam Dei in Nube, sed eminus: Qui vero Sanctissimum, quod tum temporis X. cubitorum solum erat, intravit, illam cominus vidit, atque in penetrali suo. Ex sacris autem cognitum, quanta Dei gloriam in Nube manifestantis Majestas sit. 1. Reg. VIII. 10. 11. *Nubes domum Adonai implevit: Ideo Sacerdotes non poterant consistere ad ministrandum propter Nubem, nam gloria Adonai implevit domum Adonai.* Quando vero Bechai subjicit, gloriam Dei sine Nube conspectam fuisse, ego, unde assertum hoc probare valeat, nescio.

§. 27. Nulla difficultas, quod Deus, ceu Spiritus ἀόρατος, conspici nequeat. Non sistitur videndus quoad essentiam, sed *symbolice conspiciar*, vel, quod eodem redit, *apparebo* בענן *in Nube.* Hoc sensu multoties ἀόρατος proponitur ὁρατός. vide Gen. XLVIII. 3. Exod. IV. 5. dabo nonnisi verba, quæ exstant Num. XIV. 14. *Nam tu Jehova in medio populi (hujus) habitas, qui ad oculum* בראי׳ *conspectus est tu Jehova, & Nubes tua stetit super illos.* Quando dicitur *conspiciar* vel *apparebo* in futuro, id non exponendum est, vel de tempore futuro in genere, vel de Die Expiationis in specie. Futura sæpius vim habent præsentis vel perpetui: Vid. Gen. II. 10. Fluvius יפרד *dividetur*, h. e. dividit se juxta Leges Naturæ. Rom. III. 30.

Unus Deus est, qui δικαιώσει *justificabit*, i. e. qui semper justificat. Liquet ex historia antecedente Levit. X. 2. *Ignis exiit è facie Jehovæ.* Ergo Jehova jam tum erat in Sanctissimo. Motivum quoque stringit. Aharon in Sanctissimum ingredi haud debet. Quare? Quia Deus in Nube ibi apparet. Sanctissimum est ordinarius habitationis locus.

§. 28. *Porismata ex præfamine.* v. 1. & 2. Explicatione præmissa Porismata, quæ ex illa fluunt, aut in verbis Textus, eorumque vi fundata sunt, tradere non inutile judicavi, ut mens legislatoris fusius data paucis cognosceretur, ad usus suos applicaretur, ac daretur manuductio ad sensum mysticum.

Porismata, quæ notamus, sequentia sunt.

I. *Dei, ceu absoluti Domini, liberrima voluntas est, hunc præ illo majori honore, amicitiave dignari.* Hic Deus cum Mose ex Sanctissimo locutus est, illo utitur ad voluntatem suam reliquis omnibus indicandum. Non item cum Aharone, cum quo per internuntium Mosen agit, illi frequentiori aditu adyti interdicit, licet hic Frater, isque natu major, summusque in re sacra administranda Minister sit.

II. *Deus reverenter & juxta Legem suam colendus est. Aliter gravissime in contumacem animadvertitur.* Habes Exemplum in Aharone, ejusque Filiis.

III. *Locus sanctissimus gloriosa Majestatis divinæ Nube condecoratus à nemine sub pœna mortis adeundus erat, nisi ab ipso Deo licentiam intrandi acceperit.* Unde interdictum: *Ne Aharon ingrediatur, nam in Nube apparebo super propitiatorio.* Institutum hoc conferendum cum illo Est. IV. 11. Omnes servi Regis, etiam populus provinciarum Regis sciunt כל איש ואישה אשר יבוא אל המלך אל החצר הפנימית אשר לא יקרא אחת דתו להמית *Quicunque vir, aut mulier ingressus fuerit ad Regem in atrium interius, qui non fuerit vocatus, unum esse jus de eo morte afficiendo.*

IV. *Socius delicti, Socius pœnæ*: Nadab & Abihu una in conspectum Dei appropinquarunt: Una quoque igne ex Deo prodeunte consumti sunt. Recte Jalkut: כשם שעבירות שניהם שוה כך מיתת

Uti transgressio duorum Fratrum æqualis ita mors. מיתת שניהם שוין fol. CLXIV. c. 1. Imo qui longo post tempore idem delictum perpetraturi sunt, eandem quoque pœnam reportabunt. Hinc v. 11. *Ne ingrediatur Aharon illud Sanctum, ne moriatur*, uti mortui sunt Filii ejus.

V. *Aliena pericula sapientem cautum reddere debent.* Ideo mors filiorum Aharonis una cum causa repetitur, ut parens liberorum exemplo sapiat.

VI. *Jehova*, vel explicante Apostolo Hebr. IX. 8. *Spiritus S. hac Lege dura docet nondum manifestatam esse ad Sancta, vel cœlum viam, adhuc priori Tabernaculo consistente.* Prohibebatur enim ad Sanctissimum aditus.

VII. *Maximum discrimen inter Pontificem veteris, & Jesum Christum, Pontificem N. Testamenti, vel exinde patet*, quod illi jugis introitus, etiam in umbratile Sanctissimum, sub pœna mortis prohibitus fuerit. Hic vero semper sedet in vero, in ipso cœlo, in Throno Majestatis ad dextram Dei. Heb. VIII. 1.

VIII. *Cultus externus ceremonialis, ipsorum quoque Sacerdotum, Deo per se non placet, nec commendat cultores, Ministros; quin terret & gravissima secum fert judicia, nisi juxta voluntatem Dei præstetur.* Experti sunt Nadab & Abihu.

IX. *Ex malis moribus nascuntur bonæ & salutares Leges.* Paulus ait: *Propter transgressiones addita est lex.* Gal. III. 19.

X. *Ministerium diei expiationis typicum commiseratione Dei ortum est, quando antecesserat inobedientia duorum Filiorum Aharon; Ministerium vero veræ expiationis antitypicum ingenti numinis misericordia ortum sumsit inobedientia duorum hominum, parentum totius generis humani.* Ubi nullum peccatum, ibi nulla expiatio. Expiatio tamen succedit non natura peccati, sed gratia misericordis Dei.

XI. *Deus vere est* מסתתר *qui studio latet* Jes. XLV. 12. *Nubes & caligo circumcirca ipsum sunt.* Psalm XCVII. 2. *Facies Dei ab homine vivo inspici nequit.* Exod. XXXIII. 20. Hæc visio servata spiritibus consummatis. 1. Cor. XIII. 12. Nunc latet in Nube; in symbolis præsentiæ; in effectibus; *Posteriora ejus* nonnisi videntur. Exod.

XXXIII.

XXXIII. 23. Caveamus ergo nobis à curiosa & ambitiosa visione Dei.

XII. *Qui Deum adire desiderat, adeat cum reverentia juxta præscriptum divinum, die expiationis unice expiationem quærens.* Conspici enim vult super propitiatorio, facie ad propitiatorium conversa.

§. 29. *Sequitur altera Cap. XVI. Pars, priori multo longior*, continens officia pontificis peculiaria huic solenni expiationi à v. 3. ad 29. Ex his quædam immediate ab illo præstantur; alia ex jussu ejus v. 21. 22. 26. 27. 28.

§. 30. *Mandata, quæ pontificem concernunt, distinguuntur in generale & specialia.* Illud continetur verbis: בזאת יבא אהרן אל הקדש *Hoc modo ingredietur Aharon illud Sanctum.* Modo ante Aharoni interdicebatur aditus in Sanctissimum. Interdicti scopus tamen minime erat, ut absolute ab ejus ingressu exclusus esset, sed ne *omni tempore* ingrediatur; ne ingrediatur quando & quomodo ipsi lubet. Itaque hoc interdicto finito Deus præscribit modum illud intrandi. *Hoc modo* (*quem ego definio, non quem ipse eligit*) *ingredietur Aharon illud Sanctum*, atque illum in sequentibus fusius describit usque ad comma 29.

§. 31. *Particula* בזאת *varie accipitur.* Lutherus videtur referre nonnisi ad proxime sequentia: Sondern damit soll er hinein gehen, mit einem jungen Farren &c. Hic sensus haud probandus est, nam quæ sequuntur v. 4. & sequentibus, etiam modum intrandi complectuntur. Imo cum ariete prorsus non ingressus est Sanctissimum. Vulgatus sensum potius dat, quam quod verba transfert. *Nisi hæc ante fecerit*; puta quæ sequuntur, non intrabit. Particula זאת juxta stylum hebræorum muliebris terminationis est, & idem valet ac neutrum, ut Psal. CXVIII. 23. conf. Matth. XXI. 42. commode vertitur: *Hoc modo*, qui in sequentibus traditur. Ita Abarbanel על ידי זאת העבודה שיזכור בפרשה יבא אהרן *Mediante Ministerio, quod in sectione hac memorabitur, Aharon ingredietur*, quomodo etiam literaliter accipit Bechai. Sic בזאת sumitur 1. Sam. XI. 2. בזאת *hoc modo*, *hac* conditione *pacifcar vobiscum, ut effodiatis vobis totum oculum dextrum.* conf. Gen. XXXIV. 15. 22. Uti etiam LXX. οὕτως & Jonathan B. Uziel. בהדא מרה יהי עלול *Hac*

ratione

ratione ingrediatur Aharon. Lusus est, quando nonnulli ex Judæis in hoc verbo mysteria quærunt, veluti durationem templi primi על דרך המדרש בזאת בית ראשון היה קיים ת״י שנה כמנין בזאת *Si mystice* בזאת *explicas, tum notat Templum primum 410. annos statu- rum juxta numerum vocis* בזאת, *Bechai in Lege* fol. CXLVIII. c. 3. Colludit Raschius ad h. l. vel Pontificem ingressu suo חבילות של מצות *præcepta fasciculatim* h. e. multa simul implere, quo ineptissime referunt loca de Lege, circumcisione, Sabbatho &c. in quibus זאת exstat Deut. IV. 44. Gen. XVII. 10. Ezech. V. 5. *in Jalkut* fol. CLXIV. c. 2. Miraris homines, qui alioquin satis commode loquuntur, non nunquam adeo ineptire atque talem verbis affingere sensum, qui nullo prorsus indicio in illis latet. Certissimum est innui modum sive conditionem in introitu Aharonis tenendam.

§. 32. *Hunc ad modum ingressus obligatur Aharon, non tamen Aharon solus, sed omnis in Pontificatu legitimus successor.* Tum temporis, quando Leges dabantur, Pontificatui præerat Aharon: Hinc ejus nomen memoratur: Plura alia, quæ Aharoni adjudicantur, generatim omnibus Pontificibus, legitimis ejus successoribus, dicta sunt Exod. XXVIII. 29. 30. 35. Nam, qui ipsum in Pontificatu secuti sunt, æque ad has de ingressu conditiones adstringebantur, ac vero ipse Aharon. Idem igitur valent verba ac hæc, *Aharon & quicunque ipsum in dignitate Pontificiali excepturi sunt, in adeundo Sanctissimo sequentes Leges probe observabunt.* Quod clarissime constat ex v. 31. h. c. *Expiabit autem ita Sacerdos ille, quem (Deus) unget & cujus manus implevit ad Sacerdotio fungendum loco Patris sui.* Unde Hebr. IX. 7. adscribitur Pontifici, quod hic Aharoni.

§. 33. Sed annon obvenit, ut Pontifex casu aliquo ab ingressu impeditus fuerit? Quid tum? An solennitas hujus diei ad aliud tempus differenda erat? Vel an alius, & quis ille, qui intrandi copiam habuerat? Resp. Quam maxime probabile, quod ordinarius Pontifex semel ac iterum ab ingressu prohibitus fuerit. Pontifex enim Aharonicus à fatis, quibus omnes homines expositi sunt, haud immunis vixerat, vel gravior morbus subinde impedimento fuit, vel impuritas, qua consperssus. Dein solennitas hæc ad certam diem, decimam scil. in mense tisri, adstricta dilationem non permiserat. Alius itaque ordinario substituebatur. Consentiunt Tra-

N ditio-

ditionarii. Unde in Tr. Mischnico יומא C. 1. §. 1. מתקינין לו *substituunt Pontifici alium Sacerdotem; si quod vitium ei contingat, vel ex nocturna pollutione, vel alia aliqua impuritate.* Ex hac ipsa causa vespera Diei Expiationis post exortas tenebras non permittebant ei לאכול הרבה *multum edere* tr. cit. §. 4. prohibebantque cibos, qui venerem excitant, veluti lac, ova, caseum, carnem pinguem, vinum vetus, conditum, fabas fressas, lentes, uti Sheringhamius *ex Gemara Hierosolymitana* citat. Si vero obstaculum in ipsa Die Expiationis obortum, tum Princeps reliquorum Sacerdotum, qui Sagan audit, vices adimplebat, quæ vero à Pontifice agenda, agenda quoque à substituto.

§. 34. Locus ingressus simpliciter dicitur הקדש *Sanctum*, LXX. τὸ ἅγιον, vel potius *illud Sanctum* scil. quod v. 2. specialius terminabatur *intra velum, versus faciem propitiatorii, quod super Arcam.* De hoc enim supra quæstio erat. In Sanctum non solum Aharon, sed & Sacerdotes secundani aliter (quam in sequentibus descriptio fit) ingressi sunt. Est ellipsis, quæ ex antecedentibus supplenda, cujus usus in sacris frequens, quippe scriptura brevitatis studiosa silentio præterit, quæ superius in eadem oratione planius & plenius dixit. Attenti lectoris est, studio omissa ad sensum cognoscendum repetere, quod facillime fit. Ita הקדש in v. 3. suppletur ex v. 2. Simillimum habes exemplum in secundo tertii commatis membro *cum juvenco Filio Bovis*, qui v. 6. 11. 14. & 18. simpliciter *juvencus* dicitur. Pariter Lev. IV. 3. coll. cum v. 4. & 8. Aliter difficultatem solvit Abarbanel: כי עם היות כל המשכן קדש חוה הדביר שהיא לפני לפנים הוא הנקרא קדש בהחלט *Quia totum Tabernaculum sanctum, ideo locus oraculi, qui intimus est, absolute* קדש *sanctus appellatur.* Sed non placet.

§. 35. Ex Mandatis specialibus primum est: *Cum juvenco, Filio Bovis, in Sacrificium pro peccato & ariete in Holocaustum* v. 3. b. Incipit Moses nominare Sacrificia, quæ hac die Deo sacra fiebant. At sciendum plura alia sacra facta fuisse, præter memorata hoc capite, sicuti συμβίβασις hujus Legis cum aliis clare docet, ut Num. XXVIII. 3. XXIX. 7-12. Scilicet offerebantur ceu Holocausta duo agni juges tempore matutino & vespertino; dein juvencus; præterea aries; insuper septem agni; denique Hircus in Sacrificium pro

pro peccato, ultimo, quæ hoc capite exprimuntur, juvencus piacularis pro Pontifice, aries in Holocaustum & duo Hirci pro peccatis populi. In universum offerebantur XVI. Sacrificia, de quibus inferius plura. Quindecim mactabantur, unum vivum manserat. conf. quoque *Maimonides in Tr. Joma Hakkippyrim* C. I. §. 1. 2. Si Dies Expiationis in Sabbathum incidisset, accesserant duo agni juxta Num. XXVIII. 9. 10. Quatuor, quæ hoc capite traduntur, singulariter faciebant ad solennem expiationem, ut colligere licet, tum quod sola hic exprimantur, tum ob Num. XXIX. 11. Recte itaque *Abarbanel in Comment.* f. CCL. c. 4. במקום הזה לא זכרה התורה אלא העבודה המיוחסת לכפרה ולסליחה שהיא פר חטאת כהן גדול ואיל העולה שלו ושני שעירי העדה *Hoc in capite Lex solum recenset Ministerium Expiationi & Remissioni Peccatorum appropriatum, quale juvencus & aries in Holocaustum Pontificis, ut & duo Hirci cœtus.*

§. 36. Ellipticum quoque Mandatum hoc primum *cum juvenco, Filio Bovis, in Sacrificium pro peccato & ariete in Holocaustum.* Quæritur, quid sit subintelligendum? Communiter ex antecedentibus explicatio petitur; *Intrabit Aharon in illud Sanctum,* atque sic Versiones LXX. Chald. Belg. Tig. Sed vulgata, *Vitulum pro peccato offeret & arietem in Holocaustum*, majorem sensus, quam verborum curam habet. Quando ex antecedentibus defectus suppletur, non una oritur difficultas: Neque cum juvenco neque etiam ariete Aharon Sanctissimum ingressus est. Unde vere Aben-Esra: אין פירושו שיביא הפר אל הקדש רק שיתן משלו בתחלה פר חטאת לכפר עליו ועל הכהנים *Non hæc verborum mens est, ut juvencus in adytum ducatur, sed ut ab initio ex bonis suis juvencum in Sacrificium pro peccato emat ad expiandum pro se & Sacerdotibus.* Facilis quidem responsio quoad juvencum, scil. non quidem juvencum in Sanctissimum introducendum fuisse, attamen sanguinem ejus, prout *Hiskuni* apud *Drusium* in h. l. & *Glossatores Bibl. Belg.* annotant. Sed major difficultas remanet quoad arietem, cujus nequidem sanguis illuc illatus est. Saltem scriptura silet & negant Judæi, nominatim R. Jose in *Jalkut* fol. CLXIV. 4. c. m. Dicendum itaque arietem juvenco jungi, ut simul Sacrificia Sacerdotii offerenda nominentur, uti v. 5. ratione oblationum pro toto cœtu, quamvis de ariete idem dici nequeat, quod de juvenco. Neque timendum verba

hæc ſiniſtre accipi, nam legislator inferius mentem ſuam plenius aperit atque illationem ſanguinis juvenci, non vero arietis, εἰς τὰ ἅγια præcipit. Commate tertio Sacrificia ad ſolennem expiationem Pontifici ingreſſuro neceſſaria deſcribere incipit, ſed poſtea, quid ſpeciatim ſtatuerit, fuſius docet. Non ergo ſeorſim particula Legis, ſed tota lex legenda, conferenda, atque ſic explicanda eſt. Verſio Arabica difficultatem evitat hoc modo: *Hisce rebus ingredietur Aharon in ſanctuarium, ut ſiſtat vitulum* &c.

§. 37. Primum ſacrificium vocatur פר בן בקר *Juvencus, Filius Bovis*, docens ſpeciem animalis, ætatem & ſexum. Docet A. *ſpeciem animalis.* Vulgata vertit *vitulum.* LXX. μόσχον. Ab Hebraico פר ortum germanicum Farr, quo Lutherus frequens utitur, & græcorum πόρις *juvenca.* S. Schmidius & alii recentiores transferunt per *juvencum.* Certum eſt pertinere ad genus bovinum, ex quo præſtantiores victimæ ſumtæ erant, ceu pretioſiores præ victimis ex genere agnino & hircino. Docet B. *ætatem.* Coccejo & Stockio medius eſt inter עגל *Vitulum* & שור *Bovem.* Toties deſcribitur בן בקר *Filius Bovis.* Lev. IV. 4. 14. Num. VII. 15. 21. 27. Quare? Quis non novit natum ex Bove Bovis filium eſſe? Non ſcio rectiorem rationem, quam quod Hebræi minorem ætatem indicent per בן *filium.* Ita vitulus בן בקר *filius Bovis* Levit. IX. 2. בני אתון *filii Aſinæ.* Gen. XLIX. 11. *Pullus* בן *filius Aſinarum.* Zach. IX. 9. Hinc Matthæus *Pullus*, υἱὸς *filius ſubjugis* c. XXI. 5. ſimiliter Columbæ teneræ dicuntur בני היונה *filii Columbæ.* Levit. I. 14. Sed an ætas juvencorum ex ſacris præciſe definiri queat, non liquet. Arbitror tum Legi ſatisfactum fuiſſe, quando neque vitulus tenerior, nec bos vetulus ad aram ductus erat. Traditiones Judæorum non prorſus conveniunt, ſicuti conſtat e Tract. פרה c. 1. 2.
רבי יוסי הגלילי אומר פרים בני שתים שנ׳ פר שני בן בקר תקח לחטאת וחכמים אומרים אף בני שלש רבי מאיר אומר אף בני ארבע ובני חמש כשרים אלא שאין מביאים זקנים מפני הכבוד *R. Joſe Galilæus dicit:* פרים *juvenci bimi ſunt, prout ſcriptum* Num. VIII. 8. *& juvencum bimum, filium Bovis accipies in Sacrificium pro peccato. Sed Sapientes dicunt: Etiam trimi. R. Meir vero dicit: Etiam quadrimi & quinquennes legitimi judicantur. Non adducunt tamen vetulos honoris ergo.* Plurimum ætas à ſapientibus ſtatuta obſervatur, juxta quos הלכה ſive

ſive *deciſio* eſt, annotante Bartenora *ad l. Miſch. cit.* Video tamen Maimonidem & Abarbanelem ſententiæ R. Joſe Galilæi accedere. Ille *in Tract. de Sacrificiis* C. I. 14. *ubicunque in Lege dicitur* פר *JUVENCUS, intelligitur* בן שתים *BIMUS.* Quod miror, quum in Commentario ad Tr. Miſchn. *de Vacca Rufa* deciſionem juxta Sapientes eſſe aſſerat. Hic *in Præf. Lev.* כל מקום שנ' פר או פרים הוא בתוך ג' שנים *Ubicunque in Lege aut* פר *aut* פרים *exſtat, juvencus intra tres annos, qui adeoque trimus, eſt exponendus.* Inde patet, quod etiam juxta veteres Judæos פר *pecus bubulum* non adeo ſenex accipiendum ſit. Quod præter Phraſeologiam illam inſuper indicat uſus: Juvencus hic deſtinabatur in Sacrificium: Sacrificia autem מן המובחר *ex optimo* omni ex parte conſtare debebant. Quia vero Caro Tauri vetuli non ita grata ac juvenci, credibile maxime eſt hunc bimum aut triennem, ſaltem non vetulum (ceu qualis vergeret ad contumeliam glorioſi Dei, vid. Malach. I. 8. 13. 14.) ad mactationem ſacram ducendum fuiſſe. Cibus, quem reſpuunt menſæ Principum, non ſine peccato imponeretur menſæ Dei. Non obſtat locus Num. VIII. 8. à R. Joſe Galilæo citatus, nam non agit de ætate juvenci, tantum diſtinguitur ab antecedente juvenco, p. cit. ut idem ſit, quod alter, ſicuti verſiones plurimum habent. Non obſtat, quod Jud. VI. 25. פר de *Bove ſeptenni* dicatur, quem Græci μόσχον ἑπταετῆ & vetus interpres *vitulum annorum ſeptem* transtulerunt: Nam hic vocatur ſimpliciter פר *juvencus*, non vero פר בן בקר *juvencus filius Bovis.* Dein locus Judicum cognitu perdifficilis, quemadmodum ex *Druſio* & *Seb. Schmidio* ad h. l. evidenter patet, nihil nocet pluribus aliis, qui clare ad minorennem ætatem reſpiciunt: ex his enim ſignificatus vocum petendi ſunt. Manet igitur juvencum filium Bovis victimam ex Pecore bubulo ætatis tenerioris & ſic carnis delicatæ ſignificare. Nam de omnibus Sacrificiis valet, quod ſpeciatim de Holocauſto Abarbanel dixit לא זקן כי לזקנותו אינו תמים בטבעו *non ſenio affecta ſint, quia natura animantium minus perfecta eſt in ſenectute* C. II. *in Præf. ad Lev.* Docet denique *Sexum maſculinum*, qui in Sacrificiis fœminino præſtat. Mal. I. 14. diſtinguitur à פרה *juvenca* vel *vacca*, cujus rarior uſus in oblationibus Num. XIX. 5. 7.

§. 38. Cesserat hic juvencus Deo præcipiente, לחטאת *in Sacrificium pro peccato.* Introducta œconomia Mosaica introducebantur quoque variæ species Sacrificiorum. Inter has non ultima, quæ dicitur חטאת *Sacrificium pro peccato.* Est id ipsum vocabulum, sub quo etiam *peccatum* venit. 1. Reg. VIII. 36. Ratio sine dubio hæc: Peccatum, quod homo patraverat, transfertur cum pœna in victimam piacularem, unde hæc mactabatur. Notanter dicitur *in peccatum.* Scopus offerentis est, ut juvencus suscipiat peccatum, & ejus maledictionem ferat. Vulgatus quoque jam vertit *peccatum*, ut h. l. jam vero *pro peccato.* Prorsus ut LXX. qui in hoc Capite transferunt περὶ ἁμαρτίας v. 3. 5. 6. 9. 11. 27. sed alibi ἁμαρτία Lev. IV. 20. 21. VI. 18. 25. Hæc lex est החטאת *Sacrificii pro peccato.* LXX. ὁ νόμος τῆς ἁμαρτίας. Atque hoc observandum propter Scriptores N. T. imitantes LXX. interpretes, unde stylum eorum familiarem sibi effecerunt, ut subinde in re obscura nullibi majorem lucem, quam in memorata versione reperias. Singularem usum hujus observationis habes in locis Rom. VIII. 3. περὶ ἁμαρτίας *condemnavit* τὴν ἁμαρτίαν *in carne.* Nec non 2. Cor. V. 21. *Illum, qui non noverat peccatum,* ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν *fecit.* Lutherus priorem locum vertit: GOtt verdammte die Sünde im Fleisch durch Sünde; satis obscure. At clare GOtt verdammte die Sünde durch das Opfer für die Sünde im Fleisch. Sed posteriorem transtulit. GOtt hat den, der von keiner Sünde wuste, vor uns zur Sünde gemacht, qui vertendus: Vor uns zum Opfer vor die Sünde gemacht. Quem in finem confer Psalm XL. 7. חטאת *non postulasti*, cum Hebr. X. 7. περὶ ἁμαρτίας *non beneplacitum habuisti.* Atque ita *juvencus filius Bovis* fiebat *Sacrificium pro peccato*, & quidem ex eo genere, quod totum comburebatur, inde nomen נשרפים *comburendi* in scriptis judaicis. Aliud & quidem hoc usitatius est, cujus pars Deo in ara, altera Sacerdotibus ad sustentationem cedebat. Verum prius hic obtinet, quod processus sermonis nostri docebit.

§. 39. Quæritur, quare juvencus à Pontifice pro peccatis suis offerendus fuerit? Annon aliud animal hunc ad finem destinari potuisset? Si ita Deo visum fuisset, nullam video, quæ impediat, rationem. Placet, quæ à veteribus Judæis redditur; juvencum, vel qui respondet, vitulum μόσχον electum fuisse, ad deprimendum Aharonem, qui μοσχολατρείας Author erat, ut exstat Exod. XXXII.

42. Ac-

42. Accedit, quod Aharon etiam aliis in casibus peccata sua expiare debuerit offerendo juvencum. vid. Levit. IV. 3. Omnino confundebatur mactando juvencum vel vitulum, quem olim Deum formaverat.

§. 40. Alterum, quod ab Aharone offerendum erat Sacrificium, dicitur איל *aries* ex pecore ovino. Mascuius, dux quasi ovium, hoc nomine venit. Ratio petitur à robore, quod maxime in cornibus latet, unde transfertur ad notandum ducem populi potentem Dan. VIII. 4. 2. Reg. XXIV. 15. Jam antiquitus aries ad Sacrificia adhibebatur, Deo præscribente Gen. XV. 9. imo dante Gen. XXII. 13. Sacerdotio Aharonico postea instituto arietes sæpius offerendi præcipiebantur, ut ex Mose constat. Idque commode, nam erat animal domesticum, parabile, delicatum, præsertim ob caudam adipemque Lev. IX. 19. 1. Sam. XV. 21.

§. 41. Ætas arietum juxta Legem Mosaicam libera est. Sacerdotes non adstringebantur ad certum annum observandum. Legimus quidem Gen. XV. 9. Abrahamum איל משלש *arietem annorum trium*, ut Vulgatus, sive τριετίζοντα, quemadmodum LXX. quos plures aliæ antiquiores & recentiores versiones, interpretationesque sequuntur, obtulisse. Sed Oncelos habet דכרין תלתה *arietes tres*, quem Raschius, Kimchius, Grotius, & Goussetius non sine ratione probare videntur. Etenim משלש *ternus*, quod extra hunc locum adhuc bis reperitur, Eccles. IV. 12. החוט המשלש *filum triplicatum*, & Ezech. XLII. 6. כי משלשת הנה *nam triplicata sunt*, huc propius accedit. Juxta hanc explicationem de ætate arietis ad Sacrificium destinati lex silet. Non silent tamen traditiones quæ annum ipsum accurate definiunt. *Mischna de Vacca Rufa.* C. I. 3. כבשים בני שנה ואילים בני שתים וכולם מיום ליום בן שלשה עשר חדש אינו כשר לא לאיל ולא לכבש רבי טרפון קורהו פלגס בן עזאי קורהו נוקד רבי ישמעאל קורהו פרכדיגמא *Qui in Lege* כבשים *Agni dicuntur, anniculi intelliguntur, qui vero arietes, biennes & omnium (ætas) a die in diem* (recensetur ut si dies vel redundaret vel deficeret animal illegitimum censendum) *qui tredecim mensium est, neque arietis, neque agni meretur nomen. Itaque R. Tarphon eum vocat* פלגס· *Filius Asai vero* נוקד, *sed R. Ismael* פרכדיגמא· *Et paucis inter-*

jectis

jectis בן שלשה עשר חדש ויום הרי זה איל אחר *Qui vero natus est XIII. menses & unum diem, ille* איל *aries dicendus.* Adjiciam *Maim. de Sacrificiis* C. I. 14. qui idem, sed paulum clarius dicit: כל מקום שנאמר איל או אילים הם הזכרים בני שנתים ומאימתי יקרא איל משיכנס בשנה שנית אחד ושלשים יום אבל ביום שלשים אינו כשר לא לכבש ולא לאיל והוא הנקרא פלגס *Ubicunque in Lege dicitur aries aut arietes intelliguntur Mares bini. Quando incipit vocari aries? Quando in anno secundo diem primum & trigesimum ingressus est; sed die trigesimo neque ad agnum neque ad arietem idoneus est. Talis vocatur* פלגס. *conf. quoque Abarbanelem in Præf. Levit.* C. II.

§. 42. Voces פלגס sive נוקר ut & פרכדיגמא vel uti legit Bartenora פרדגמא sunt plurimum peregrinæ, atque olim in arte pastoritia usitatæ, quas hodie perfecte nosse vix datur. Cl. Buxtorfius פלגים *vervecem* vertit: Verum minus bene, ut observat *Lud. de Comp. de Veil. Neque enim*, inquit Doctissimus Proselytus, *propter castrationem medius inter ovem & arietem, sed propter ætatem intermedius est inter agnum & arietem*, quemadmodum evidenter ex duobus Testimoniis supra citatis elucet. His addo Bartenoram ad *Loc. Misch. cit.* ממוצע בין זה לזה יצא מכלל כבש ולכלל איל לא בא est פלגים *intermedius inter (agnum & arietem) agnus esse desiit, nec tamen aries esse incepit.* Etymologia, quam à פלג vel פלג & גס petunt, non vera mihi videtur. Verior incomparabilis *Bocharti Hieroz. p. 1. L. II. C. XLIII.* p. m. 428. per trajectionem literarum, quasi φάγελος *agnus.* Ita tamen ut Judæi alium specialiorem sensum, quam quem apud Græcos habet, vocabulo dederint, illum nempe, quem jam expressi. Cæterum quando *Eliam*, *Pomarium*, *Aquinam*, qui פלגס *de agno XIII. mensium* explicant, rejicit, satis ostendit, quod quæstionem hanc inter Judæos notissimam non intelligat. Nec Judæi dicunt כבש agnum non esse, *nisi qui præcise est anniculus.* Clare contrarium *Abarbanel C. II. in præf. Levit.* כבש או כשב הוא שם נופל על שה או עז מקטני הצאן והוא בתוך שנתו Quæ sic ordinarius interpres transfert: *Nomen* כבש *cebes seu* כשב *ceseb tenero pecori tribuitur, agno vel hœdo intra unum ætatis annum.* Atque hæc omnium eorum mens est, qui agnos בני שנה *anniculos*, h. e. intra primum ætatis annum viventes appellant. Quod vero attinet נוקר,

exstat

exſtat quidem in Codice Hebræo, ſed in alio ſignificatu, quam qui hic conveniens: Vid. 2. Reg. III. 4. Amos. I. Arabum נקד *genus ovium deforme & brevipes*, (vid. *Caſtellum*) oſtendit quidem nomen cadere in oves, non tamen illam ſpeciem, quam *filius Aſai* ſupra indicat. Tandem פרכדיגמא ſeu ופרדגמא ipſo Bartenora fatente græcum eſt פרדגמא למטבע שנפסל קורין כן בלשון יוני אף זה נפסל מתורת איל ומתורת כבש *Græci paradigma monetam adulterinam ſive reprobatam hoc nomine vocant. Etiam* (qui natus eſt præciſe XIII. menſes) *rejicitur à jure tum arietis tum agni.* Hæc coacta & incerta eſſe nemo non videt. Quod græcum ſit, facile largior, ſed num id, quod Judæus ſignificare affirmat, ſignificet, hactenus nondum didici. Proxime accedit ad Gr. παράδειγμα; ſed ſignificatus huc non quadrat.

§. 43. Aries hic deſtinatur לעולה, LXX. ὁλοκαύτωμα, quos communiter & recte alii interpretes ſequuntur. Neſcio rationem verſionis Syriacæ: *In holocauſtum pacificum.* Holocauſta enim & pacalia ſunt ſub Lege Moſaica duæ diverſæ Sacrificiorum ſpecies, vid. Lev. I. & III. Nomen habet *ab aſcendendo in altum.* Caro Sacrificii igne combuſta in altum aſcendit. v. Jud. VI. 26. 1. Sam. VI. 24. Ante œconomiam Moſaicam commune erat Sacrificiorum nomen. Unde prædicabatur etiam de Sacrificiis piacularibus v. Job. I. 5. XLII. 8. At tempore Moſis diſtincta eſt ſpecies conf. Levit. I. & IV. Hinc Aharon obligatur tum ad Sacrificium pro peccato, tum ad Holocauſtum. Quæris quænam eſt differentia inter hæc duo? Sequens. I. Sanguis hujus Sacrificii pro peccato in Sanctum & Sanctiſſimum inferebatur: Holocauſti vero ſolum aſpergebatur & effundebatur in ara exteriori. II. Caro illius comburebatur extra caſtra: Hujus vero in atrio ejusque ara. III. Illud offerebatur ab immundis atque peccatoribus nondum typice reconciliatis: At hoc ab iis, qui poſt veniam delictis ob fidem in Chriſtum datam cum Deo reconciliati ſunt, quique toti amore erga Deum ardent. Hinc Sacrificium pro peccato primo nominatur: Primo quoque mactabatur, nam nulla eſt cum Deo peccatori amicitia. Hæc differentia ſpeciatim concernit duo hæc Sacrificia offerenda à pontifice die expiationis juxta v. 3. non vero generatim.

§. 44. Porismata ex v. 3.

א. *Functiones die expiationis à pontifice obeundæ divinæ sunt.* Ipse Deus modum intrandi adytum à commate 3. & postea Aharoni præscripsit. Quod probe tenendum, nam divinus functionum ortus fundamentalis antitypi quærendi causa est.

ב. *Qui in munere succedit, succedit quoque in onere.* Lex introitus in Sanctissimum, quæ data est Aharoni, obligabat quoque omnes ejus in dignitate Pontificiali successores.

ג. *Attenta antecedentium & consequentium inspectio multum juvat cognitionem scripturæ.* Quod הקדש *Sanctissimum* notet, scio non ex origine aut usu vocabuli, sed nexu.

ד. *Scriptura cum scriptura collata plenum rerum divinarum sensum dat.* Ministerium diei expiationis nondum plene cognoscitur ex Lev. XVI. Alia, quæ id docent, etiam exstant Levit. XXIII. XXV. Num. XXIX. §. 35.

ה. *Peccant, qui cunctas Traditiones Ecclesiæ sine examine probant, ac divinis æquipollentes habent. Sed & peccant ac sensui scripturæ scrutando adferunt noxam, qui omnes, ceu Fabulas Judaicas, rejiciunt. Valet & hic regula Pauli: Omnia explorate, & quod bonum (verum) retinete.* Ex dictis ad v. 3. utrumque membrum lucem & probationem habet. Porisma hoc quam sæpissime in sequentibus confirmabitur. Idem ferendum est judicium de Traditionibus Ecclesiæ Christianæ ac scriptis Patrum, Reformatorum, Doctorum in Ecclesia Reformata, Lutherana, Pontificia.

ו. *Profecto ille Pontifex peccatores salvare nequit, qui ipse Sacrificio piaculari indiget, & cujus victimæ irrationales sunt.* Quanta differentia, imo oppositio! Pontifex noster Jesus Christus Θεάνθρωπος ab omni labe immunis vere λογικὸν Sacrificium pro peccatoribus obtulit; unde perfecte salvat.

ז. *Qui pro aliis penes Deum intercedere vult, ipse primo Deum sibi reddat reconciliatum.* Quomodo alias intercessio valida est? Qui ipse hostis Dei, nihil valebit ut hostis gratiam inveniret.

ח. Si

ח. *Si vis Deum honorare, adi eum munere selectissimo.* Donum abjectum vergit in contumeliam numinis gloriosi. Prudenter sacra מן המובחר *selectissima* poscebantur. Malach. I. 7. 8. 9. 13. 14.

ט. *Animalia juniora & vegeta aræ Dei consecranda. At decrepita respuebat.* Juventutem itaque consecra Deo, non vero senectutem.

§. 45. *Secundum mandatum concernit vestitum Pontificis illius diei, quo adytum intravit:* De quo ita Moses v. 4. a. *Tunicam lineam sanctam induito, etiam femoralia linea sunto super carne ejus & baltheo lineo se accingito, ac pileo lineo (Pontificiali) caput obvolvitor. Hæ sunt vestes sanctæ.* Jam supra in Exodo Cap. XXVIII. nec non Levit. VIII. prolixe admodum vestes Pontificis, quibus ordinario ministrare debebat, describuntur: Unde Aharon sufficienter noverat, quo habitu indutus rem sacram administrare teneatur: Quare postea hac de re nullum aliud ferebatur præceptum. Quia vero Deo placebat, ut functiones in adyto, quæ aliis sanctiores excellentioresque erant, extraordinariis vestibus peragerentur, monendus erat Aharon, ne more solito illas obiret. Itaque vestes, earum materiam, consecrationem & numerum accurate recenset. Gestabat ille ordinario, uti patet ex Exod. XXVIII. octo vestes. Sic *Mischna Tr. Joma* C. VII. כהן גדול משמש בשמנה כלים *Sacerdos magnus in octo vestibus ministravit.* Et *Maim. de Templo* C. VIII. 2. בגדי זהב הן בגדי כהן גדול והם שמנה כלים הארבעה של כל כהן ומעיל ואפוד וחושן וציץ: *Aurea vestimenta magni Sacerdotis erant: Hæc constabant è rebus octo. Continebat enim quatuor illa cujusvis Sacerdotis vestimenta* (Tunicam, Femoralia, Tiaram, Baltheum) *præterea autem Pallium, Amiculum humerale, Rationale, Bracteam.* Ita *Lud. de Comp. de Veil.* Sed die expiationis solum quatuor, de quibus nunc plura dicenda erunt.

§. 46. Vestis prima est *tunica linea sancta.* Quod tunicam verto, in Hebræo legitur כתנת unde Græc. χιτὼν & Latinorum *tunica* per μετάθεσιν literarum. Vestimenti genus notissimum. vid. Gen. XXXVII. 3. Job. XXX. 18. 2. Sam. XIII. 18. quali præsertim Sacerdotes utebantur, ut reperis Exod. XXVIII. 4. XXIX. 5. Lev. X. 5. Neh. VII. 70. Esr. II. 65. Probabile admodum est tunicam hanc ordinariis illis simillimam fuisse, si tessellas sive ocellos, ceu

jectis בן שלשה עשר חדש ויום הרי זה איל אחר *Qui vero natus est XIII. menses & unum diem, ille* איל *aries dicendus.* Adjiciam *Maim. de Sacrificiis* C. I. 14. qui idem, sed paulum clarius dicit: כל מקום שנאמר איל או אילים הם הזכרים בני שנתים ומאימתי יקרא איל משיכנס בשנה שנית אחד ושלשים יום אבל ביום שלשים אינו כשר לא לכבש ולא לאיל והוא הנקרא פלגס *Ubicunque in Lege dicitur aries aut arietes intelliguntur Mares bini. Quando incipit vocari aries? Quando in anno secundo diem primum & trigesimum ingressus est; sed die trigesimo neque ad agnum neque ad arietem idoneus est. Talis vocatur* פלגס. *conf. quoque Abarbanelem in Præf. Levit.* C. II.

§. 42. Voces פלגס sive נוקד ut & פרכדיגמא vel uti legit Bartenora פרדגמא sunt plurimum peregrinæ, atque olim in arte pastoritia usitatæ, quas hodie perfecte nosse vix datur. Cl. Buxtorfius פלגים *vervecem* vertit: Verum minus bene, ut observat *Lud. de Comp. de Veil. Neque enim*, inquit Doctissimus Proselytus, *propter castrationem medius inter ovem & arietem, sed propter ætatem intermedius est inter agnum & arietem*, quemadmodum evidenter ex duobus Testimoniis supra citatis elucet. His addo Bartenoram ad *Loc. Misch. cit.* פלגים est ממוצע בין זה לזה יצא מכלל כבש ולכלל איל לא בא *intermedius inter (agnum & arietem) agnus esse desiit, nec tamen aries esse incepit.* Etymologia, quam à פלג vel פלג & גם petunt, non vera mihi videtur. Verior incomparabilis *Bocharti Hieroz. p.* I. *L. II. C. XLIII.* p. m. 428. per trajectionem literarum, quasi Φάγελος *agnus.* Ita tamen ut Judæi alium specialiorem sensum, quam quem apud Græcos habet, vocabulo dederint, illum nempe, quem jam expressi. Cæterum quando *Eliam*, *Pomarium*, *Aquinam*, qui פלגס *de agno XIII. mensium* explicant, rejicit, satis ostendit, quod quæstionem hanc inter Judæos notissimam non intelligat. Nec Judæi dicunt כבש agnum non esse, *nisi qui præcise est amiculus.* Clare contrarium *Abarbanel C. II. in præf. Levit.* כבש או כשב הוא שם נופל על שה או עז מקטני הצאן והוא בתוך שנתו Quæ sic ordinarius interpres transfert: *Nomen* כבש *cebes seu* כשב *ceseb tenero pecori tribuitur, agno vel hœdo intra unum ætatis annum.* Atque hæc omnium eorum mens est, qui agnos בני שנה *amiculos*, h. e. intra primum ætatis annum viventes appellant. Quod vero attinet נוקד,

exstat

exſtat quidem in Codice Hebræo, ſed in alio ſignificatu, quam qui hic conveniens: Vid. 2. Reg. III. 4. Amos. I. Arabum נקר *genus ovium deforme & brevipes*, (vid. *Caſtellum*) oſtendit quidem nomen cadere in oves, non tamen illam ſpeciem, quam *filius Aſai* ſupra indicat. Tandem פרכדיגמא ſeu פרדגמא, ipſo Bartenora fatente græcum eſt פרדגמא למטבע שנפסל קורין כן בלשון יוני אף זה נפסל מתורת איל ומתורת כבש *Græci paradigma monetam adulterinam ſive reprobatam hoc nomine vocant. Etiam* (qui natus eſt præciſe XIII. menſes) *rejicitur à jure tum arietis tum agni.* Hæc coacta & incerta eſſe nemo non videt. Quod græcum ſit, facile largior, ſed num id, quod Judæus ſignificare affirmat, ſignificet, hactenus nondum didici. Proxime accedit ad Gr. παράδειγμα; ſed ſignificatus huc non quadrat.

§. 43. Aries hic deſtinatur לעולה, LXX. ὁλοκαύτωμα, quos communiter & recte alii interpretes ſequuntur. Neſcio rationem verſionis Syriacæ: *In holocauſtum pacificum.* Holocauſta enim & pacalia ſunt ſub Lege Moſaica duæ diverſæ Sacrificiorum ſpecies, vid. Lev. I. & III. Nomen habet *ab aſcendendo in altum.* Caro Sacrificii igne combuſta in altum aſcendit. v. Jud. VI. 26. 1. Sam. VI. 24. Ante œconomiam Moſaicam commune erat Sacrificiorum nomen. Unde prædicabatur etiam de Sacrificiis piacularibus v. Job. I. 5. XLII. 8. At tempore Moſis diſtincta eſt ſpecies conf. Levit. I. & IV. Hinc Aharon obligatur tum ad Sacrificium pro peccato, tum ad Holocauſtum. Quæris quænam eſt differentia inter hæc duo? Sequens. I. Sanguis hujus Sacrificii pro peccato in Sanctum & Sanctiſſimum inferebatur: Holocauſti vero ſolum aſpergebatur & effundebatur in ara exteriori. II. Caro illius comburebatur extra caſtra: Hujus vero in atrio ejusque ara. III. Illud offerebatur ab immundis atque peccatoribus nondum typice reconciliatis: At hoc ab iis, qui poſt veniam delictis ob fidem in Chriſtum datam cum Deo reconciliati ſunt, quique toti amore erga Deum ardent. Hinc Sacrificium pro peccato primo nominatur: Primo quoque mactabatur, nam nulla eſt cum Deo peccatori amicitia. Hæc differentia ſpeciatim concernit duo hæc Sacrificia offerenda à pontifice die expiationis juxta v. 3. non vero generatim.

§. 44. Porismata ex v. 3.

א. *Functiones die expiationis à pontifice obeundæ divinæ sunt.* Ipse Deus modum intrandi adytum à commate 3. & postea Aharoni præscripsit. Quod probe tenendum, nam divinus functionum ortus fundamentalis antitypi quærendi causa est.

ב. *Qui in munere succedit, succedit quoque in onere.* Lex introitus in Sanctissimum, quæ data est Aharoni, obligabat quoque omnes ejus in dignitate Pontificiali successores.

ג. *Attenta antecedentium & consequentium inspectio multum juvat cognitionem scripturæ.* Quod הקדש *Sanctissimum* notet, scio non ex origine aut usu vocabuli, sed nexu.

ד. *Scriptura cum scriptura collata plenum rerum divinarum sensum dat.* Ministerium diei expiationis nondum plene cognoscitur ex Lev. XVI. Alia, quæ id docent, etiam exstant Levit. XXIII. XXV. Num. XXIX. §. 35.

ה. *Peccant, qui cunctas Traditiones Ecclesiæ sine examine probant, ac divinis æquipollentes habent. Sed & peccant ac sensui scripturæ scrutando adferunt noxam, qui omnes, ceu Fabulas Judaicas, rejiciunt. Valet & hic regula Pauli: Omnia explorate, & quod bonum (verum) retinete.* Ex dictis ad v. 3. utrumque membrum lucem & probationem habet. Porisma hoc quam sæpissime in sequentibus confirmabitur. Idem ferendum est judicium de Traditionibus Ecclesiæ Christianæ ac scriptis Patrum, Reformatorum, Doctorum in Ecclesia Reformata, Lutherana, Pontificia.

ו. *Profecto ille Pontifex peccatores salvare nequit, qui ipse Sacrificio piaculari indiget, & cujus victimæ irrationales sunt.* Quanta differentia, imo oppositio! Pontifex noster Jesus Christus Θεάνθρωπος ab omni labe immunis vere λογικὸν Sacrificium pro peccatoribus obtulit; unde perfecte salvat.

ז. *Qui pro aliis penes Deum intercedere vult, ipse primo Deum sibi reddat reconciliatum.* Quomodo alias intercessio valida est? Qui ipse hostis Dei, nihil valebit ut hostis gratiam inveniret.

ח. Si

ח. *Si vis Deum honorare, adi eum munere selectissimo.* Donum abjectum vergit in contumeliam numinis gloriosi. Prudenter sacra מן המובחר *selectissima* poscebantur. Malach. I. 7. 8. 9. 13. 14.

ט. *Animalia juniora & vegeta aræ Dei consecranda. At decrepita respuebat.* Juventutem itaque consecra Deo, non vero senectutem.

§. 45. *Secundum mandatum concernit vestitum Pontificis illius diei, quo adytum intravit :* De quo ita Moses v. 4. a. *Tunicam lineam sanctam induito, etiam femoralia linea sunto super carne ejus & baltheo lineo se accingito, ac pileo lineo (Pontificiali) caput obvolvitor. Hæ sunt vestes sanctæ.* Jam supra in Exodo Cap. XXVIII. nec non Levit. VIII. prolixe admodum vestes Pontificis, quibus ordinario ministrare debebat, describuntur : Unde Aharon sufficienter noverat, quo habitu indutus rem sacram administrare teneatur : Quare postea hac de re nullum aliud ferebatur præceptum. Quia vero Deo placebat, ut functiones in adyto, quæ aliis sanctiores excellentioresque erant, extraordinariis vestibus peragerentur, monendus erat Aharon, ne more solito illas obiret. Itaque vestes, earum materiam, consecrationem & numerum accurate recenset. Gestabat ille ordinario, uti patet ex Exod. XXVIII. octo vestes. Sic *Mischna Tr. Joma* C. VII. כהן גדול משמש בשמנה כלים *Sacerdos magnus in octo vestibus ministravit.* Et *Maim. de Templo* C. VIII. 2. בגדי זהב הן בגדי כהן גדול והם שמנה כלים הארבעה של כל כהן ומעיל ואפוד וחושן וציץ: *Aurea vestimenta magni Sacerdotis erant : Hæc constabant è rebus octo. Continebat enim quatuor illa cujusvis Sacerdotis vestimenta* (Tunicam, Femoralia, Tiaram, Baltheum) *præterea autem Pallium, Amiculum humerale, Rationale, Bracteam.* Ita *Lud. de Comp. de Veil.* Sed die expiationis solum quatuor, de quibus nunc plura dicenda erunt.

§. 46. Vestis prima est *tunica linea sancta.* Quod tunicam verto, in Hebræo legitur כתנת unde Græc. χιτών & Latinorum *tunica* per μετάθεσιν literarum. Vestimenti genus notissimum. vid. Gen. XXXVII. 3. Job. XXX. 18. 2. Sam. XIII. 18. quali præsertim Sacerdotes utebantur, ut reperis Exod. XXVIII. 4. XXIX. 5. Lev. X. 5. Neh. VII. 70. Esr. II. 65. Probabile admodum est tunicam hanc ordinariis illis simillimam fuisse, si tessellas sive ocellos, ceu

quorum Lev. XVI. nulla fit mentio, exceperis. In hoc tamen differentiam, si consuleris cum Exod. XXVIII. 39. reperies; fuit ergo manicata, ποδήρης, sive à capite ad pedes protensa, quæque totum ferme Pontificem ambivit; nam nudum vel brachiis vel alia corporis parte (inferiore pedum excepta) illum incessisse, & solennem expiationem peregisse, quis credet?

§. 47. Materia, unde vestis hæc constabat, dicitur בד, quod versiones, Vulgata, LXX. Chaldæa Oncelosi, pluresque aliæ *linum* vertunt. Præter mentem legislatoris transfert Jonathan כתונא דבוץ מילת קודשא ילבש *tunicam byssinam laneam sanctitatis* induet, (nam quod latinus interpres Jonathanis in מילת *sericeum* notare existimat, contrarium ostendit *magnus Buxtorfius* sub *Rad.* מלת) de lana enim ne verbum quidem Textus: Solum dicit *tunicam* בד *lineam* Aharon induet. Quando materia tunicarum ordinariarum nominatur, tum non בד sed שש veluti Exod. XXVIII. 39. XXXIX. 27. exstat. At femoralium בד dicitur Exod. XXVIII. 42. Levit. VI. 3. Exod. XXXIX. 28. nisi quod in ultimo loco subjiciatur שש משזר. Rursum reliquæ vestes, aliaque sancta vasa, quæ ex שש confecta sunt, nunquam ex בד esse dicuntur: Unde aliquis facile colligeret aliam materiam sub שש, aliam quoque sub בד innui. Res tamen ita se non habet. Unde constanter & versiones & lexicographi *lini* notionem retinent. In ספר השרשי' ad explicandum מכנסי בד ponitur מכנסי פשתן *femoralia linea.* Doctores Mischnici vestes expiationis die gestatas appellant בגדי בוץ *vestes byssinas, Joma* C. VII. 1. Quomodo etiam TargumHebr. שש, בד & פשתן per בוץ transfert. Maim. Tr. כלי המקדש Cap. VIII. §. 13. כל מקום שנאמר בתורה שש או בד הוא הפשתים והוא הבוץ *ubicunque lex comemorat* שש *aut* בד *linum byssus intelligitur.* Si שש משזר Exod. XXXIX. 28. ad antecedens בד referendum, tum alia, quam prænominata significatio obtinere nequit. Conf. quoque Ezech. XLIV. 18. Nihilominus ob ea, quæ supra dixi, alia lini species indicatur voce בד, alia voce שש; plures enim dari illi norunt, qui rei vestiariæ periti sunt. Judæi ex vocibus differentiam patere judicant, veluti Maimonides Tract. כלי המקדש Cap. VIII. 4. כל מקום שנאמר בתורה שש או שש משזר צריך שיהיה החוט כפול ששה ומקום שנ' בד אם היה הוט אחד לבדו

כשר *In omnibus locis, in quibus lex habet* (solum) שש *vel* conjun-ctim) שש משזר *oportet, ut filum sit sextuplicatum: Ubi vero* בד, *unum filum sufficiebat*, scil. שש insuper *sex* & בד *unicum*, *solum* denotat. Raschius ex citatione Bechai in Leg. f. CXLVIII. 4. c. m. alium crescendi modum in בד annotat. בד דבר העולה מן הקרקע הוא הפשתן שאינו יוצא אלא מן הקנה האמצעי מה שאין כן בקנבוס שהוא יוצא מבחוץ סביב העץ *Vox* בד *linum notat, quod, quum ex fundo ascendit, ex solo medio calamo prodit: Aliter se res habet cum Cannabo, quod etiam extra circa fruticem excrescit.* Et alibi קנה יחידי *calamum unicum ex quolibet trunco* exivisse asserit, quomodo haud male cum significatu *vectis*, qui vocabulo בד simul inest, convenit. Hæc ego non prorsus rejicio, neque enim adeo absurda sunt, ut illis nulla fides adhiberi possit. Nam quia שש *sex* notat, facile lintearii sex filis, quæ ad lineum opus conficiendum contorquebant, idem nomen imponere poterant. Nemo nescit alia quoque nomina ortum à numeris, eo quod respectum ad illos habeant, sumere, uti רבע *cubare*, שבועה *juramentum* & alia. Accedit, quod conjunctum cum משזר *contortum* sæpenumero legatur, Exod. XXVI. 1. XXVII. 9. XXXVI. 8. XXXVIII. 9. &c. quæ constructio conjecturam probabiliorem facit, quum משזר de בד seorsim nullibi prædicetur. Ubi vero in conjunctione cum aliis, uti Exod. XXXIX. 28. μέγα ζήτημα est, annon de subjectis remotioribus solum intelligendum, quandoquidem ita convenit cum reliqua scriptura. Nec puto absque exemplis asseri aliquando prædicata non referenda esse ad omnia subjecta antecedentia, sed tantum quædam, quæ quadrant. Credibiliter vestes ex lino שש firmiores (ex contortis filis enim conficiebantur) pretiosiores. Sed illa ex בד tenuiores nec ita pretiosæ. Hoc indubitatum puto, aliam lini speciem sub שש, aliam sub בד intelligendam esse, nam quum Deus Exod. c. XXVIII. 5. 6. 8. 15. 40. materiam vestium sacerdotalium שש dixerat, studio immutat vocabulum & Braccas ex בד conficiendas præcipit v. 42. quod postea nomen retinetur Exod. XXXIX. 28. Lev. VI. 3. Taceo nullam fieri vocabulorum permutationem, cujus tamen frequens occasio in Exodo datur. Si vero differentia aliqua est, credibiliter species specie pretiosior: Ex hac tenuiores, quam ex illa, panni texuntur. Alias nullam

ſcio cauſam, quare jam materiam veſtitus ſacerdotalis linum שש, jam בר Deus exigat. Quia autem veſtimenta ex בר ſunt femoralia, & dein IV. illa die expiationis tantum geſtata, (qua de re alibi ex Sacris & Traditionibus plura dicenda erunt) pretio & firmitate reliquis minora eſſe inde colligo, quod illa ſub tunica latuerint, à nemine conſpecta fuerint, hæc vero in anno una tantum die, qua præ aliis humilitati ſtudendum, adeoque neque in amictu ſuperbiendum, in conſpectu Dei geſtabantur. Veſtes, quæ ſub aliis tectæ non videntur, illis, quæ in oculos incurrunt, pretioſiores eſſe non ſolent. Neque firmiores, quæ ſemel per totum annum induuntur, quotidianis ex lino שש confectis conficiuntur.

§. 48. Non omnis tunica linea Pontificem ingreſſum decebat, ſed nonniſi קדש *ſancta*, ἡγιασμένη; ut LXX. *Tunicam lineam* ἡγιασμένην *induet*. Vulgatus hujus vocis verſionem male omiſit. קדש opponitur חל *communi* Levit. X. 10. Ezech. XXII. 26. XLII. 20. Hinc לחם חל *panis communis*, qui Deo oblatus non eſt, quo ordinario homines veſcuntur, & לחם קדש *panis ſacer*, Deo conſecratus, qualis panis menſæ ſacræ impoſitus. 1. Sam. XXI. 5. Pariter veſtis קדש in oppoſitione ad veſtes, quas extra Tabernaculum, extra tempus functionis rebus propriis occupatus Pontifex geſtabat, dicitur. Veſtis *conſecrata* à nemine, qui negotiis mundanis intentus, induebatur, nam eſt קדש *conſecrata* Deo, ejusque cultui. In rebus adeoque divinis, in loco quoque ſacro uſus ejus ſolum erat, unde dicuntur *veſtes Miniſterii* לשרת בקדש *ad miniſtrandum in Sancto*. Exod. XXXIX. 1. Hoc nomen datum omnibus & magni & gregariorum Sacerdotum veſtibus Exod. XXIX. 21. XXXV. 21. XL. 13. quippe omnes aſperſione ſanguinis & olei ſacri communi uſu eximebantur, Deoque conſecrabantur. Sacra itaque etiam eſſe debebat tunica, qua Pontifex adytum intrabat.

§. 49. Hanc tunicam Pontifex induere jubetur ילבש *induito*, puta intraturus in Sanctiſſimum v. 3. Aliis functionibus extra adytum occupatus hanc tunicam non geſtabat, ut inferius pluribus probabitur. Τὸ *induere* præſupponit *exuere*. Recte Miſchnici obſervant, exuiſſe Pontificem *aureas veſtes*, ut dicuntur. Nam omnium primo ſolennis expiationis die Aharon tenebatur ad Miniſterium juge, quod vero fiebat veſtitu ordinario. Hoc nunc finito

tran-

transsibat ad Ministerium extraordinarium, & extraordinarias, sive, ut appellant, albas vestes induebat. Id quod sub Templo II. factum in *Domo Haparva* velo byssino castitatis observandæ gratia inter illum & populum prætenso. Ipse Pontifex, nemine juvante, ut reliquas, sic hanc vestem corpori suo applicabat. Convenit cum textu originali, er (der Aharon) soll seinen heiligen leinen Rock anlegen. Conveniunt communiter interpretes, antiqui & recentiores. Sine ratione dissentit Vulgatus, *vestietur.*

§. 50. Altera præcepta vestis venit nomine מכנסים *femoralium lineorum.* Dualiter effertur, quia duabus ex partibus constant: Dicuntur à כנס notionis *ingrediendi* apud Rabbinos, nam inscendendo induuntur, vel à כנס *colligere*, corporis enim partes, quas tegunt, intra femoralia colliguntur. v. Jes. XXVIII. 29. Vestis hæc communis erat magno & gregariis Sacerdotibus Exod. XXVIII. 41. 42. Communis quoque lini species vilior, quæ בר dicitur. *vid. dicta ad* §. 47. Proxime autem corpus, nullo indusio interposito, ambiebant. Nec credibile usum indusiorum tum temporis aliquem fuisse: Saltem Sacerdotes administraturi nulla induebant, quod ex Exod. XXVIII. XXXIX. Lev. VIII. evidentissime patet. Josephus vestitum sacerdotalem recensens de illis alte silet. *Antiq. Lib. III. c. 7. §. 1.* dicit: Ὅταν προσίῃ ταῖς ἱερουργίαις ὁ ἱερεὺς, ἡγνευκὼς ἣν ὁ νόμος ἅγνειαν προσαγορεύει πρῶτον περιτίθεται τ'' μαναχασὴν λεγόμενον, *Sacerdos sacris operaturus purus juxta Legem & castus accedens ante omnia Manachasen, ut vocant, induitur.* Barbara hac voce femoralia 'מכנס intelligenda esse sequentia historici docent, βούλεται δὲ συνακτῆρα μὲν δηλοῦν, *intelligit autem constrictorium*, subligaculum, quod postea clarius describit. Josephus hac potius quam alia voce propter allusionem utebatur, nam συνακτὴρ descendit à συνάγω, quemadmodum מכנסים (unde corrupte μαναχασὴ) à כנס, quod LXX. sæpius eodem nomine græco vertunt. Si plura critica nosse vis, lege notata ad h. l. Josephi ex editione Havercampi p. 138. 139. Accedit phrasis in textu, *femoralia linea sint super carnem ejus*, i. e. carnem im̃ediate tangant, quemadmodum in simili loco 1. Reg. XXI. 7. *& posuit saccum* על בשרו *super carnem suam*, & 2. Reg. VI. 30. *Rex laceravit vestes suas, & ipse transivit murum, quem quum viderat populus, ecce saccus* על בשרו מבית *super carnem*

carnem ab intra. Nam laceratis ſuperioribus veſtibus ſaccus cuti adhærens à populo conſpici poterat. Et Job. XVI. 15. שק *ſaccum conſui* על גלדי *ſuper cutem meam*, ut innuat ſaccum proxime carni adhæſiſſe. Recte igitur femoralia Pontificis *ſuper carne* dicuntur, ceu cui proxime adhærebant.

§. 51. Uſus femoralium indicatur; *Femoralia linea* יהיו על בשרו *erunt ſuper carne ejus.* בשר h. l. ſtrictioris notionis eſt, & notat ſpeciatim τὰ αἰδοῖα. Bene vertit Vulgatus: *Verenda celabit.* Clarius Exod. XXVIII. 42. in eadem materia בשר ערוה *caro turpitudinis*, uti Vulgatus, & LXX. ἀσχημοσύνη χρωτὸς nominatur. Hebræi etiam ſæpiſſime πρᾶγμα αἰσχρὸν σεμνοτέρᾳ λόγου συνθέσει *rem turpem oratione honeſta* inſignire ſolent. Quod etiam alibi circa eandem vocem contigit, Gen. XVII. 14. 24. 25. Ezech. XLIV. 7. ערלי בשר *præputiati carne*, qui ſunt ἐν ἀκροβυστίᾳ. Ægyptii ſcortatores גדלי בשר Ezech. XVI. 26. & Eccleſia Meretrix fa a בשר habere dicitur, uti בשר *aſinorum eſt* C. XXIII. 20. ad nefandum & maximum θέλημα σαρκὸς indicandum. Sic σὰρξ Rom. II. 28. *Circumciſio non eſt in manifeſto* ἐν σαρκί. Quia, ut dictum eo, quo lex data, tempore probabiliter induſia non geſtabantur, ſed nonniſi tunica talari corpus tegebatur, Sacerdotes Dei altiſſimi Braccas induere jubebantur, ne caſu aliquo, qui varius eſſe poterat, partes corporis tegendæ detegerentur, quod in ſe quidem turpe, turpius & periculoſius tamen, quia Moabitæ, obſcœna gens, cultum Pehoris, quem vulgo Priapum explicant, nudi obibant. Maimonides in More *Nevoch.* C. XLV. in Lib. III. c. m. fol. CLXIV. c. 1.

כבר ידעת פרסום עבודת פעור בזמנים ההם אשר היתה בגלוי הערות מפני זה צוה הכהנים לעשות מכנסים לבסות בשר הערוה בעת העבודה. *Notum eſt ea ætate Idololatriam Pehoris, quæ retectione verendorum committebatur, celebrem fuiſſe: Quare Deus Sacerdotibus, ut ad tegendam carnem nuditatis, tempore Miniſterii femoralia conficerent, præcepit.* Cultus Dei & Pehoris diſſimillimi eſſe debebant: Hic turpiſſimus, ille caſtiſſimus, quare legifer ſerio non ſolum braccas mandavit, ſed addidit inſuper *feminalia ſint ſuper carnem* ejus h. in. l. & Lev. VI. 3. Exod. XXVIII. 42. *feminalia ad tegendum carnem turpitudinis.*

§. 52. Longitudo diſerte non exprimitur. Legi divinæ ſatisfit verendis per femoralia caſte obtectis. Sita igitur ſupra & infra

αἰδοῖα

αἰδοῖα poſcuntur. Traditionarii ſatis commode longitudinem referunt, veluti Maimonides Tract. כלי המקדש C. VIII. 18. המכנסים בין של כ"ג בין של כהן הדיוט הם ממתנים עד ירכים שהוא למעלה מן הטיבור קרוב מן הלב עד סוף הירך שהוא הארכובה *Femoralia, qua Pontificis, qua Sacerdotum gregariorum à lumbis ad genua, h. e. ſupra umbilicum prope infra cor usque ad extremum femoris, quod genu eſt, pendebant.* Mox ſubjicit ושנצים להם ואין להם לא בית הנקב ולא בית הערוה אלא מוקפין כמין כים *Habebant autem ligamenta: Nec enim aperta erant, vel ad nates, vel* αἰδοῖα, *ſed ſacci inſtar Sacerdotes circumdabant*, ut, quod Deus præcepit, בשר ערוה *caro nuditatis* omnino tecta eſſet. Joſephus Antiquit. Jud. L. III. c. 7. §. 1. διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν, *ſubligar circa verenda commiſſum*, uti recte Cl. Braunius ab ordinaria interpretatione recedens transfert.

§. 53. Verſio Arabica inſuper ordinem veſtiendi obſervavit; *Et ut induatur Tunica byſſina ſacra, poſtquam fuerint ſuper corpus ejus Femoralia ex Byſſo pura.* Textus Hebræus ordinem hunc non docet. Credibilis tamen eſt, nam veſtis interior induitur ante ſuperiorem.

§. 54. Tertia veſtis *Balteus* eſt; *Et Baltheo lineo (ſe) accingat.* Tunica talaris, laxa non nihil, Pontificem tum temporis mactando, ſpargendo, ſuffiendo &c. occupatiſſimum impediviſſet, niſi illam cingulo conſtrinxiſſet, quod omnes tali veſtimenti genere utentes ad functiones citius & ſine obſtaculo obeundas facere ſolent, unde toties hominum ex utroque ſexu, militum præſertim, cinctorum in ſacris mentio fit. Sacrificuli quoque idololatrici cincti miniſtrabant, quod ex forma Sacerdotis Perſici, quam *Erud. Th. Hyde in Hiſt. Relig. Vet. Pers. C. XXX.* exhibet, elucet. Materia, ex qua *Balteus* ſolennis illius diei, eadem quæ veſtium hactenus explicatarum, ſcil. lini ſpecies בד: Credibile hunc cum ordinariis in longitudine, latitudine, modo cingendi &c. conveniſſe. Longitudo & latitudo, quam Traditionarii habent, poſteriori demum tempore ex decreto Sapientum definita eſt. Illa XXXII. ulnarum, uti legitur in *Gem. Hieroſolymitana Tr. Joma* C. VII. *Dixit Doctor Levi*; Balteus erat *XXXII. ulnarum* אמה שלשים ושתים *& utrinque oblique dependebat.* Hæc juxta *Maimonidem* Tr. Kele Hamikd.

C. VIII. Balteus latus erat כמו שלוש אצבעות *circiter trium digitorum.* De omnibus intelligi poteſt, quod Joſephus ſcribit in l. cit. Περιελθοῦσα πάλιν δεῖται, καὶ κέχυται μὲν πολλὴ μέχρι καὶ τῶν σφυρῶν, ἕως οὗ μηδὲν ὁ ἱερεὺς ἐνεργεῖ. Πρὸς γὰρ εὐπρέπειαν οὕτως ἔχει τοῖς ὁρῶσι καλῶς, ὅταν δὲ σπουδάζειν περὶ τὰς θυσίας δέῃ καὶ διακονεῖν, ὅπως μὴ κινούμενος ἐμποδίζηται πρὸς τὸ ἔργον ἀναβαλλόμενος ἐπὶ τὸ λαιὸν ὠμοφορεῖ, Zona, *ſemel atque iterum* circa pectus *revoluta ligatur, & multa quidem ad Talos usque defluit, tantisper, dum Sacerdotes à ſacris feriantur. Hoc enim modo ſpectantibus decora videtur. Cum vero Sacrificiis aliisque ſacris eſt miniſtrandum, ne ventilata ſit impedimento, ſuper humerum lævum projicitur,* uti vertit *Gelenius.*

§. 55. Sed notabilis differentia circa materiam obtinet. Etenim *Balteus* Pontificis die expiationis, in functionibus expiationi propriis, tantum lineus erat. Dein ex lini ſpecie, quæ בד dicitur, eratque vilior. Denique ſimpliciter textus. At ordinarius conſtabat ſimul ex lana & lino, & lino quidem שש dicto, pretioſiori, artis Phrygionicæ. Lex proſtat Exod. XXXIX. 29. *Balteum facient* שש משזר *lini contorti ſpecie* שש & lana, *hyacinthino, purpureo & coccineo colore* tincta, opus Acupictoris, qui acu, ſeu filis varii coloris acu ductis Balteum exornet, qua in arte Phrygii excellere habentur. Sed qui aliter opinantur, dicunt: Moſes non meminit lanæ, ſed tantum lini. Dein veſtes ex lino & lana Hebræis prohibitæ erant. vid. Lev. XIX. 19. Reſp. Verum eſt lanæ nomen non exprimi, recte tamen ſubintelligitur. Voces enim תכלת ארגמן ותולעת שני ſunt colorum, qui poſtulant materiam his coloribus infectam. Dices: Linum eſt. Reſp. Linum eſſe nequit, nam diſtinguitur à lino v. Exod. XXVI. 31. 2. Chron. III. 14. & h. l. Alias voces שש, בוץ ab initio ponendæ. Reſpuunt quoque particulam ו &. Alia igitur intelligenda materia, lana ſcil. quæ memoratos colores admittit. Dein פתיל תכלת *filum hyacinthinum* Num. XV. 38. de lana communiter accipitur. Inſuper *lana coccinea* Heb. IX. 19. eſt תולעת שני *color coccineus*, dibaphus Lev. XIV. 6. Conſentiunt Judæi, Joſephus & reliqui, qui lingua Rabbinica ſcripſerunt, vid. *Annot. meas ad Goodwini Moſen & Aaronem* L. I. C. V. *§. 6.* Horum conſenſus circa ritus proprios mul-

multum valet; Josephi speciatim, qui ex ordine sacerdotali erat. Atque ita facile respondetur ad Lev. XIX. 19. Qui vestes ex materia mixta in usum communem prohibuit, concedit in usum sacrum. Alia plura in sanctuario erant licita, quæ extra id interdicta. vid. Matth. XII. 5.

§. 56. Quarta & ultima, quæ præscribitur, vestis est *Pileus*. *Et pileo lineo obvolvat* (se.) Vulgatus; *Cidarim lineam imponet Capiti*. LXX. περιθήσεται *circumponet*. Opportune monet Cl. de Dieu צנף hic habere *significationem reciprocam*, quemadmodum præcedens יחגר *accingat se*; *in Annot. ad V. Test.* Hoc enim sensus, ut plenus sit, requirit. צנף, quod proprie *volvere*, uti globus projectus rotatur, de pileo usurpatum notat fasciam longam in plicaturas complicare & debito modo complicatam capiti imponere. Atque sic idem est, quod *pileum* complicatum *capiti imponere* Lev. VIII. 9. unde pileus à convolutione מצנפת (quo nomine Pontificis venit) dictus, non Sacerdotum gregariorum; horum מגבעות, quod in cuspidem abeant, nuncupati. Sed ille latior & circumfusior habetur. Differentia ergo à pileo ordinario nonnisi est in specie lini, quæ h. l. בד dicitur, sed Exod. XXXIX. 29. שש. Ex dictis fluit, quod Pontifex capite tecto Sanctissimum intraverit. Alius mos sub N. Testamento. 1. Cor. XI. 7.

§. 57. Addit Legislator בגדי קדש הם *hæ sunt vestes sanctæ*. Tunicam speciatim sacram supra dixit. Quia vero omnes memoratæ ejusdem sanctitatis esse debebant, brevitatis studio recensione vestium finita subjicit: *Hæ sunt vestes sanctæ*, posteriores æque ac prima, ab usu communi separatæ & cultui divino diei X. Tisri consecratæ.

§. 58. Ex dictis evidens est vestes à Pontifice adytum adituro indutas alias esse, quam quas ipse ordinario aut Sacerdotes gregarii gestaverant. Harum quidem totidem numero & eædem vestium species erant. Exod. XXVIII. 40. 42. differebant tamen א. *materia*, quæ linum erat in omnibus IV. Pontificis, non admixta lana, sed Sacerdotum gregariorum Baltei ex lino & lana constabant. ב. *Forma*: Pilei secundanorum aliquantulum cuspidati conficiebantur: Non item Pontificis. ג. *Lini specie*, quæ שש in pileo, tunica & parte Baltei vestitus sacerdotalis, sed בד in toto hoc vestitu Pontificia-

tificiali. Ex Judæis idem ſentit *Abarbanel* f. CCXLIX. 2. בגדי הלבן ההם לא היו בגדי הלבן שהיו לובשים (Lege לובשים) הכהנים ההדיוטים ושהיה ה״כג לובש כל השנה כי היו הבגדים האלה מפשתן לבן ורק מחוט אחד בלתי כפול לא משש חוטים כאשר לבושי הכהנים הדיוטים *Veſtes illæ albæ* (Pontificis) *non eædem cum albis Sacerdotum Idiotarum aut Sacerdotis ſummi, quas toto anno induerat: Erant enim ex lino albo tenuique unius fili absque duplicatione: Non vero ex ſex filis, quemadmodum Idiotarum veſtes.*

§. 59. Differebant quoque à veſtitu Pontificis ordinario. I. Hic VIII. veſtium erat Exod. XXVIII. Lev. VIII. vide ſuperius §. 45. ſed ille extraordinarius die expiationis nonniſi quatuor. Tot & non plures vel hic & alibi recenſentur. II. Veſtes illæ ordinariæ partim ex lini ſpecie בד, ut femoralia, Exod. XXVIII. 42. partim ex lini ſpecie שש quemadmodum Tunica v. 39. partim ex lino & lana, ſicuti Balteus Exod. XXXIX. 29. partim ex lino, lana & auro intertexto, veluti Ephod C. XXVIII. 6. partim ex lino, lana, auro & gemmis, ut pectorale v. 15. 17. partim ex puro auro, prout lamina & tintinnabula à pallio ſuſpenſa v. 33. 36. conſtabant; At hæ ex ſola lini ſpecie, quæ בד dicitur. Magna adeoque differentia erat inter veſtes ordinarias & extraordinarias ſummi Sacerdotis. Hinc illas vulgo בגדי זהב *veſtes aureas*, has vero בגדי הלבן *albas* nuncupant; Illæ enim aurum intertextum & appenſum habebant, ſed hæ ex lino albo nonniſi erant. Vetuſtiſſimis temporibus eandem, quam nos, Judæi fovebant ſententiam. quod clariſſime ex Tract. יומא C. VII. 3. 4. elucet, ubi בגדי בוץ *veſtes byſſinæ* & בגדי לבן *veſtes albæ*, quæ eædem cum prioribus, opponuntur בגדי זהב *veſtibus aureis.* Illarum in functionibus ad expiationis ſolennis introitum in adytum uſus ſtatuitur: Harum in ordinariis, quæ etiam illo die peragebantur. Hinc §. 4. הביאו לו בגדי לבן ולבש וקדש ידיו ורגליו נכנס להוציא את הכף ואת המחתה קדש ידיו ורגליו ופשט וירד וטבל ונסתפג הביאו לו בגדי זהב ולבש וקדש ידיו ורגליו ונכנס להקטיר קטורת של בין הערבים *Adducebant ei veſtes albas & induebat & manus & pedes ſanctificabat: Intrabat, ut depromeret cupam thuribulumque. Sanctificabat manus & pedes & exuebat & deſcendebat & lavabat, deſcendebat & abſtergebat. Adducebant*

ei

ei vestes aureas, & induebat, & sanctificabat manus ac pedes, & intrabat ad suffiendum suffimentum vespertinum. Ex versione Cel. Sheringhamii. Addo aliud antiquissimum testimonium ex תורת כהני׳ libro qui *lex sacerdotum* vocatur, prout illud annotatum reperio in *Comment.* Bechai in Leg. f. CXLVIII. 3. c. f. בתורת כהנים אמרו בד להוציא את החשן בד להוציא את האפוד בד להוציא את המעיל בד להוציא את הציץ והטעם לפי שבגדי כהן גדול הם שמנה ד׳ מהן בד וכד׳ מהן יש בהם זהב ולא היה רשאי ליכנס לפני לפנים בבגדי זהב לפי שאין קטיגור נעשה סניגור ולפיכך הזכיר עם כל אחד בד׳ למעט שאר הבגדים שכתוב בהם לפני י״י לפי שנ׳ בחשן לפני י״י תמיד ונא׳ באפוד לפני י״י ונא׳ במעיל בבאו אל הקדש לפני י״י ונאמר בציץ לרצון להם לפני י״י יכול יכנס בהם לפני לפנים לכך נאמ׳ בד להוציא את החשן בד להוציא את האפוד בד להוציא את המעיל בד להוציא את הציץ *In Libro, qui Lex Sacerdotum dicitur, scriptum est: Quatuor vicibus repeti* בד *linum ad excipiendum (IV.) vestes, pectorale, Ephod, Pallium & Laminam. Ratio autem hæc est; vestes Pontificis erant numero VIII. quarum quatuor lineæ, sed in reliquis quatuor aurum erat. Cum aureis vero nulla* (in Sanctissimum) *ingrediendi potestas concedebatur, nec enim* κατήγορος *accusator fit* συνήγορος *patronus. Idcirco de unaquaque veste differens addidit* בד *linum, ut excipiantur reliquæ vestes, de quibus lex jubet gestandas illas esse in conspectu Dei; nam de pectorali scriptum legimus Exod. XXVIII. 30. in conspectu Dei jugiter: de Ephodo C. cit. v. 12. de Pallio quando sanctum in conspectum Dei intrat: & de Lamina v. 38. ut sit benevolentia erga illos in conspectu Adonai. Unde forsan colligendum (Pontificem memoratis vestibus ornatum) locum intimum ingredi (debere) ne quis id inferat, diserte linum nominatur ad excludendum Pectorale, Ephod, Pallium & Laminam*, quæ ex lino בד non constabant. Quæ olim majorum sententia, eadem posterioribus temporibus posterorum, ex quibus duos nonnisi testes allegabo, Raschium & Maimonidem. Ille in *Comment. ad Pent. ad h. l.* fol. CXXXII. מגיד שאינו משמש בפנים בשמנה בגדים שהוא משמש בהן בחוץ שיש בהם זהב לפי שאין קטיגור נעשה סניגר אלא בארבעה ככהן הדיוט וכולן של בוץ Legislator v. 4. *indicat Pontificem VIII. vestes indutum adytum intrare non debere: Ita exterius sacra facit; aurum, quod illis inest, impedit, nam accusator non patronus, sed IV.*

 non-

nonnisi, ut Sacerdotes gregarii. Hæ omnes ex Bysso sunt. Hic in Tractatu כלי המקדש C. VIII. בגדי לבן הם ארבעה כלים שמשמש כהן גדול ביום הכפורים כתנ' ומכנסים ואבנט ומצנפת *Candida vestimenta fuerant illa quatuor, quibus ad solennitatem expiationum summus Sacerdos sacris operaturus induebatur; tunica videlicet, femoralia, Balteus atque cidaris:* Ex versione Lud. de Comp. de Veil.

§. 60. Hæc prolixius pertractare necessarium judicabam, quandoquidem inter Christianos, prioribus præsertim seculis, plurimi reperiebantur, qui Pontificis sanctissimum intraturi vestitum ex VIII. vestibus constitisse statuebant. Et quod mirum, ex iis quoque fuerunt, qui notitia rituum sacrorum præ aliis excellebant. Quantus vir & in Hebraicis supra omnes alios suo tempore exercitatus *Hieronymus*? Hic tamen ad Fabiolam scribit: *Tintinnabula vesti apposita sunt, ut cum ingreditur Pontifex in Sancta Sanctorum, totus vocalis incedat, statim moriturus, si hoc non fecerit. Fr. Junius*, magni nominis Theologus *in suo Comment. ad h. l.* ita scribit: *Vestes hic non omnes enumerantur Sacerdoti imperatæ, sed tamen Synecdochicôs intelligendæ sunt ex* Exod. XXVIII. Nuperrime idem *Cl. Goussetius Blæsens: Professor Groninganus* variis argumentis adstruere laboravit: *Ex istis observationibus*, inquit Cel. Vir scrutans vocabulum תמיד *in Comment. Ling. Hebr.* p. 902. *Cum me converto ad* Lev. XVI. 4. *ubi nominantur tantum quatuor vestes lineæ, infero supplendas esse illas, saltem duas Ephod & Laminam:* Et paulo infra: *Et quandoquidem videmus Legem* Lev. XVI. 4. *de vestibus suppleri ex aliis Legibus perpetuis quoad Ephod & Laminam, pari ratione ex v. 35. Exod. XVIII. supplere tenemur tunicam tintinnabulis fimbriatam.*

§. 61. Ab eo autem tempore, quo studia Scripturæ, Linguæ Hebraicæ, rituum sacrorum incrementum sumserunt, numerus eorum, qui antea magna securitate credebant aureas vestes in sanctissimo gestatas fuisse, & tantum non Mysterium in iis quærebant, sensim imminuebatur, ut hoc nostro tempore paucissimos pristinæ opinionis patronos invenias. Mirum profecto Cl. Goussetium ad veterum castra transire, qui ex Scriptura & Viris Doctissimis de hac materia erudite differentibus, *Cunæo, Sheringhamio, Braunio, Collega Goussetii, in re vestiaria præsertim celeberrimo* rectiora edoceri poterat. Sed quod non semel in ejus lectione deprehendi,

id

id hac in materia quoque experior; nomen Rabbinorum penes illum invisissimum est. Ea, quæ Magistri tradunt, traducit falsa, inaniaque esse passim clamat, licet accuratum examen nondum instituerit, licet etiam illa non tam ex traditionibus, quam scriptura ipsa desumta sint. Doctores judaicos censere, ubi censuram merentur, laudabile est; sed ob solum eorum nomen vim veritati facere pessimum judico.

§. 62. Certe, qui solum hoc nostrum caput attente legit confertque cum reliqua Lege, facile reperiet vestitum pontificalem diei expiationis IV. nonnisi vestes requisivisse. Deus enim Ministerium solennis hujus diei præscribens ea, quæ illi propria & peculiaria sunt, præcipit: Quæ vero cum aliis communia, silentio præterit, utpote illa ex prioribus legibus satis nota erant. Hinc nihil de sacrificio fertoque jugi: Nihil de suffitu ordinario. Ex adverso functiones huic solennitati propriæ plenius recensentur, uti suffitus, sparsio sanguinis in Sancto Sanctorum &c. Pariter se res habet cum vestitu, nam quia ordinarius tum temporis non induendus, legislator jubet; *Hoc modo Aharon ingredietur illud sanctum: Tunicam lineam sacram induet* &c. q. d. Quod vestes Aharonis intrantis concernit, hæ, quas definiam, ab illo induentur. Atque hoc inde patet, quia ab eo tempore, quo certas vestes in rebus sacris administrandis induere Pontifex jubebatur Exod. XXVIII. Lev. VIII. vestitus non solet repeti vel de novo describi. Neque etiam necessarium; Lex semel data in posterum semper obligat, nisi alia accedat, quæ priorem vel ex parte, vel ex toto immutet. Quia autem hic vestitus & diversus ab ordinario memoratur, certissimum est, expiationem in aliis quam ordinariis vestibus factam fuisse, & fieri debuisse. Insuper, quæ esset ratio, ut Moses post unamquamque vestem diserte materiam, quæ בר certa lini species dicitur, exprimeret, nisi ostendere voluisset, vestes has ab ordinariis distingui, partim lini specie, uti in tunica, partim materia, nam Balteus, quo quotidie S. Sacerdos cingebatur, ex lino & lana constabat. Alioquin suffecisset præceptum: *Induet vestes suas*, imo ne hoc quidem monere necessarium, quasi Aharon ignoraret sacris vestibus in sanctuario versandum & laborandum esse. Dein quare quatuor tantum, non omnes octo, nominavit? Procul dubio, quia quatuor nonnisi induendæ erant. Forsan reli-

quæ

quæ ſubintelligendæ erunt? Non arbitror; nam, ſicuti ex dictis patet, luculenta nimis peculiaris veſtitus ſigna in commate latent. Præterea magis neceſſarium, ut IV. illæ veſtes, quæ tacentur, expreſſæ fuerint, nam ſine tunica, femoralibus, Balteo & Pileo nulla in templo peragebatur functio, adeoque unicuique cognitum Pontificem memoratis veſtibus rem ſacram adminiſtraturum. Verum ſine Pectorali, Ephod, Lamina, Pallio plurima ſacra officia implebantur.

§. 63. Habet quidem *Cel. Gouſſetius* nonnulla, quibus ſententiam veterum probare conatur, ſed infirma. I. Exod. XXVIII. 29. 30. 35. & 38. ubi pectoralis geſtatio תמיד *jugis in ingreſſu in ſanctum coram conſpectu Domini*, præcipitur, ut etiam *Urim & Tummim*; ſic lamina in conſpectu Dei תמיד *jugiter* fronti alligata requiritur. Pallio quoque Aharon intraturus Sanctum in conſpectum Dei veſtitus eſſe jubetur. Ergo die expiationis, qua Pontifex præſertim in conſpectum Dei venit, Sanctum intravit, Pectorale, Urim & Tummim, Laminam & Pallium geſtabat. Sed obſervandum א legem Lev. XVI. recentiorem eſſe illa Exod. XXVIII. Sæpenumero autem evenit, ut Legi, primo abſolute latæ, poſtea certas ob cauſas exceptio adjiciatur, qualis quoque occaſione filiorum Aharon Lev. X. XVI. 1. 2. addi potuit. Quod ſi igitur jugis geſtatio pectoralis &c. in ſanctiſſimo coram Dei facie Exod. XXVIII. præcepta (quod tamen non arbitror) nova aliqua Lege Lev. XVI. Dies jejunii circa functiones ſolennis expiationis ab illa eximebatur. ב Exodi Cap. XXVIII. ſermo nonniſi de ordinariis veſtibus, ordinariis quoque functionibus Pontificis & Sacerdotum Gregariorum: Sed Lev. XVI. de extraordinariis, quas ideo quoad numerum & materiam in oppoſitione ad illas legifer ἀκριβῶς deſcripſit. ג, Bene *Auctor libri* תורת כהנים annotavit, unamquamque ex IV. veſtibus *lineam* dici, quo ſciamus, illas excipi veſtes, quæ jugiter in conſpectu Dei geſtandæ præcipiuntur, & ex alia conſtabant materia vide §. 59. Dein neque vox תמיד *jugiter*, neque phraſis *venire coram Domino* aut *venire in Sanctum*, neceſſario geſtationem memoratarum veſtium in Sanctiſſimo infert. *Non* תמיד, nam, fatente ipſo Gouſſetio, *admittit interruptionem per intervalla, modo res præſcripta repetatur, ac fiat temporibus legitimis, loc. ſupra cit.* Non ergo pectorale &c. continuo geſtandum, quin aliud etiam veſtimentum

indu-

induendum ſit, præſertim ex juſſu numinis. Recte monet: *Modo res præſcripta repetatur ac fiat temporibus legitimis*, nam concedimus VIII. illas veſtes à Pontifice extra diem expiationis ſemper geſtatas fuiſſe imo, juxta Judæos, geſtabantur illa ipſa die, quando Aharon occupatus erat ordinariis functionibus, veluti Sacrificio jugi, non vero illis, quæ ſpeciatim ad expiationem pertinebant. *Non etiam venire coram Deo:* Phraſis enim generalis eſt, quæ de omnibus iis dicitur, qui loca, in quibus Deus ſe aliquo illuſtri modo manifeſtat, adeunt. Hinc etiam לפני י״י *in conſpectu Domini* eſſe dicitur, qui in terra ſancta commoratur Jon. I. 3. in oppoſitione ad terram gentium, in qua adeo luculenta gratioſæ præſentiæ divinæ ſymbola non cernuntur. Speciatim omnes, qui templum frequentant Lev. XXIII. 4. Exod. XXIII. 15. לפני י״י *in conſpectu Domini* eſſe dicuntur. Hinc ergo infirmum argumentum pro introitu in Sanctiſſimum cum VIII. veſtibus petitur. Certiſſimum quidem, quod intrans Sanctum Sanctorum *in conſpectu Domini* ſit; attamen ille quoque *coram facie numinis*, qui in atrio aut prima ſanctuarii parte conſiſtit, eſt, quod ipſe *Gouſſetius* negare nequit ob Lev. XV. 14. Quia vero diſerta loca, quo minus Phraſin *venire in conſpectum Dei* in memorata materia de aditu adyti explicare queam, obſtant, patet male ita accipi. Nec denique *venire in ſanctum*, nam קדש uti ſupra ad §. 19. jam diximus, nomen generale eſt, quod circumſtantiæ determinant. Verum hæ Exod. XXVIII. pro me faciunt. א Moſes Sanctiſſimum vel קדש הקדשי׳ *Sanctum Sanctorum* Exod. XXVI. 33. vel הקדש *Sanctum illud, quod retro velum, verſus operculum propitiatorium, quod ſuper Arcam* Levit. XVI. 2. vel addito alio claro notionis memoratæ indicio vocat, non ſimpliciter הקדש quod deSancto uſurpat. Exod. XXVI. 33. ב. Exod. XXVIII. 29. *Et portabit Aharon nomina filiorum Iſrael in ſacro illo pectorali judicii ſupra cor ſuum, quum ingreditur* אל הקדש *in ſanctum in memoriale Adonai* תמיד *jugiter.* conf. V. 30. quemadmodum Sacrificium mane & veſperi offerendum Num. XXVIII. 3. aptatio lucernarum Exod. XXVII. 20. Ignis Lev. VI. 6. תמיד *jugis*, dicitur, ita ingreſſus אל הקדש *in ſanctum* jugis nominatus talem innuet, qui ſæpius repetebatur, qualis non ille in Sanctiſſimum ἐφάπαξ *una die* in anno factus. ג. Inferius v. 43. Moſes loca veſtium ſacrarum geſtandarum deſignans in hunc modum loquitur: *Eruntque (veſtes) ſuper Aharonem & Filios*

ejus, quum intrabunt tentorium conventus, aut quum accedent ipsum Altare לשרת בקדש *ad ministrandum in sancto.* An *sanctum notat adytum?* An Sanctissimum etiam filii Aharonis ingressi sunt, quibus hic idem cum Patre Administrationis locus adscribitur? Annon clare הקדש *sanctum*, in quo ara suffitus &c. indicat?

§. 64. Argumentum Cl. Goussetius petit ex Josepho L. VI. c. 6. qui Sacerdos, adeoque oculatus testis fide dignissimum testimonium perhibere potest. Testimonium ita sonat: Ταύτην τὴν ἐσθῆτα ὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε δ' εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον, εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος, ἐν ᾗ νηςεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ Θεῷ: *Ea veste* (de pectorali est ultimus sermo) *non semper sed alia minus ambitiosa utebatur, illa vero, si quando adyta* (*Lege adytum*) *introibat. Solus autem atque semel in anno intrabat, quo die cunctos jejunare Deo mos erat. ex versione Rufini.* Lib. VI. *B. Jud.* c. 6. p. 919. *Ed. Col.* sed juxta Edit. Havercampi L. V. c. 5. p. 336. Unde evidens est juxta mentem Josephi Pontificem pretiosiori veste indutum Sanctissimum intrasse. Quare consultissimus *Cunæus* aliter ex scriptura & unanimi Rabbinorum consensu edoctus non dubitat hæc diligentissimi historici verba festinationi & incogitantiæ, quæ in rebus, etiam obviis, improvida & cœca est[a], adscribere. Quod mihi quidem incredibile videtur. Qua ratione Josephus, sacerdotali stemmate prognatus, contrarium illi, quod sæpissime oculis suis viderat, scribere potuit? Sane ego nescio. Malo itaque aliter argumento, quod hinc desumitur, occurrere. Primo quidem sciendum, quod idem Celeberr. Auctor *Antiquitatum* l. III. c. 8. (in quo Pontificialem ac Sacerdotalem vestitum prolixe juxta ac erudite describit) VIII. vestes Pontificis sed IV. Gregariorum ordinarias statuat, nulla prorsus mentione facta, quod illis adytum intrans nonnisi utatur, sed potius prout Sacerdotes secundarii rem sacram administraturi vestes quatuor induunt; ita Sacerdos magnus in templo operaturus illis superinduit alias quatuor. Dein juxta *Antiq. L. XI. c.* 8. Deus Jaddo in somnis apparens jubet αὐτὸν μετὰ τῶν ἱερέων ταῖς νομίμοις ςολαῖς ποιεῖσθαι τὴν ὑπάντησιν, *ut ille cum reliquis Sacerdotibus vestibus in Lege præscriptis Alexandro obviam prodeat.* Statim infra additur, Alexandrum è longinquo vidisse

τοὺς

τοὺς ἱερεῖς προεστῶτας ἐν ταῖς βυσσίναις αὐτῶν, τὸν δ' Ἀρχιερέα ἐν τῇ ὑακινθίνῃ καὶ διαχρύσῳ στολῇ, *Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificemque in stola hyacinthina auro distincta* &c. Hæc Pontificis νόμιμος dicitur, uti amictus Byssinus reliquorum Sacerdotum: Quibus & ille & hi vestiti ordinarias functiones obibant. Insuper ex illo ipso capite, unde contrarium argumentum desumtum, idem colligitur. Josephus memorans Pontificem cum reliquis Sacerdotibus templum non semper ascendere, sed diebus quibusque septimis & per singulos menses Calendis, ac festivitate aliqua annua, ipsum quoque amictum, quo tum sacrificare solet, describit, & expressis verbis etiam nominat Pallium, Amiculum, Pectorale, Laminam. An ergo Josephus statuit vestem pretiosiorem die jejunii solum gestatam fuisse? Minime: Hoc statuere summæ ignorantiæ foret. Quod, ut puto, nequidem Goussetius inficias ibit, & alii, qui ab altera opinione stant, nam licet hi ingressum in Sanctissimum cum VIII. vestibus afferant, non tamen negant extra id alio tempore vestitum aureum gestatum fuisse. Recte igitur verba Josephi vertit eruditissimus Seldenus, scil. *Habitum quidem illum alio tempore non gerit, sed simpliciorem* (viliorem) *adsumit. Ita vero fit cum adytum introit. Semel autem in anno introit solus, quo die cunctos Deo jejunare mos est. De Success. in Pontif.* L. II. C. VII. Cum hac versione convenit *Hudsoni. Edit. Havercampi* l. cit. Ita Josephus cum scriptura, contribulibus & iis, quæ alibi scripsit, convenit.

§. 65. Nullum ergo præsidium habet *Cl. Goussetius* in testimonio Josephi rite intellecto, sed id ipsum nostræ favet sententiæ, Goussetianam vero destruit. Pontifex enim adytum intrans viliorem vestitum sumsit, scil. IV. nonnisi vestes ex puro lino, prout etiam *Philo* L. II. *de Monarchia* pag. 823. *Edit. Francof.* Τῷ Ἀρχιερεῖ διείρηται τὴν παραπλησίαν ἐσθῆτα ἀναλαμβάνειν, ἡνίκα ἂν εἰς τὰ ἄδυτα ἐπιθυμιάσων εἰσίῃ, *Pontifex jubetur & ipse vestem similem* (scil. Sacerdotibus secundariis) *sumere, quando adytum subit*, sed extra hoc tempus vestitum elegantiorem induebat. Manet igitur certum firmumque Aharonem Tunica, Femoralibus, Balteo, Pileo, vestibus sacris lineis, non aliis, amictum proxime in conspectum Dei ivisse.

§. 66. Notandum insuper, quod Traditionarii de his vestibus in *Tract. Joma C. III. 7.* reliquerunt : בשחר היה לובש פלוסין של שנים עשר מנה ובין הערבים הנדויין של שמנה מאות זוז דברי רבי מאיר וחכמים אומרים בשחר היה לובש של שמנה עשר מנה ובין הערביים של שנים עשר מנה הכל שלשים מנה אלו משל צבור ואם רצה להוסיף מוסיף משלו *Mane* (Pontifex) *induebatur Pelusianis vestibus, quæ XII. minas, & vesperi indicis, quæ octingentas Drachmas valebant, verba R. Meir. At sapientes dicunt, mane induebatur vestibus, quæ octodecim, & vesperi vestibus, quæ duodecim minas valebant. Tota hæc triginta minarum summa universo populo irrogata erat, & ipse, si quicquam addere cupiebat, addebat.* Linum Pelusiacum, quod in Ægypti oppido ita dicto (*Targum Hierosolym.* pro *Ramses* habet, annotante *Obad. de Bartenora*) procrescebat, ut & indicum candidissimum atque pretiosissimum fuisse eleganter docent *Sheringhamius, Braunius Vest. Sac.* L. I. c. 7. atque etiam pretium additum sufficienter testatur.

§. 67. Fateor hæc haud bene convenire cum iis, quæ supra à nobis dicta sunt, scil. בד *viliorem lini speciem indigitare*, quam שש. Eadem etiamnum mens est: Nam ut præteream rationes supra datas, quare Deus VIII. vestes, quæ ex lino, lana, auro & gemmis constabant, in ordinariis Pontificis functionibus indui jussit, sed nonnisi IV. easque omnes ex lino, in ingressu adyti? Credibiliter quoniam Sacerdotem S. veniam peccatorum, tum Sacerdotii, tum totius coetus petentem nihil æque ac humilitas, quæ externe in vestitu etiam se exerere debebat, decebat; alioquin concessa illi fuisset potestas vestibus aureis, quæ lineas pretio multum superabant, Sanctissimum intrandi. Pontifex inter Sacerdotes, reliquosque Judæos versans elegantissimo juxta ac pretiosissimo amictu sibi auctoritatem dignitatemque conciliabat: Sed in Sanctissimo proximus Deo, simplici, vilique (saltem opposite ad ordinarium) gratiam numinis submisse expetebat. Commode Josephus supra ait : λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε δ' εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον, *viliorem* (habitum Pontifex) *sumsit, quando adytum intrabat.* Quod ratione IV. vestium, quæ illi peculiares erant, quæque tum temporis gestabantur, valet. Bechai observat quoque vestitum lineum à Deo præscriptum humilitatis, unitatis & remissionis peccatorum argumentum

tum

tum præbuiſſe ירמוז על ההכנעה שהרי הבד [צמח עולה מן העפר לכנע העובד שהוא. עפר מן האדמה מה שאין כן כצמר שהוא עולה מבעלי חיים וכ"ו ירמוז על היחוד שכן לשון בד יחידי ומן הידוע שהחוט שלו יחידי אינו נחלק כלל כמו הצמר שהחוט שלו נחלק וכן השער בארם: וזה שאמר בד בבד [כלומר שאינו נחלק ואם כן הרי יש בו סימון ורמז [ליחוד. וכן הבד הוא לבן וגוון הלובן הוא סימון המחילה Linum *tacite innuit humilitatem :] Lini ſpecies* בד *eſt germen ex pulvere procreſcens , quod (ita) miniſtrantem , qui pulvis ex terra eſt , humilem reddere debet. Non ita ſe res habet cum lana , quæ ab animantibus deſumitur &c. Innuit inſuper unitatem , nam* בד *unicum , ſolum notat : Eſtque in confeſſo lini* בד *filum eſſe unum , plane non diviſum quemadmodum lanæ filum diviſum eſt. Ita quoque eſt Pilus hominis. Præterea hoc ſenſu accipitur Exod. XXX.* 34. בד בבד *ſingula ſeorſim erunt , neque dividentur. Inde ergo patet* בד *notam unitatis continere. Denique quia linum candidum , color candidus ſignum remiſſionis peccatorum habetur. Comment. in Leg. f. CXLVIII.* c. 4. Præterea *Maimon. Tract.* כלי המקדש C. VIII. 14. non obſcure innuit veſtes ex lino שש confectas præſtantiores eſſe illis , quæ ex בד conſtant. Hinc ait: מצו'מן המובחר שיהיה כפול ששה *Melius eſt filum conduplicari ſexies.*

§. 68. Sed annon juxta antiquiſſimum Miſchnæ Teſtimonium veſtes Peluſianæ & Indicæ mane & veſperi ſolenni illa die geſtatæ faciebant ſummam XXX. minimum minarum , quæ , ut rem noſtro loquendi modo exprimam , ex computatione Eliæ apud Waſerum valorem DCCL. Thalerorum imperialium continent. Sane pretium hoc elegantiſſimas fuiſſe has veſtes ſufficienter probat. Non quidem nego, memoratam pecuniæ ſum̃am ad veſtes illas poſteriore tempore impenſam ; ſed nego (α) pretium hoc aſſurgere ad id, quo ordinariæ emebantur. (β) Dein in Lege fundatum eſſe. Fieri tamen facile potuit , ut ſub ſecundo templo , quo de externo cultu potius , quam interno cordis ſolliciti erant , ejusmodi ſumtuoſas veſtes conficiendas curaverint. Plerumque Pontifices ſuperbi eo tempore Pontificatui præerant , qui extus auro nitere quam intus cordis humilitate ſe Deo probare maluerunt. Hinc ex teſtimonio ſupra citato elucere puto , illos pecunia nominata , quam ærarium publicum ſuppeditabat , aliquando non contentos fuiſſe , ideoque

ſummam à ſynedrio conſtitutam, ne nimia ſuperbiendi cupido bonis cœtus detrimento eſſet: Quare additur; Pontifex, *ſi quicquam addere cupiebat, addebat de ſuo.*

§. 69. Poriſmata ex prima parte v. 4.

(α) *Deus, qui Spiritus, cujus veſtis gloria & lux cœleſtis Pſal. CIV. 1. 2. pulchris ac pretioſis veſtibus, quas docti artificum digiti conficiunt, per ſe non capitur.* Ipſe creaturas corruptioni obnoxias majori gloria veſtit, quam ſuperbi Monarcharum amictus comparati eſſe ſolent. Matth. VI. 28. 29. Nemo igitur ſtolide opinetur Legem hanc veſtiariam à Deo eſſe datam, ac ſi oculi ejus decore & pretio veſtium paſcerentur.

(β) *Quam clariſſime inde effulget, eo quod ſummus ſacrorum Miniſter in intimo adyti aditu Lege conſtrictus fuerit ad comparendum veſtibus vilibus, imo gregariorum vilioribus, paucis, tantum non neceſſariis.* Communiter & quando verſabatur in conſpectu Eccleſiæ veſtes geſtaverat, multas, gemmis, auro pretioſas & variis coloribus rutilantes.

(γ) *Prudenter itaque lex hæc veſtiaria divina conſideratur ſymbolica, docens Deum delectari humilitate, ſimplicitate, puritate;* Qui propior Deo, tanto humilior, ſimplicior ac puritatis ſtudioſior.

(δ) *Stolidus itaque eorum faſtus, qui quo magis humilitatem coram glorioſo Deo teſtari deberent, tanto magis ſuperbas induunt veſtes.* Sacram veluti Cœnam accipientes ſe filios mortis eſſe, filium Dei ob peccata hominum cruci affixum fuiſſe. Humiles petunt veniam peccatorum. An tum locus eſt nitidas & elegantes veſtes induendi? Certe non.

(ε) *Etiam amictus Pontificis V. Teſtamenti convincit nos de imperfectione Pontificatus Aharonici.* Nudipes per totum expiationis diem ſteterat, inceſſerat; geſtaverat veſtes, quæ fructus terræ; neceſſe habuerat, ut verenda ejus obtegerentur. Quam alius à Pontifice Jeſu Chriſto in throno Majeſtatis ſedente, effulgeſcentia gloriæ paternæ Hebr. VIII. 1. 3.

70. Tertium ſpeciale Mandatum concernit lotionem Pontificis & actum veſtiendi, qui illam ſequitur in v. 4. b. ורחץ במים את בשרו ולבשם *Et lavabit aqua carnem ſuam & induet ea* (veſtimenta.)

§. 71.

§. 71. Sanctus Israelis populum ad studium sanctificationis excitaturus varias de baptismo Leges tulit Hebr. IX. 10. maxime ordini Sacerdotum, unde Exod. XXX. 18. 19. *Facies labrum æneum & basin ejus æneam* לרחצה *ad lavandum, Aharon & filii ejus ex eo* ירחצו *lavabunt manus suas & pedes suos.* In Tr. יומא C. III. 3. a. exstat אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אפי' טהור עד שיטבול *Nemo atrium intrabat ad Ministerium peragendum, tametsi mundus, priusquam se laverat,* Sheringhamio vertente. Non itaque mirum, Aharonem hac Lege obstringi ad lotionem.

§. 72. Sed quæritur: An unica lotio suffecerit per totum expiationis diem? An vero Pontifici incubuerit lotionem una eademque die repetere, & quot vicibus? Resp. Certissimum est repetendam fuisse, sicuti liquet ex v. 24. Certissimum quoque, quod Aharon jam ante se laverit, peragens Ministerium diei commune, quod præcesserat. Illotis manibus enim sacra tractanda non erant. Quando vero in *Tr. Mischnico* יומא Cap. III. 3. b. exstat חמש טבילות ועשרה קדושין טובל כהן גדול ומקדש בו ביום *Sacerdos magnus quinquies in die expiationis lavabat & decies manus ac pedes sanctificabat*; non puto ex tenore Legis divinæ molestum hoc Ministerium profluere. Posteriori tempore demum Decretum hoc à Sapientibus constitutum est. Magistri, ne majores habeantur absque ratione grave jugum imposuisse, dicunt Pontificem dicta die quinquies à Ministerio interiori ad exterius & ab hoc ad illud transivisse; & inde obligatum fuisse ad quinque immersiones & ad decem sanctificationes, quemadmodum plenius legitur in *Disput. in Torath Cohanim Parasch. Achare Moth*, quam *Sheringhamius* habet *in Tractatu* יומא C. VIII. v. 2. quamque Raschius contraxit *in Comm. ad Levit. I.* p. in verbis: אותו היום טעון טבילה בכל חליפותיו וחמש פעמים היה מחליף מעבודת פנים לעבודת חוץ ומחוץ לפנים ומשני מבגדי זהב לבגדי לבן ומבגדי לבן לבגדי זהב ובכל חליפה טעון טבילה ושני קדושי ידים ורגלים מן הכיור: *Quoties (Pontifex) illa die ab uno ad aliud Ministerium transibat, immergere se debebat: Transibat autem quinquies à Ministerio interiori ad exterius & ab hoc ad illud. Toties quoque vestes immutabat exuendo aureas induendo lineas, exuendo lineas, induendo aureas. Singulis vero vicibus semel ad immersionem, bis ad sanctificationem manuum & pedum ex lavacro obligatur.* Conf. quoque *Jalkut* f. CLXV. l. c.

§. 73. Quam molestum fuerit hoc Pontificis Ministerium insuper ex sequentibus constat. Non enim suffecerant aspersio vel lotio manuum pedumque, sed exigebatur immersio totius corporis. Lex enim mandat: *Lavabit* את בשרו *carnem suam*, non carnis partem aut partes. Quod confirmatur ex v. 24. ubi lotio præcipitur, postquam vestes exutæ & antequam indutæ erant. Ergo nudus lavabatur. Imo hoc ipsum etiam docet nexus h. v. *& lavabit aquis carnem suam & induet vestes*, ut statim plura dicenda erunt. Vocabulum ergo בשר *caro* latius accipitur, quam supra ad §. 51. Totum enim corpus indicat, unde recte LXX. πᾶν τὸ σῶμα αὐτοῦ, totum immersione indigebat, totum itaque immergendum. Ita alibi eadem Phraseos ampla potestas est Lev. XIV. 9. *& lavabit aqua carnem suam* conf. XV. 13. XVII. 16. Pluribus vocibus id commune est, ut iis à scriptoribus jam latiores, jam strictiores, notiones adscribantur. Quocirca probe ad substratam materiam & loca parallela, quæ amplitudinem significationis determinant, attendendum est. Cum superiori observatione convenit, quod *in Jalkut* f. CLXIV. 4. c. f. רחץ את בשר במים שלא יהא דבר חוצץ בינו ובין המים *Abluet carnem suam aqua, ita ut nihil carnem inter & aquam interpositum sit.* Ea ratione, qua olim *Baptismus Proselytorum* administrandus erat, baptizandis totis nudis existentibus; quem imitati sunt Johannes & Christus instituentes βαπτισμὸν *plenariam corporis immersionem.* Dein fiebat aqua naturali, frigida, ea anni parte, quæ jam remiserat ab æstu, & frigidior fieri inceperat. Hinc inventum beneficium pro Pontifice sene aut infirmo אם היה כהן גדול זקן או איסטנים מחמין חמין לו ומטבילין לתוך הצונן כדי שתפיג צנתן *Si Sacerdos magnus senex erat, aut* ἀσθενής (*est ipsum* verbum græcum) *calefaciebant ei calida* (laminis ferreis candentibus) *& frigidis immittebant; ut frigus remitteretur.* Pie utique & licite factum; non enim Leges datæ sunt ad mortem. Nec præcise exstat: *Aquis frigidis.*

§. 74. Baptismo finito demum actu Pontifex induerat vestes. *Lavabit* (Aharon) *carnem suam aquis* ולבשם *induet eas* tum actu. Optime sensum dedit Vulgata: *Cum lotus fuerit, induetur.* Vel etiam: *Ac* (*tum*) *induet* vestes. Res ipsa hunc sensum poscit; vel an illotus sacras vestes induet? Quare ולבש *induet* ab initio versus non intelligendum de actu, sed de jure.

§. 75.

§. 75. Porismata ex v. 4. parte posteriori.

I. *Novum imperfectionis Pontificis Aharonici Documentum. Ipse impurus.* Purus enim lotione non indiget. *Ipse totus carnalis.* Carnem totam immergere tenebatur. *Lotio quoque imperfecta.* Toties enim repetenda. Molestissima lotio veram puritatem secum non duxit. Non mirum : Medium purificationis aqua tantum naturalis erat. Pontifex adeoque Aharonicus minime suffecerat impuris peccatoribus vere sanctificandis ; σκιὰ veri sanctificatoris nonnisi erat.

II. *Sancta sanctis:* Pontifex bene lotus demum potestatem habuerat sanctas induendi vestes. Si vestes sacræ manufactæ corporis puritatem postulaverant, quanto magis vestes spirituales postulant animum mutatum. Novus homo induitur, vetere exuto. Eph. IV. 22. 24.

III. Βαπτισμὸς *carnis nostræ clare testatur nos totos natura impuros esse. Lavari sanguine & spiritu Christi ac ita Christum indui* Gal. III. 27.

IV. Qui *Deum adire, Sacerdotium spirituale præstare, vel templum sancti Dei constitui desiderant, studeant sanctitati mentis corporisque* Jac. IV. 8. Hebr. X. 22. 23. 2. Cor. VII. 1. VI. 16 - f.

§. 76. Quartum Mandatum nominat Sacrificia cœtus. *Deinde sumet a cœtu filiorum Israel duos hircos caprarum in Sacrificium pro peccato, & unum arietem in Holocaustum* v. 5. Circa hoc Mandatum distincte notamus ordinem, Sacrificia, eorumque possessores.

§. 77. Ordo indicatur particula ו, quam cum *S. Schmidio* commode vertimus per *deinde* Hac notione toties sumitur Num. V. 23. Deut. I. 19. Vult etiam nexus, docetque Aharonem non prius aptum esse ad prospiciundum Sacrificiis expiatoriis populi, quam prospexerit propriis. Convenit cum verbis Hebr. VII. 27. *Pontifices primo (necesse habebant) victimas offerre pro propriis peccatis ; postea pro peccatis populi.*

§. 78. Sacrificia hæc rursus memorantur duarum specierum. *Duo hirci caprarum in Sacrificium pro peccato & aries unus in Holocaustum.* Postulantur שעירי עזים *hirci caprarum*, LXX. χίμαροι ἐξ αἰγῶν *hirci ex capris*. Onc. צפירי עזין Jonath. צפירי בני עזי *hirci caprarum filii.* Inferius quidem omittitur עזים v. 7. 8. &c. nihilominus sub-

R intelli-

§. 73. Quam moleſtum fuerit hoc Pontificis Miniſterium inſuper ex ſequentibus conſtat. Non enim ſuffecerant aſperſio vel lotio manuum pedumque, ſed exigebatur immerſio totius corporis. Lex enim mandat: *Lavabit* את בשרו *carnem ſuam*, non carnis partem aut partes. Quod confirmatur ex v. 24. ubi lotio præcipitur, poſtquam veſtes exutæ & antequam indutæ erant. Ergo nudus lavabatur. Imo hoc ipſum etiam docet nexus h. v. *& lavabit aquis carnem ſuam & induet veſtes*, ut ſtatim plura dicenda erunt. Vocabulum ergo בשר *caro* latius accipitur, quam ſupra ad §. 51. Totum enim corpus indicat, unde recte LXX. πᾶν τὸ σῶμα ἀυτȣ̃, totum immerſione indigebat, totum itaque immergendum. Ita alibi eadem Phraſeos ampla poteſtas eſt Lev. XIV. 9. *& lavabit aqua carnem ſuam* conf. XV. 13. XVII. 16. Pluribus vocibus id commune eſt, ut iis à ſcriptoribus jam latiores, jam ſtrictiores, notiones adſcribantur. Quocirca probe ad ſubſtratam materiam & loca parallela, quæ amplitudinem ſignificationis determinant, attendendum eſt. Cum ſuperiori obſervatione convenit, quod *in Jalkut* f. CLXIV. 4. c. f. רחץ את בשר במים שלא יהא דבר חוצץ בינו ובין המים *Abluet carnem ſuam aqua, ita ut nihil carnem inter & aquam interpoſitum ſit.* Ea ratione, qua olim *Baptiſmus Proſelytorum* adminiſtrandus erat, baptizandis totis nudis exiſtentibus; quem imitati ſunt Johannes & Chriſtus inſtituentes βαπτισμὸν *plenariam corporis immerſionem.* Dein fiebat aqua naturali, frigida, ea anni parte, quæ jam remiſerat ab æſtu, & frigidior fieri inceperat. Hinc inventum beneficium pro Pontifice ſene aut infirmo אם היה כהן גדול זקן או איסטניס מחמין חמין לו ומטבילין לתוך הצונן כדי שתפיג צנתן *Si Sacerdos magnus ſenex erat, aut* ἀσθενὴς (*eſt ipſum* verbum græcum) *calefaciebant ei calida* (laminis ferreis candentibus) *& frigidis immittebant, ut frigus remitteretur.* Pie utique & licite factum; non enim Leges datæ ſunt ad mortem. Nec præciſe exſtat: *Aquis frigidis.*

§. 74. Baptiſmo finito demum actu Pontifex induerat veſtes. *Lavabit* (Aharon) *carnem ſuam aquis* ולבשם *induet eas* tum actu. Optime ſenſum dedit Vulgata: *Cum lotus fuerit, induetur.* Vel etiam: *Ac (tum) induet* veſtes. Res ipſa hunc ſenſum poſcit; vel an illotus ſacras veſtes induet? Quare ולבש *induet* ab initio verſus non intelligendum de actu, ſed de jure.

§. 75.

§. 75. Porismata ex v. 4. parte posteriori.

I. *Novum imperfectionis Pontificis Aharonici Documentum. Ipse impurus.* Purus enim lotione non indiget. *Ipse totus carnalis.* Carnem totam immergere tenebatur. *Lotio quoque imperfecta.* Toties enim repetenda. Molestissima lotio veram puritatem secum non duxit. Non mirum : Medium purificationis aqua tantum naturalis erat. Pontifex adeoque Aharonicus minime suffecerat impuris peccatoribus vere sanctificandis ; σκιὰ veri sanctificatoris nonnisi erat.

II. *Sancta sanctis :* Pontifex bene lotus demum potestatem habuerat sanctas induendi vestes. Si vestes sacræ manufactæ corporis puritatem postulaverant, quanto magis vestes spirituales postulant animum mutatum. Novus homo induitur, vetere exuto. Eph. IV. 22. 24.

III. Βαπτισμὸς *carnis nostræ clare testatur nos totos natura impuro esse. Lavari sanguine & spiritu Christi ac ita Christum indui* Gal. III. 27.

IV. Qui *Deum adire, Sacerdotium spirituale præstare, vel templum sancti Dei constitui desiderant, studeant sanctitati mentis corporisque* Jac. IV. 8. Hebr. X. 22. 23. 2. Cor. VII. 1. VI. 16 - f.

§. 76. Quartum Mandatum nominat Sacrificia cœtus. *Deinde sumet a cœtu filiorum Israel duos hircos caprarum in Sacrificium pro peccato, & unum arietem in Holocaustum* v. 5. Circa hoc Mandatum distincte notamus ordinem, Sacrificia, eorumque possessores.

§. 77. Ordo indicatur particula ו, quam cum *S. Schmidio* commode vertimus per *deinde.* Hac notione toties sumitur Num. V. 23. Deut. I. 19. Vult etiam nexus, docetque Aharonem non prius aptum esse ad prospiciundum Sacrificiis expiatoriis populi, quam prospexerit propriis. Convenit cum verbis Hebr. VII. 27. *Pontifices primo (necesse habebant) victimas offerre pro propriis peccatis ; postea pro peccatis populi.*

§. 78. Sacrificia hæc rursus memorantur duarum specierum. *Duo hirci caprarum in Sacrificium pro peccato & aries unus in Holocaustum.* Postulantur שְׂעִירֵי עִזִּים *hirci caprarum,* LXX. χίμαροι ἐξ αἰγῶν *hirci ex capris.* Onc. צְפִירֵי עִזִּין Jonath. צְפִירֵי בְנֵי עִזֵּי *hirci caprarum filii.* Inferius quidem omittitur עִזִּים v. 7. 8. &c. nihilominus subintelli-

intelligendum eſt, quod ſatis indicat præfixum ה demonſtrativum. Confer ea, quæ ad §. 34. de ſtudio brevitatis in ſcriptura diximus, & Lev. IV. 23. 24. ubi idem prorſus exemplum, quod hic. Conſtructio hæc, quæ etiam alibi paſſim exſtat Gen. XXXVII: 31. Lev. IV. 23. Num. VII. 26. 87. XV. 24. XXVIII. 15. &c. שעיר & עז prorſus eundem ſexum animalis atque eandem ætatem innuere negat. Uti ſimilis conſtructio גדי העזים Gen. XXVII. 9. conf. Gen. XXXVIII. 17. Jud. VI. 19. XV. 1. גדי à עזים diſtinguit & ortum ac ætatem minorem indicat, ita ſe habet cum שעירי עזים *hircis caprarum.* Si Judæis credimus, שעיר eſt ſupra annum ætatis primum intra ſecundum. Dein עז plerumque (ſi non ſemper) de genere fœminino prædicatur. Gen. XV. 9. Num. XV. 27. Gen. XXX. 35. & à תישים *hircis* diſtinguitur Gen. XXXII. 14. ſed שעיר de maſculino, quare ad fœmininum alia terminatio additur Lev. IV. 28. V. 6. Conf. IV. 23. Maſculi itaque præſcribebantur.

§. 79. Numerus hircorum ex capris שני שעירי עזים *duos hircos caprarum* accipiet, ut & v. 7. 8. Hinc, quia ter *duo hirci* exprimuntur, præeunte Textu Gemarico *Talm. Babyl. Joma* fol. LXII. c. 2. init. colligunt Magiſtri, *Raſchius*, *Maimonides & Bartenora in Annot. ad* C. VI. 1. *Tr. Joma* hos binos in tribus convenire debere. Poſterioris verba hæc ſunt: במראה שניהם לבנים או שניהם שחורים ובקומה ובדמים דתלתא קראי כתיב וכ"ו וכיון דשעירים תרי משמע מה תלמוד לומר שני שני שני תלתא זמני אלא שיהיו שוים במראה ובקומה ובדמים *Uterque albus aut niger, par inſuper ſtatura & pretio requiritur, nam tres ſcripturæ verſus (ſcil. v. 5. 7. 8.) duorum hircorum ex capris mentionem faciunt: Quia autem hirci in numero plurali duos (numero etiam non addito minimum) indicant, terna illa repetitio nos docet pares colore, ſtatura, atque pretio requiri.* Jejunam admodum argumentationem eſſe ſola lectio ſatis oſtendit, quæ forſan hinc orta, quia noverant priſcos olim in hircis eligendis ad hæc tria attendiſſe: Quare facti rationem ex ſcriptura petere quærebant, quam quoque ſed ineptam infirmamque dederant. Atque hoc ſæpiſſime obſervavi, quod recentiores ad priſcum ritum, qui verus aut ſaltem veroſimilis apparet, ex ſcriptura probandum invalida, imo ridicula argumenta adhibeant. Unde aliis, iniquioribus præſertim, antiquitatum judicibus, ipſum ritum penitus ne-

gandi

gandi ansam præbent. Præstaret sane factum simpliciter tradere, quam ejus institutum divinum, quale nullum est, indocte comminisci.

§. 80. Ex dictis liquet, quod allatum argumentum ineptum sit ad probandum æqualitatem duorum hircorum. Sed annon aliunde solidius probetur, quæritur. Resp. Verum est, quod Judæi antiquiores pro æqualitate hircorum stent. Unde in Mischna Tr. Joma C. VI. 1. שני שעירי יום כפורים מצותן שיהיו שניהן שוין במראה ובקומה ובדמים ולקיחתן כחדא Sheringhamio interprete: *De duobus hircis diei expiationis mandatum est, ut sint pares aspectu, statura & pretio, & ut simul etiam capiantur.* Notatu dignum est, quod etiam cum hac vetusta Judæorum Traditione conveniant duo Patres primitivæ Ecclesiæ, Justinus Martyr, & Barnabas, ille his verbis; Καὶ οἱ ἐν τῇ νηστείᾳ τράγοι δύο ὅμοιοι κελευσθέντες γίνεσθαι. *Et qui in jejunio solenni hirci pares accipi jubebantur, in Dialog. cum Tryphone Jud.* p. 259. Ed. Col. 1686. Alter his; Λάβετε δύο τράγους καλοὺς καὶ ὁμοίους, *Sumite] duos hircos bonos & similes.* vid. *Spencerum de Legibus* L. III. C. X. Disp. VIII. §. 11. p. m. 493. Non scio argumentum, quod vere stringit. Moses silet. Meminit nonnisi duorum hircorum forte distinguendorum. Non vero tantæ æqualitatis. Ipsi quoque vetusti Judæi non stant pro necessitate æqualitatis. Unde loco *Joma* citato statim additur: אף על פי שאינן שוין כשרין לקח אחד היום ואחד למחר כשרין *Quamvis non sint pares, legitimi sunt, si unus hodie captus sit, & alter cras, legitimi sunt.* Si æqualitas expressa Lege Numinis definita fuisset, penes Sapientes minime staret etiam inæquales probare. Concessio consistit cum iis, quæ à Sapientibus ortum habent. Nunquam Synedrium copiam habuisset capram substitutam legitimam declarandi. Ne dicam, quod totalis æqualitas non exspectanda sit. Hircus curatius exploratus, & cum altero collatus in pluribus differt. Ovum ovo æquale non datur.

§. 81. Novi quidem, quod æstimetur hircorum æqualitas ob Mysterium. Æstimat maxime Vir Venerandus *Bernhardus Waltherus Marpergerus*, cui Gens Christiana plurimum debet ob diligentiam & fidem prorsus singularem adhibitam in scrutanda Lege & Mysterio duorum hircorum in libro germanico: Das grosse Sühn- und Sünd-Opffer, edito *Norimbergæ* Anno 1733. quem

nunc cum usu lego, quando cogitata mea jam publicata Anno MDCCVIII. *de Ministerio diei expiationis* altera vice examino. Vir hic l. cit. p. 309. hinc acriter invehitur adversus Judæos recentiores. Die neuen Juden wissen den wahren Grund nicht, warum bey denen alten die beyde Böcke einander ganz gleich seyn müssen; sondern sie wollen diß bloß nach ihrer ungereimten Art aus der dreymahligen Wiederhohlung Levit. XVI. 5. 6. 8. folgern. Darum ist kein Wunder, daß *Maimonides* vorgegeben, die *Mischna* sage zwar, es seye מצוה ein Gebot, allein sie nenne es nicht חובה eine Schuldigkeit, welches ja eine recht blinde und liederliche Ausflucht ist. Sed non video acris reprehensionis recentiorum Judæorum causam. Conveniunt hic satis cum majoribus, quos ipse laudat. Etiam illi probant paritatem hircorum, non tamen necessariam habent. Unde etiam inæquales legitimos ducunt. Quod ipsi affirmant Mischnici. Vir laudatus offenditur voce מצוה *mandatum*, si mandatum, (ita argumentatur) tum etiam חובה *debitum*. Videtur quidem; at sciendum, quod voces sæpenumero accipiendæ sint ex usu scriptoris, non lectoris. מצוה hoc loco non sumitur sensu scripturæ pro *Præcepto divino* in Lege. Et recte: Nam æqualitas hircorum Lege divina definita haud est, quin sumitur notione, quæ apud Rabbinos occurrit & tum sæpius notat, *præstat*. Simillimum prostat exemplum in *Tr. Mischnico* יום נג C. XIV. 5. Solidum mysterii fundamentum lex divina vel disertis verbis prolata, vel quæ in certa fundata est consequentia, qualis in substrata materia haud reperitur. Nihilominus hoc ipsum, quod Vir Venerandus urget, mysterium salvum, licet alio modo. Quando vero L. Mischnæ cit. additur מת אחר מהם אם עד שלא הגריל מת יקח זוג לשני ואם משהגריל מת יביא זוג אחר ויגריל עליהם בתחלה ויאמר אם של שם מת זה שעלה עליו הגורל לשם יתקיים תחתיו והשני ירעה עד שיסתאב וימכר ויפלו דמיו לנדבה שאין חטאת צבור מתה Sheringhamio interprete; *Moritur alter: Si id sit ante sortitionem factam, comparem substituet alteri. Si post sortitionem, par novum adducet, & super iis de novo sortietur. Si hircus Domino immolandus morietur, dicet: Iste, super quem sors Domino ascenderit, stabit pro eo: Si Emissarius morietur, iste, super quem sors ascenderit Emissario* (potius *Azazeli*) *stabit pro eo & alter pascetur, quamdiu immun-*

immundus fuerit (verte *donec maculam contraxerit*) & *vendetur*, & *pecuniæ ejus cadent in munus voluntarium*, *quia victima pro peccato totius cœtus non moritur*. Nihil facit ad scopum Viri memorati. Alia collecta reperis in *Jalkut* f. CLXV. C. I. c.

§. 82. Duo hi hirci caprarum Deo destinati sunt לחטאת *in* (*sacrificium pro*) *peccato*. Multoties in Lege Mosaica hirci ad sacrificium destinati mentio fit, sed quod notandum, *non ad aliud*, *quam piaculare pro peccato* Levit. IV. 23. IX. 3. 15. X. 16. Num. VII. 16. &c. XVI. 27. XXIII. 19. XXVIII. 30. XIX. 11. Ezech. XLIII. 25. XLV. 23. &c. Similiter capra Num. XV. 27. Levit. IV. 27. Quod sane fortuito & absque peculiari legislatoris intentione minime contigit. Vel quare non promiscue jam bos, jam aries, jam aliud delicatum animal sacrificiis expiandis designatur ? Quare hircus nunquam ceu עולה ὁλοκαύτωμα aut *eucharisticum* vel *votivum sacrum* offertur ? Frustra excipitur Num. XXVIII. 30. non addita voce *in sacrificium pro peccato*. Exstat tamen in Lege parallela, eaque antecedente Lev. XXIII. 19. Dein Phrasis æquipollens occurrit Num. XXVIII. 30. quando de hoc hirco prædicatur, quod spectet לכפר *ad expiandum vos*. Unde Versio Samaritana habet: *Pro peccato* h. e. sacrificia *pro peccato*. Et LXX. χίμαρον ἐξ αἰγῶν ἕνα περὶ ἁμαρτίας, quemadmodum docuit *Ven. Marpergerus* l. cit. p. 186.

§. 83. Quare vero vilissimum hoc ex animalibus mundis solum in sacrificium pro peccato destinatum sit, non etiam in alias sacrificiorum species, tres proferemus rationes. *Prima:* Quod hircus sit animal vile, libidinosum, noxium, olidum, horridum, quod optime vilitatem, obscœnam concupiscentiam, noxam gravissimam, δυσωδίαν & hinc ortam in naribus Dei detestationem peccatoris refert. Hinc est quod Scriptura peccatores *hircorum* Symbolo proponat, Matth. XXV. 33. Prudentissime itaque sanctissimus legislator statuit, ut peccatores sibi similes victimas adducant, & ita illis adhærens turpitudo, quam hircina oblatione confitentur, exprobretur, quo illos in posterum ejusmodi vitiosorum morum pudeat, imo quemadmodum hircum sibi suffectum jugulant, ita pravæ peccandi consuetudini, propter quam hircis assimilantur, jugulum incidant. *Altera*, quod Deus à peccatoribus offerentibus

bus plerumque animalia vilissima poscat, ut offerentes sciant, victimas ex se peccata non expiare; alioquin, quo gravius peccatum, eo præstantior victima immolanda fuisset. Egregia sunt, quæ hunc in finem celeberrimus Magister in suo *More Nevoch.* L. III. Cap. XLVI. reliquit, quæ, prolixiora licet, ex interpretatione *J. Buxtorfii* adscribam: *Scito, quanto peccatum aliquod fuit gravius, tanto vilioris speciei esse ejus oblationem. Hinc pro errore Idololatriæ* (h. e. pro Idololatria per errorem commissa) *capra tantum & pro cæteris peccatis hominis alicujus singularis & privati agna & capra offerenda fuit, quia fœmella vilior habetur mare in omnibus speciebus. Nullum autem peccatum majus est Idololatria, & nulla species vilior capra. Propter majestatem vero regis fuit oblatio pro errore ipsius hircus. Sacerdotem M. & totam Congregationem quod attinet, quia error ipsorum non est merum opus vel actio, sed doctrina, idcirco separata est oblatio ipsorum in juvencis, pro Idololatria autem in hircis. Sic quia peccata, propter quæ offerebatur Ascham* (h. e. sacrificium pro reatu) *inferiora fuerunt illis, propter quæ offerebatur Chattah* (h. e. sacrificium pro peccato) *idcirco fuit oblatio τȢ Ascham h. e. reatus aries aut agnus ex grege: de nobiliore specie* (scil. animalium) *& de præstantiore speciei parte* (h. e. sexu) *quia debuit esse masculus ex Grege. An non enim vides, quod in Holocausto, quia totum consumendum erat, nonnisi mares, perfectioris scil. sexus, adhibendi erant. Hinc etiam minor requirebatur præstantia: Minus item suavis odor in Mincha peccantis* (החוטא) *& in Mincha mulieris declinantis* (h. e. adulterio suspectæ) *quia fiebat tantum propter suspicionem peccati & prohibuit, ne offerantur cum oleo & thure. Hunc vero splendorem abesse voluit, eo quod turpes ejus* (peccantis) *actiones causa sint oblationis illius* (Minchæ) *quasi hoc ipsum ad pœnitentiam & resipiscentiam stimulare debuisset. Dictumque ipsi fuisse; Propter turpitudinem actionum tuarum oblatio tua imperfectior est reliquis. Declinantis autem mulieris, cujus actiones turpiores sunt, quam illius, qui per errorem delinquit, oblatio ipsa quoque ex viliori fuit materia, ex farina nempe hordacea. Tertia* ita se habet; Israelitæ pessime gentes quasdam imitantes hircos sacro prosecuti sunt honore; hæc autem Idololatria radicitus evellebatur immolando hircos, nam is Deum esse negat, quem mactat. Non tantum hac ratione Israelitæ jubebantur desistere à τραγολατρείᾳ, sed insuper facere τραγοθυσίαν *hircos sacrificare* & insaniam illam penitus animis ejicere. Τραγολατρείαν autem in gente Israelitica exstitisse scriptura probat, non solum recentioris

ævi ſub Jeroboamo, qui Sacerdotes conſtituit לשעירים 2. Chron. XI. 15. ſed & antiquioris, quando vivebant in Ægypto, Levit. XVII. 7. *& non offerent* עוד *amplius ſacrificia ſua* לשעירים, *cum quibus ſcortati ſunt;* quæ adeoque hirci ad immolationem deſtinati cauſa ſimul eſſe poterat. Scio vocem שעירים non ab omnibus eodem explicari modo. Vulg. *Dæmones.* Oncel. שידין (quod idem) & alii plures transferunt. Sed LXX. *τοῖς ματαίοις*, quo nomine Idola, quibus nihil vanius 1. Cor. VIII. 4. Act. XIV. 15. Rom. I. 21. judice judicioſiſſimo *Bocharto* intelliguntur: *Hieroz. L. II. C. LII.* Quocunque exponas modo, eo res redit, quod veteres Iſraelitæ *τραγολατρείας* fuerint rei, quodque hircorum imagines coluerint, & credibiliter ſub iisdem Diabolum, quem hircina forma conſpici tradunt, venerati fuerint, conf. Jes. XIII. 21. XXXIV. 14. Maimonides מורה נבוכים l. & c. c. ab init כן היו כתות מן הצאבה עובדים לשדים והיו חושבים שהם ישובו בצורת העזים ולזה היו קוראים לשדים שעירים וכבר התפשט הדעת הזה מאד ולא יזבחו עוד ואת זבחיהם לשעירים אשר הם זובחים (זונים Lege) ולזה היו אוסרים הכתות ההם גם כן אכילת העזים *Ad hunc modum ex Zabiis quidem fuerant, qui dæmones colebant, & exiſtimabant, quod formam hircorum habeant; unde etiam dæmones ſeerim* (שעירים) *hircos appellant. Quæ opinio Moſis tempore jam longe lateque in orbe diffuſa fuit; ſicut ait* (Lev. VIII. 7.) *& non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua, Laſſeirim* (לשעירים) *hircis* (*h. e. Dæmonibus ita appellatis.*) *Et hinc apud illud hominum genus prohibitus quoque erat eſus hircorum.* Hoc enim nomen שעיר vult. Experientia inſuper teſtatur Ægyptios, quorum terram hebræi incoluerunt, imo quorum Idololatriam imbiberunt, hircos coluiſſe, unde *Juvenalis, nefas illic fœtum jugulare Capellæ*, imagines hirciformes erexiſſe, ſicuti incomparabilis *Bochartus* l. cit. luculentis teſtimoniis probatum dedit. Hæc quoque ratio, quare Jeroboamus moribus Ægyptiacis aſſuetus non ſolum Sacerdotes vitulorum, quos illi honorabant, ſed & hircorum creaverit 2. Chron. XI. 15. Addo denuo verba celeberrimi Judæi L. cit. quibus rationi noſtræ calculum album adjicit הטעם בהיות החטאות בלו ליחיד ולצבור ושעירי ראשי הרשים ושעירי שלש הרגלים ושעירים יום הכפורים ושעירי עבודה זרה סבת כל אלו אצלי היות רוב מריים חטאתם.

וחטאתם אז בהקריבם לשעירים כמו שבאר הכתוב ולא יזבחו עוד את זבחיהם לשעירים *Quod omnia sacrificia pro peccato tum privati alicujus hominis, tum Ecclesiæ totius, trium nempe principalium Festorum, novi-luniorum, Diei Expiationum & Idololatriæ, quod inquam sacrificia ista hirci fuerint; ejus rei causa hæc mihi videtur esse, quod maximum peccatum & gravissima ipsorum rebellio tum temporis erat, quod hircis sacrificarent, sicut dicit Scriptura; & non offerent ultra sacrificia sua (Laseirim) hircis.* Ex Buxtorfiana interpretatione.

§. 84. Quando veteres Hebræi putant electos fuisse hircos in recordationem peccatorum à majoribus, Jacobo & fratribus Josephi commissorum (ille scil. Patrem Isaacum, Pellibus Hœdorum Capris Gen. XXVII. 9. at hi sanguine hirci Jacobum deceperant) v. *Abarb. in Præf. in Lev. & Maimon. in more Nevoch.* P. III. Cap. XLVI. p. 487. minus placet. Sapientem nexum non reperio, nec probabile vestigium in Lege Mosaica: Nollem quidem negare, quandoque quosdam Israelitas in solennitate expiationis memoratarum historiarum meminisse, verum ejusmodi pia recordatio nondum constituit finem sacrificii à Deo intentum, , ut totus populus ejus memor esset. Sciendum dein, quod superiori §. allatas rationes non habeam pro præcipuis, multo minus cum exclusione aliarum. Quando de Mysterio horum hircorum, prout illud in morte & vita Jesu Christi adimpletum est, suo loco agendum erit, plura differam de præcipua Dei intentione. Verum esse judico, quod communiter dicitur: *Unius rei possunt esse fines plures.* Maxime decet sapientissimum numen, ut, quæ constituit, varios habeant usus, tum generales, tum speciales, vel etiam specialissimum. Quidam spectant externum, alii magis internum populi statum. Bene novi, quod ratio tertia à pluribus rejiciatur, ceu patrocinans Hypothesi *Spencerianæ.* Sed longe aliud est, statuere hircos fuisse à Deo ad offerendum unice vel præcipue præscriptos, ut τραγολατρεία ex animis Israelitarum penitus evelleretur: Et longe aliud hunc quoque usum τραγοθυσίαν habuisse, ita tamen ut spiritualis Israel maxime duceretur ad meditandum & sperandum mortem Messiæ. Non video priorem usum simpliciter posse rejici. Omnino Deus plures Leges dedit contrarias moribus vicinarum gentium, speciatim Ægyptiorum, ut Israel eas detestaretur. Nemo attentior & à studio partium alienus negabit τραγοθυσίαν radicitus exter-

exterminare τραγολατρείαν. Fateor me prorsus non posse probare Cl. Cremeri ratiocinium, quod exstat in tetrade prophetico typicarum *Exercit.* §. 35. *com. cit. de die Expiat. Nihil insulsius dici posse, quam ideo Deum voluisse hircum offerri & mactari, ut Israelitas ab hircolatria abstraheret; Quia si oculis tantum carnalibus hoc intueamur, nihil magis aptum natum erat hircolatriam fovere, quam ipsissimi hi hirci: Quorum alter suo sanguine pontifici aditum parabat in ipsum Dei adytum, & expiare poterat Sanctum Sanctorum, tentorium Conventûs & Altare ab omnibus Filiorum Israel immunditiis; Alter vivus eadem peccata in desertum auferre poterat. Quid magis Israelitas, bardos scil. & ad hircolatriam proclives excitare poterat, quam de hisce hircis omnia eximia cogitare* &c. Miror hæc cogitata à *Ven. Marpergero* probari im Sühn- und Sünd-Opffer L. I. C. IV. p. 166. & 201. Quasi vero hircorum mactatio animum excitaret ad τραγολατρείαν. An cruenta animalis à Deo præcepta mors ducit ad ζωολατρείαν? Quæ gens numina, quæ colit, mactat, excoriat, comburit? Hoc solo conceptu omni prorsus robore carent, quæ docti viri proferunt.

§. 85. Quæ jam supra ad §. 38. de hac sacrificiorum specie, scil. *pro peccato*, scripsi, nolo repetere. Superioribus hic addo, quod duo hirci cedant לחטאת περὶ ἁμαρτίας non ex decreto Synedrii, vel hominum, quicunque illi, sed, quod ad fidem plurimum facit, ex præcepto Dei. Ipse Deus sapienter & gratiose ordinat, ut duo hirci pro Israele offerendi sint לחטאת *pro peccato.* Peccatum ergo cum pœna à populo in hircos transit. Populus adeoque liber à peccato, ejusque venenato fructu prædicatur. Certe Israelita neque jus habuisset transferendi peccata sua in hircos, neque etiam à ratione sua impetrare potuisset, ut crederet bestiam vilissimam loco numerosi populi surrogatam Deo acceptam esse. Fidem tamen facit plenam spontanea & gratiosa Dei voluntas hac Lege declarata, explicanda in Mysterio, quod ἐυτόπως tradetur.

§. 86. Difficultatem penes nonnullos causatur, quod duo illi hirci dicantur לחטאת *in sacrificium pro peccato:* An ergo duo illi hirci una sacrificium piaculare constituunt? Vel an unus tantum ex iis piacularis est, quemadmodum postea hircus sorte Deo destinatus solus חטאת appellatur v. 9. 15. quod asserit *Celeberrimus van der Wayen de Hirco Azazel* §. 150. Magna difficultate verba hæc labo-

וחטאתם אז בהקריבם לשעירים כמו שבאר הכתוב ולא יזבחו עוד את זבחיהם לשעירים *Quod omnia sacrificia pro peccato tum privati alicujus hominis, tum Ecclesiæ totius, trium nempe principalium Festorum, novi-luniorum, Diei Expiationum & Idololatriæ, quod inquam sacrificia ista hirci fuerint; ejus rei causa hæc mihi videtur esse, quod maximum peccatum & gravissima ipsorum rebellio tum temporis erat, quod hircis sacrificarent, sicut dicit scriptura; & non offerent ultra sacrificia sua (Laseirim) hircis.* Ex Buxtorfiana interpretatione.

§. 84. Quando veteres Hebræi putant electos fuisse hircos in recordationem peccatorum à majoribus, Jacobo & fratribus Josephi commissorum (ille scil. Patrem Isaacum, Pellibus Hœdorum Capris Gen. XXVII. 9. at hi sanguine hirci Jacobum deceperant) v. *Abarb. in Præf. in Lev. & Maimon. in more Nevoch.* P. III. Cap. XLVI. p. 487. minus placet. Sapientem nexum non reperio, nec probabile vestigium in Lege Mosaica: Nollem quidem negare, quandoque quosdam Israelitas in solennitate expiationis memoratarum historiarum meminisse, verum ejusmodi pia recordatio nondum constituit finem sacrificii à Deo intentum, ut totus populus ejus memor esset. Sciendum dein, quod superiori §. allatas rationes non habeam pro præcipuis, multo minus cum exclusione aliarum. Quando de Mysterio horum hircorum, prout illud in morte & vita Jesu Christi adimpletum est, suo loco agendum erit, plura differam de præcipua Dei intentione. Verum esse judico, quod communiter dicitur: *Unius rei possunt esse fines plures.* Maxime decet sapientissimum numen, ut, quæ constituit, varios habeant usus, tum generales, tum speciales, vel etiam specialissimum. Quidam spectant externum, alii magis internum populi statum. Bene novi, quod ratio tertia à pluribus rejiciatur, ceu patrocinans Hypothesi *Spencerianæ.* Sed longe aliud est, statuere hircos fuisse à Deo ad offerendum unice vel præcipue præscriptos, ut τραγολατρεία ex animis Israelitarum penitus evelleretur: Et longe aliud hunc quoque usum τραγοθυσίαν habuisse, ita tamen ut spiritualis Israel maxime duceretur ad meditandum & sperandum mortem Messiæ. Non video priorem usum simpliciter posse rejici. Omnino Deus plures Leges dedit contrarias moribus vicinarum gentium, speciatim Ægyptiorum, ut Israel eas detestaretur. Nemo attentior & à studio partium alienus negabit τραγοθυσίαν radicitus exter-

exterminare τραγολατρείαν. Fateor me prorsus non posse probare Cl. Cremeri ratiocinium, quod exstat in tetrade prophetico typicarum *Exercit.* §. 35. *com. cit. de die Expiat. Nihil insulsius dici posse, quam ideo Deum voluisse hircum offerri & mactari, ut Israelitas ab hircolatria abstraheret; Quia si oculis tantum carnalibus hoc intueamur, nihil magis aptum natum erat hircolatriam fovere, quam ipsissimi hi hirci: Quorum alter suo sanguine pontifici aditum parabat in ipsum Dei adytum, & expiare poterat Sanctum Sanctorum, tentorium Conventûs & Altare ab omnibus Filiorum Israel immunditiis; Alter vivus eadem peccata in desertum auferre poterat. Quid magis Israelitas, bardos scil. & ad hircolatriam proclives excitare poterat, quam de hisce hircis omnia eximia cogitare* &c. Miror hæc cogitata à *Ven. Marpergero* probari im Sühn- und Sünd-Opffer L. I. C. IV. p. 166. & 201. Quasi vero hircorum mactatio animum excitaret ad τραγολατρείαν. An cruenta animalis à Deo præcepta mors ducit ad ζωολατρείαν? Quæ gens numina, quæ colit, mactat, excoriat, comburit? Hoc solo conceptu omni prorsus robore carent, quæ docti viri proferunt.

§. 85. Quæ jam supra ad §. 38. de hac sacrificiorum specie, scil. *pro peccato*, scripsi, nolo repetere. Superioribus hic addo, quod duo hirci cedant לחטאת περὶ ἁμαρτίας non ex decreto Synedrii, vel hominum, quicunque illi, sed, quod ad fidem plurimum facit, ex præcepto Dei. Ipse Deus sapienter & gratiose ordinat, ut duo hirci pro Israele offerendi sint לחטאת *pro peccato.* Peccatum ergo cum pœna à populo in hircos transit. Populus adeoque liber à peccato, ejusque venenato fructu prædicatur. Certe Israelita neque jus habuisset transferendi peccata sua in hircos, neque etiam à ratione sua impetrare potuisset, ut crederet bestiam vilissimam loco numerosi populi surrogatam Deo acceptam esse. Fidem tamen facit plenam spontanea & gratiosa Dei voluntas hac Lege declarata, explicanda in Mysterio, quod ἐντόπως tradetur.

§. 86. Difficultatem penes nonnullos causatur, quod duo illi hirci dicantur לחטאת *in sacrificium pro peccato*: An ergo duo illi hirci una sacrificium piaculare constituunt? Vel an unus tantum ex iis piacularis est, quemadmodum postea hircus sorte Deo destinatus solus חטאת appellatur v. 9. 15. quod asserit *Celeberrimus van der Wayen de Hirco Azazel* §. 150. Magna difficultate verba hæc labo-

rare non puto, modo ad Legem, ejusque scopum attendamus. Sicuti peccatis Sacerdoti expiandis פר *Juvencus*, ita duo hirci destinabantur, ut essent לחטאת *pro peccato* populi, ut bene *Vulgat.* & LXX. *περὶ ἁμαρτίας.* Vox חטאת enim primo ipsum *peccatum* notat. Nihil aliud itaque lex vult, quam hircos *pro peccatis populi* (scil. expiandis) emendos esse. Expiationi vero non unus ex ordinatione Dei sed uterque necessarius: Legislator simpliciter: *Et sumet Aharon duos hircos caprarum pro peccato*; nulla certe distinctionis ratio, qua unus præ alio ad expiationem pertineret. Infirmum est illum solum, qui Deo cesserat, חטאת dici, quandoquidem hoc commate uterque diserte לחטאת dicitur. Imo ea de emissario prædicantur, quæ illum piacularem evidentissime faciunt, uti v. 21. *illi manus imponere, confiteri super eo,* v. 22. *portare peccata.* Præterea minime insolitum scripturæ plures numero victimas cum חטאת in numero singulari construere. Num. VII. 87. *Hirci caprarum duodecim* לְחַטָּאת *pro peccato* & 2. Chron. XXIX. 21. Hirci caprarum septem לְחַטָּאת *pro peccato.* Quid igitur impedit, quo minus etiam duo hirci recte dicantur לחטאת & expiationem peccati una faciant? Cum hac Lege satis convenit illa de purificatione leprosi & domus lepra infectæ Lev. XIV. Facta est hæc duabus avibus: Una mactabatur, altera viva dimittebatur, sanguis avis mactatæ spargebatur. Vergebant una ad expiationem & purificationem v. 2. 7. 49. 52. 53. Aliter opinatur Cel Cremerus scribens l. cit. pag. 104. *Nihil simile in tota reperitur Lege, quod enim de duabus in Leprosi Sanatione avibus in medium affertur, plane est dissimile.* In quibusdam circumstantiis conceditur dissimilitudo, at in substantia rei, ut numero, factis, unius morte, alterius vita, sparsione sanguinis & scopo datur convenientia. Deest quidem Lev. XIV. nomen חטאת *sacrificium pro peccato*, sed adest idem finis, לחטא *expiare* כפר *placare*, טהר *purgare* l. cit. quod vero expiat, purgat, annon est חטאת *pro peccato?* Quando igitur lex de duobus hircis prædicat, quod sint *pro peccato*, uterque poscitur, & una expiationem, purificationem typice producunt. Unus solus effectum non assequitur: Causa utique arcessenda est ab imperfectione, quæ typis inesse solet. Unus hircus non simul mortem & vitam referre valet. Quare, quod una figura sisti nequit, sistendum duabus, ut suo loco constabit ex implemento.

§. 87.

§. 87. Alterum ſacrificium dicitur *aries unus in Holocauſtum.* Convenit cum Holocauſto pontificis v. 3. Idem animal; eadem ſacrificii ſpecies memoratur. In hoc ſolum differentia, quod h. l. additur אחד *unus*, ut videtur hac ex cauſa, quo certius ſciamus, licet oblatio facta pro toto populo, unicum arietem totum combuſtum fuiſſe. Duo quidem hirci poſcebantur ad *ſacrificium pro peccato.* At unus aries ſuffecerat pro Holocauſto. Reliqua vide ſupra ad §. 40 - 44. Alia occurrent inferius ad v. 24.

§. 88. Memorata ſacrificia, quæ duobus hircis & uno ariete conſtant, danda erant *à cœtu Filiorum Iſrael.* מאת עדת בני ישראל LXX. παρὰ τῆς συναγωγῆς *à Synagoga Filiorum Iſrael.* Convenit cum קהל ob v. 17. comprehendit totum Iſraelem ſine diſcrimine ſtatus, ſexus, ordinis; ut enim totus populus coram Deo reus, ſic expiatio faciunda pro omnibus. Commode Judæi ſacrificia diſtinguunt in *privata*, pro ſingulis offerenda, & *publica*, pro toto cœtu. Ut illa ære privato, ſic hæc publico emenda. Convenit quam maxime, ut ille ipſe victimas ad aram ſuppeditet, cujus nomine & cauſa offerendæ ſunt: Clarius quoque hac ratione culpa ejusque confeſſio exprimitur. Quia autem publice impenduntur ad expiandum peccata univerſi Iſraelitarum cœtus, comparantur ſumtibus publicis ſive ex ærario populi.

§. 89. Quæritur, unde æs hoc ſumtum fuerit? Celeberrimus Theologus *van der Wayen* ita ſcribit *Diſſert. de Azazel* §. 16. *Si R. Seirak ex vero locutus ſit, & jam dudum in Templo hæ ciſtæ fuerint, ex ea procul dubio depromptam, coëmendis hircis pecuniam dicit, cui* שָׂעִיר *nomen erat. Publico ſaltem ſumtu.* Ex ciſta, cui שעיר nomen, pecuniam depromptam fuiſſe non puto. Certius longe mihi videtur, quod ex R. Levi Barſelonita habet B. Avus *in Jure Hebræorum* p. 133. היו מניחין הכל בלשכה אחת שבמקדש ומשם היו מוציאין לקנות תמידין ומוספין וכל קרבן הקרב על הצבור ונסכיהם והמלח שמולחין בו הקרבנות ועצי המערכה ולחם הפנים ושכר העושה לחם הפנים והעומר ושתי הלחם ופרה אדומה ושעיר המשתלח ולשון של זהורית *Reponunt omnes* (Hemiſiclos) *in Conclavi, quod in Sanctuario eſt, indeque promunt ad emenda ſacrificia jugia, auctaria, omniaque cœtus ſacrificia & libamina; ſal, quo ſaliunt ſacrificia; ligna diſpoſitionis, panes propoſitionis;*

mercedem illi, qui panes propoſitionis parat; homer; duos panes, vaccam rufam, hircum emiſſitium, & linguam coccineam. Hæc enim bene conveniunt cum iis, quæ textus Miſchnicus de uſu hemiſiclorum nobis reliquit Tract. שקלים Cap. IV. 1. לוקחין בהתמידין ומוספין ונסכיהם העומר ושתי הלחם ולחם הפנים וכל קרבנות הצבור *Emunt* (ſiclis illis) *ſacrificia jugia, addititia, ut & Libamina ipſorum: Manipulum & duos panes (pentecoſtales) atque panes propoſitionis, omnes alias quoque cœtus oblationes.* & §. 11. פרה ושעיר המשתלח ולשון של זהורית באין מתרומת הלשכה *Vacca (rufa) & hircus emiſſarius atque lingua coccinea pecunia hoc in Conclavi aſſervata emuntur.* Non putandum eſt hircum emiſſarium, quia ſolus ſine ſocio exprimitur, ſolum quoque ſumtibus publicis comparatum fuiſſe. Verum ejus præ altero mentio fit, quia de emiſſario, ceu non ſacrificii inſtar mactato, dubium facile oriri potuiſſet. At ſocius clare ſub קרבנות הצבור *oblationes cœtus* §. 1. intelligitur.

§. 90. Uti cœtus erat memorata ſacrificia emere, ſic ejusdem in manus Pontificis tradere; unde lex habet: *à cœtu Filiorum Iſrael* יקח *accipiet* (*ſcil. Aharon*) *duos hircos caprarum in ſacrificium pro peccato & arietem unum in Holocauſtum.* LXX. Λήψεται. Decebat quam maxime, ut populus Iſrael vel ſeniores, qui eum repræſentaverant, publicas victimas ad Miniſtrum Dei adducerent, ac etiam diſtincte ſignificarent mentem, quam habeant, veluti ſe eum in finem adeſſe, ut ſacrificia, quæ legislator definiverat, Pontifici ſiſterent rite offerenda. Exprimendum erat neceſſario Sacrificii שם *nomen*, vel cujus ſpeciei ſit. Alias Pontifex ignoraſſet modum offerendi, qui, pro varietate ſpeciei, varius erat. Lex divina præceperat, ut duo hirci ſint לחטאת, aries לעולה, quare ſeniores poſtulaverant, ut illi ſacri eſſent *in ſacrificium pro peccato*, at hic *in Holocauſtum* juxta mandatum divinum. Aharon ad hæc *nomina* probe attendere tenebatur, & cum hac כונה *intentione* officio ſuo defungi. Lex hæc præciſe non definit locum, in quo traditio horum ſacrificiorum faciunda. De Holocauſtis legimus Lev. I. 3. *ad oſtium tentorii Conventûs* & C. IV. 14. de ſacrificio piaculari pro cœtu: *Adducet cœtus juvencum, Filium Bovis, in ſacrificium pro peccato, ac ducet eum coram tentorio Conventûs.* Jam lex præcedens valet, quando poſte-

posterior non contrariatur & novum quid præcipit. Locus satis quoque comodus erat. Verum, quia *Ven. Marpergerus*, ob v. 7. aliud judicat, differemus examen, donec eo perveniemus. vid. Sühn- und Sünd-Opffer p. 363. 364. vid. infra §. 103.

§. 91. Porismata ex v. 5.

א. *Totus Israel sub reatu.* Nulla caro coram Deo Judice justa est. Pro quo enim piacularia offerenda sunt, is peccator; offerendi autem hi hirci sunt *pro toto cœtu Filiorum Israel*, nemine excepto.

ב. *Lex, quæ populum Israel obligat ad piacularia ex hircis, convincit eam de lascivia carnis, studio nocendi, peccatorum fœtore* &c. Hirci enim Israelem referunt.

ג. *Imo, quod plus est, ipse tale publicum Chirographum contra se in manus Dei tradere debebat.* Aharon summus Dei Minister hircos piaculares ex manibus seniorum Israelis accipere solitus erat.

ד. *Piacularia V. Testamenti, etiam maxime solennia, imperfecta sunt.* Unus hircus haud suffecerat ad piaculare cœtus Israel pingendum. Duo postulabantur. Una victima non poterat referre mortem simul & vitam piacularis perfecti & peccatores consummantis.

ה. *'Αδυναμία in expiandis hominum peccatis varie quidem constat ex Legibus Aharonis carnalibus, fulget tamen singulariter ex Τραγοθυσία.* Si enim quædam animalibus inesset δύναμις placandi Deum, mandata fuissent & pretiosissima & longe plurima; Tauri ex Basan, Hecatombæ. Agebatur enim hoc ritu de remissione innumerorum peccatorum à toto Israele per integrum annum commissorum.

ו. *Quando vero vilissimum hoc piaculare suffecerat ad typice tollendum peccata populi, constat, quod præstantissimum antitypicum sufficiat ad vere tollendum peccatum mundi.* Corpori vere inest, quod umbræ ad umbrandum.

ז. *Egregius ordo, juxta quem piacularia antecedunt, sequuntur Holocausta.* Si reconciliati sumus cum Deo, tum nos totos recte ei consecramus. Rom. XII. 1.

ח. *Misera gens, quæ numina habet fœtida, horrida animalia, eaque jugulanda.* Talis erat Tragolatrarum. Sed an melius judicandum de iis, qui

qui ventrem, venerem aliaque vitia, ceu Deos, colunt. Phil. III. 14. Utique cruci, morti devovenda sunt Gal. V. 24. Coloss. III. 5.

§. 92. Quintum mandatum v. 6. agit de actuali adductione juvenci, ejusque scopo והקריב אהרן את פר החטאת אשר לו וכפר בעדו ובעד ביתו *Postea adducet Aharon juvencum* (sacrificium) *pro peccato, qui ejus, ut expiet pro se & pro domo sua.* Nominatis sacrificiis pontificis, quæ solenni expiationi propria, nunc incipit legislator specialius præcipere, quæ cum piaculari agenda, & quem ad scopum, & quidem.

§. 93. Mandat: *Postea adducet Aharon juvencum* (illius sacrificii) *pro peccato, qui ejus.* Ut sciamus agi de illo ipso sacrificio piaculari, de quo v. 3. Textus originalis legit החטאת *illud* (sacrificium) *pro peccato.* Quæ supra ad §. 37 - 40. dicta sunt, de juvenco & specie sacrificii piacularis, ibi legi possunt. Solum lux affundenda est Phrasi אשר לו, quæ etiam occurrit v. 11. Quasi nullius momenti esset, quidam eam vertere omittunt, ut etiam Vulgatus; alii referunt ad posterius, scil. חטאת. LXX. in Bibl. Angl. Polygl. περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτοῦ. Lutherus sein Sünd-Opffer. S. Schmidius: *Juvencum peccati sacrificii pro peccato, quod ipsi.* Alii ad juvencum, ut Leo Juda *juvencum suum*, Junius, *qui fuerit pro se.* Convenientius postremo modo exponimus de juvenco Aharonis, quem suis sumtibus sibi comparavit. Quia v. 5. dixit sacrificia cœtus ab ipso cœtu danda esse, ideo nunc addit, dicitque juvencum Aharonis esse debere. Hac ratione Jonathan תורא דחטאתא דהוא מן ממוניה *Juvencus sacrificii pro peccato, qui ex pecunia ejus.* Et post eum Raschius משלו הוא בא ולא משל צבור *ex propriis, non vero sumtibus cœtus emendus est.* Etiam LXX. juxta Aldinam & Complutensem editionem τὸν ἑαυτοῦ legunt. conf. *Append Bibl. Polygl. Angl.*

§. 94. Hic Pontificis juvencus adducendus præcipitur. *Postea Aharon* הקריב. Vox hæc jam latius, jam strictius accipitur. Illa notione, ut Lev. VII. 8. Hac, ut h. l. nam distinguitur à mactatione v. 11. Includit donationem & præsentationem juvenci coram Deo: Uti munus regi præsentaturus illud in conspectum ejus producit; sic oblaturus victimam è loco profano in Sanctum ceu Palatium Dei ducit. Ex sacris, veluti 1. Reg. III. 2. & Traditioni-

bus

bus novimus, nonnunquam excelsa, ut in illis sacrificia offerrentur, concessa fuisse. Nihilominus, quod sacrificia solennia concernit, alibi, quam in Tabernaculo, nullo tempore sacra facienda erant, ut Confessio Dei Israelis omnibus eadem constaret, & mutuus inter Israelitas amor propagaretur. אלו קדשי׳ קרבין במשכן קדשים שהוקדשו למשכן קרבנות הציבור קרבין במשכן וקרבנות היחיד בבמה קרבנות היחיד שהוקדשו למשכן יקרבו במשכן Cl. Surenhusius: *Hæc sunt sancta, quæ offerunt in Tabernaculo; Sancta quæ sanctificantur pro Tabernaculo, si oblationes fuerint cœtus, offeruntur in Tabernaculo: At oblationes privati in excelso. Oblationes privati, quæ consecrantur pro Tabernaculo, offeruntur in Tabernaculo.* Tr. זבחים C. XIV. 10. Itaque juvencus pro Sacerdotio maxime solennis ad ostium tentorii Conventûs, stante Tabernaculo, ab Aharone ducendus hic præcipitur. Hæc nostra phrasis vult idem, quod plenior illa Lev. I. 3. *ad ostium tentorii Conventûs adducat* conf. IV. 4. XII. 6. XIV. 23. &c. Unde Aben Esra ad h. l. addit אל פתח אהל מועד כמשפט *Ad ostium tentorii Conventûs, prout jus exigit.*

§. 95. Scopus juvenci adducendi exprimitur verbis וכפר בעדו ובעד ביתו *& expiabit pro se & pro domo sua.* Vel *ut expiet,* nam constat ו notionem *ut* tenere. Vocabulum כפר frequentissimi usus in Ministerio Aharonico, maxime diei expiationis, qui hinc notanter dicitur *dies* הכפרים *dies expiationum*, qua plurimæ factæ expiationes. In solo hoc capite sæpius occurrit. Dignissimum quod excutiatur. Vulgatus qui vertit: *Et oraverit pro se, & Arabs: Veniam precabitur sibi* - - ad vim vocis prorsus non attenderunt. Unde prior seipsum deserit ac in hoc ipso capite sæpius transfert per *expiare* v. 16. 27. 30. 31. 32. Commode LXX. ἐξιλάσεται *expiabit*, quos Lutherus & alii recte sequuntur versöhnen. Vel quomodo de Deo prædicari potest, ut Psal. LXXVIII. 38. *Misericors* יכפר *peccatum,* conf. Psal. LXV. 4. An consistit in oratione Dei pro nobis? Verbum כפר proprie notat *studio aliquid tegere*, ne alias damnum oriatur. v. Gen. VI. 14. וכפרת *& teges*, oblines *Arcam*, ne aqua penetret & Arcam submergat. Hinc transfertur in causis Sacerdotalibus ad peccata, quæ sanguine quasi obteguntur, ne peccator in Dei iram incurrat, & gravem sibi attrahat noxam Lev. XVII. 11.

Dedi

Dedi sanguinem vobis super Altare לכפר *ad expiandum animas vestras, nam sanguis ipse pro anima expiat*, cujus effectus hinc est condonatio. Lev. IV. 20. וכפר *& expiabit Sacerdos illos* ונסלח *& condonabitur iis*. Convenit cum voce כסה *tegere* Psal. XXXII. 1. ἐπικαλύπτω Rom. IV. 7. Scopus ergo Aharonis juvenco piaculari peccata ita obtegere, ut nulla ejus memoria sit apud Deum ad irascendum & puniendum.

§. 96. Et quidem intendit expiare *pro se & domo sua*: pariter v. 11. plenius בעדו ובעד ביתו ובעד כל קהל ישראל *pro se & pro domo sua & pro toto cœtu Israel*. Expiatio infert peccata; unde sequitur Aharonem & domum ejus in reatu extitisse. Alibi diserte exprimitur v. Exod. XXXII. 10. Lev. IX. 7. Terribile exemplum haud multo ante in Nadab & Abihu animadversum docuit Aharonem, quam necesse habeat cum metu interiora sacra adire & prius expiationem quærere. בית *Domus* comprehendit quosvis, qui ad familiam Aharonis pertinent; quomodo in N. Testamento οἶκος 1. Tim. III. 4. Domus Aharonis tum temporis parva erat, postea excreverat in ingentem numerum. Omnium solicita ratio sequente tempore habenda. Quæ enim lex obstrinxerat Aharonem, eadem posteros in munere.

§. 97. Huc pertinet παράδοσις, quæ exstat in Mischna Tr. יומא C. III. 8. בא לו אצל פרו ופרו היה עומד בין האולם ולמזבח ראשו לדרום ופניו למערב וכוהן עומד במזרח ופניו למערב וסומך שתי ידיו עליו ומתודה וכן היה אומר אנא השם עויתי פשעתי חטאתי לפניך אני וביתי אנא השם כפר נא לעונות ולפשעים ולחטאים שעויתי ושפשעתי ושחטאתי לפניך אני וביתי ככתוב בתורת משה עבדך כי ביום הזה יכפר עליכם וגומר והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *ibat ad juvencum suum & juvencus stabat inter Vestibulum & Altare capite posito in meridie & facie in occidentem versa, & Sacerdos stabat in oriente facie in occidentem versa; Dum manus ei imposuit, confitebatur, & sic dicebat: Obsecro Domine! deliqui, rebellis fui & peccavi coram te; ego & Domus mea. Obsecro Domine! remitte nunc & delicta & rebelliones & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te, ego & domus mea, juxta quod scriptum est in Lege Mosis servi tui: Quoniam*

niam in die hac expiabit &c. Et ipsi respondebant post illum; Benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum.

§. 98. Bene Mischnici locum, quo juvencus sistebatur, χειροθεσίαν & confessionem hic nobis exhibent: Nec ideo, quia his ipsis verbis in scriptura notata non sunt, sequitur hæc falsa, commentitia esse. Verum quidem, quod horum nulla expressa fiat mentio in capite nostro: Sed non erat necessarium; Quæ aliunde ex Legibus præcedentibus constant, non indigent perpetua repetitione. In quantum volumen alias lex Aharonica excrevisset! sufficit, quod Lev. I. 3. 11. locus Holocaustorum dicatur *in conspectu Jehovæ* ad latus altaris versus aquilonem. Ibidem mentio fit χειροθεσίας v. 4. At idem jus sacrificiorum pro peccato quoad locum, quod Holocaustorum Lev. IV. 29. Confessio quoque in sacrificiis piacularibus obtinebat Lev. V. 5. Quod in hac Traditione ἄτοπον sit, non video. Quod de situ juvenci, & converso Pontificis vultu exstat, fidem & reverentiam testatur. Aharon recte faciem erga occasum, ubi Deus habitaverat, verterat, tradens ei cum humili precatione surrogatam hostiam. q. d. Pœnitet me peccatorum meorum, ob quæ in mortis pœnam me incurrisse fateor: At optime Deus transfer omne id malum, quod ego commeritus sum in hanc, quam tibi hic sisto, victimam, aut potius victimæ hujus Ἀντίτυπον. Ad talem Confessionem videntur respicere loca, quæ sequuntur. Dan. IX. 5. חטאנו ועוינו והרשענו ומרדנו *Peccavimus, perverse egimus, impii fuimus & rebellavimus.* Et Thren. III. 43. פשענו ומרינו *Defecimus & rebelles fuimus* & Luc. XV. 18. ἥμαρτον ἐνώπιόν σου &c. Psal CVI. 6. 1. Reg. VIII. 47. Nec incommode Bartenora ad Locum *Mischn. cit.* observat juvencum ita fuisse collocatum, ne posteriora aræ obverteret. Non etiam difficultas, quod juvencus non sistatur ad *ostium tentorii Conventûs* ut Lev. IV. 4. Nam templo substituto ducendus erat ad Locum in Atrio Sacerdotum, qui priori responderat. Hic vero inter vestibulum & Altare conf. Joel. II. 17.

§. 99. Porismata ex v. 6.

I. *Quam infirmum fuerit Sacerdotium Aharonicum, denuo docet Moses.* Pater & Filii ipsi peccatores venia peccatorum indigent. Alius est Sacerdos; Alia est victima; Victima Bestia irrationalis.

II. *Quanta vero Excellentia Pontificatus Jesu Christi?* Pontifex totus ὅσιος. Victima quoque moraliter ἄμωμος. Qui Pontifex, est quoque victima Hebr. IX. 14.

III. *Hinc tuto oritur καύχησις & παῤῥησία verorum Christianorum argumentando à minori ad majus.* Si sanguis taurorum sanctificat ad carnis purificationem, πόσῳ μᾶλλον, *quanto magis* sanguis Christi, qui per spiritum æternum, seipsum Deo immaculatum obtulit, purificabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo vivo. Hebr. IX. 13. 14.

IV. *Qui Deum honorare vult, honoret eum ex propriis.* Adducendus juvencus, אשר לו *qui ejus erat.*

V. *Noli apud Deum pro peccatis aliorum intercedere, nisi ipse cum Deo reconciliatus fueris.* Hæc sit Φρόνησις spiritualium Sacerdotum, speciatim Pastorum.

VI. *Humilis & fidelis ἀνάμνησις Peccatorum nostrorum omnino nos absterret ab accessu ad Deum sanctum; Animum tamen dat gratiosa copia, quam misericors Deus nobis offert cum libertate, ut propius accedamus in consummata Hostia & Pontifice Jesu Christo.* v. Hebr. X. 19-23. IV. 14. - f.

§. 100. *Sextum*, quod sequitur, *Mandatum* v. 7 - 11. plura de duobus hircis comprehendit

א. *Eorum Præsentationem.* v. 7.

ב. *Sortitionem.* v. 8.

ג. *Eventus.* v. 9. 10.

§. 101. א *Præsentatio* hircorum his verbis proponitur ולקח את שני השעירים והעמיד אותם לפני יהוה פתח אהל מועד Ad verbum: *Et accipiet* (Aharon) *duos illos hircos, statuetque illos coram facie Jehovæ* (ad) *ostium tentorii Conventûs.* Vulgata & alii priora verba *& accipiet duos illos hircos* prorsus vertere omittunt, ac si supervacanea essent. S. Schmidius *mox accipiet.* Alii *dein*, vel ut Lutherus **und darnach.** Ipse olim verti, *& postquam accepit* &c. *constituit* &c. evitaturus Tautologiam. Putaveram enim, quod hoc ipsum jam exstet v. 5. At nunc ad posteriores accedo. Non enim necesse habeo

beo pro una eademque לקיחה *acceptione* habere. Prior illa v. 5. respicit *acceptionem* è manu Ecclesiæ, sed hæc v. 7. ex loco, ubi hirci cum ariete erant. Post acceptionem v. 5. Aharonis erat juvencum propius in conspectum Dei adducere. Adductione hac facta jubetur duos hircos rursum sumere è loco, in quo hucusque erant, & *statuere in Conspectum Dei ad ostium tentorii Conventûs.* Vox העמיד præterquam quod insuper varie adhibeatur, notanter dicitur de Personis & victimis in loco publico sacro ita constitutis, ut à cœtu conspici queant, sintque coram facie Dei v. Lev. XIV. 11. Num. V. 18. Expresse h. l. *coram facie Jehovæ* (ad) *ostium tentorii Conventûs.*

§. 102. Locus primo exprimitur לפני יהוה *in Conspectum Jehovæ.* Quia hirci Deo consecrati erant, æquum ut in Conspectum ejus ducerentur, illic ceu ad Deum pertinentes sisterentur. Idololatræ omnia ea, quæ Idolis suis destinarunt, ad Delubra in honorem eorum exstructa afferre solent. In iis sacra peraguntur, Trophæa suspenduntur &c. eo fine, ut testatum faciant, cuncta, quæ vel adferunt, vel illic agunt, gloriæ numinis, quod ædem illam inhabitat, illustrandæ inservire. Vero Deo cultus omni in loco quidem exhiberi potest, quippe ille omnipræsens, hinc & ante & post Legem genuini Cultores nulli alligati erant loco; Nihilominus sub Lege Deo aliter visum est: Unus aliquis sacrorum publicus destinabatur. Hunc omnes adire, in illo adorare, sacrificare & solenniora ad Religionem pertinentia agere debebant: Hunc Deus, quem alias cœli cœlorum non continent, symbolice inhabitabat. In Conspectum igitur hujus sistendi quoque erant duo illi hirci, atque hac ratione fatebantur Israelitæ se neminem præter Deum Abrahami, cujus hæc domus est, colere, victimas piaculares illi soli offerre, qui solus נשא עון ופשע וחטאה *aufert iniquitatem, defectionem & peccatum.* Exod. XXXIV. 7. conf. Matth. IX. 6.

§. 103. Locus dein specialius exprimitur פתח אהל מועד *ostium tentorii Conventûs.* Manifesta est ellipsis particulæ אל vel similis, qualem quoque reperis Genes. XVIII. 1. XIX. 11. XLIII. 18. Exod. XXXIII. 8. Simillimam Exod. XXIX. 11. Vulgatus supplet per *in.* LXX. per παρὰ *apud ostium.* Phrasis integra exstat Exod.

 XXIX.

XXIX. 4. XL. 12. Lev. I. 3. Supperadditur ſpecialior loci deſignatio, quia prior *in Conſpectum Domini* generalis nimis eſt *vid.* ſupra §. 90. *Ad oſtium tentorii Conventûs* magis reſtringit docetque hircos ita conſtitutos fuiſſe, ut obverſi fuerint ingreſſui in tentorium. Sed quæritur, an proxime ad oſtium collocati fuerint? Ex uſu Phraſis non liquet. Altare Holocauſti dicitur פתח משכן אהל מועד (ad) *oſtium Tabernaculi tentorii Conventûs*, at Altare hoc tentorio non erat proximum. Pariter Exod. XXIX. 4. *Aharonem & Filios ejus adduces ad oſtium tentorii Conventûs & lavabis illos aqua.* At etiam lavacrum non erat dicto oſtio proximum v. Exod. XL. 30. Inſuper Lev. VIII. 33. *Ab oſtio tentorii Conventûs non exibitis per ſeptiduum.* Quis credet Sacerdotes per ſeptem dies integros oſtio tentorii proximos aſtitiſſe. Ne alia conquiram. Allegabo nonniſi clariſſimum Lev. XVII. 6. *Sparget Sacerdos ſanguinem ſuper Altare Jehovæ* (ad) *oſtium tentorii Conventûs.* conf. v. 4. 5. Ergo Sacerdos ſpargens in ara dicitur ad oſtium tentorii Conventûs, licet non ſteterit immediate ad oſtium. Aharon itaque ejusque ſucceſſores voluntati divinæ ſatisfecerunt, quando hircos collocaverant in atrio Sacerdotum obverſos ingreſſui, licet non proxime. Quando ſub Templo II. uſus tentorii nullus, eligendus erat Locus reſpondens. Miſchnici dicunt: *Pontifex ibat ad Orientem atrii & ſeptentrionem Altaris* ושם שני שעירים *& ibi erant duo hirci*, notante Bartenora, *nam non introducunt hircos inter veſtibulum & Altare* (v. Joel II. 17.) *quando projicienda erat ſors ſuper illis.* Non video Sapientes, qui Auctores hujus Conſtitutionis, Legis divinæ violatæ eſſe reos. Locus reſpondet Altare, ejus Miniſtri dicuntur ad oſtium tentorii Conventûs, ut ex ſuperioribus conſtat. Nihil in contextu hujus capitis contrariari obſervo. Quare probo cogitata *Outrami de ſacrificiis* L. I. C. 15. qui exiſtimat præceptum de victima ante oſtium Tabernaculi ſiſtenda recte intelligi de collocatione ante aram. Verum Ven. *Marpergerus* Judæorum & Outrami mentem, ceu contrariam Legi, rejicit, arbitraturque: **Es ſeye was anders vor der Thür der Hütten vor dem Altar.** v. l. cit. pag. 328. 329. ut & 370. Suppeterent plura alia ad probandum dicta, ſed quæſtio tanti momenti haud eſt; Allata ſufficiant.

§. 104. ב *Sortitio* vero his præſcribitur verbis: ונתן אהרון על שני השעירים גרלות גורל אחד ליהוה וגורל אחד לעזאזל *Atque dabit*

bit Aharon super duos hircos sortes; Sortem unam pro Jehova; Alteram pro Azazel. Duo hi hirci dicto modo constituti varias sortes subire tenebantur. Earum determinatio non steterat penes populum, vel etiam Pontificem. Ipse Deus determinaverat, non per vocem, ut plura alia, non etiam per Urim & Tummim, sed per sortilegium. Providum Numen præviderat, quod determinatio eventuum singulis annis repetenda. Quare sortilegium præ aliis determinationis modis selegerat. Præclare huc facit Prov. XVI. 23. *Sors in sinum projicitur; verum à Jehova omne* משפטו *Judicium ejus.* Sortis jactus minime est fortuitus. Eventus dependet *à judicio Dei.* Est illud ipsum vocabulum, quod adhibetur de responso divino per Urim & Tummim, unde *pectorale* audit חשן משפט *pectorale judicii.* Exod. XXVIII. 15. divino itaque judicio eventus Hircorum definiendi erant.

§. 105. Ut vero sortitionem hanc distinctius intelligamus, attendemus ad sequentia: A. Nomen sortis, B. Numerum, C. Materiam, D. Locum, E. Instrumentum, F. Usum, G. Inscriptionem, & H. alia, quæ ad modum sortiendi spectant.

§. 106. A. Nomen hebraicum est גורל quod quidem sæpissime, ultra quam septuagies, in sacris exstat, solum tamen sine verbo aut affini derivato reperitur. Notat autem proprie sortem, sive Instrumentum sortitorium Prov. XVI. 33. cujus usus varius, veluti in re incerta determinanda Esth. III. 7. Bonis, quæ quibusdam communia sunt, dividendis, Num. XVI. 56. Uti terra Canaan victricibus Israelitarum armis expugnata inter illos sorte distribuebatur. Conf. Num. XXXIII. 54. 1. Chron. XXIV. 5. litibus finiendis Prov. XVIII. 18. & his similibus. Quia sortibus definitur id, quod eventurum est, veluti hæreditas, quæ alicui obtingit, etiam גורל *rem sorte definitam*, prout vel bona vel mala est, indicat. Hinc tanquam æquipollens τȣ̃ חלק *portio* legitur Jes. XVII. 14. Conf. Jer. XIII. 25. ita Jud. I. 3. Juda ad Simeonem dixit: *Ascende mecum* בגורלי *in sortem meam*, terram sorte mihi assignatam. Jos. XXI. 38. *Fuit* גורלם *sors eorum urbes duodecim.* Imo גורל *sortis* nomine id insuper venit, quod quis possidet nulla proprie dicta sorte intercedente. Pulcherrime Messias Psal. XVI. 5. *Jehova est portio partis*

tis meæ & calix meus : Tu es ſuſtentans גורלי *ſortem meam.* Jer. XIII. 25. *Hæc eſt* גורלך *ſors tua , portio menſurarum tuarum à me* ſcil. ut diſpergaris, veluti ſtipula. LXX. communiter vertunt per κλῆρος, quod non tantum eandem poteſtatem habet, vid. *Maurit. de ſortitione Vet. Hebr.* C. I. §. 3. ſed inſuper ab Hebraico גורל ortum, uti judicioſe obſervavit *Bochartus Geogr. S.* p. 451. Ed. Cadom. (ubi error Typographicus eſt גורב pro גורל.

§. 107. B. Numerus ſortium binarius eſt. *Dabit Aharon ſuper duos illos hircos* גורלות *ſortes. Sortem unam pro Jehova ; Sortem alteram pro Azazel.* Miſch. Tr. יומא Cap. III. 9. שני גורלו׳ *duæ ſortes.* Verum aliis Teſtimoniis non indigeo : Res teſtatiſſima eſt, atque hunc numerum poſcunt duo hirci, quorum eventus ſortibus his determinandus erat: Cæterum in aliis caſibus pro conditione rerum ſorte definiendarum numerus major aut minor cernitur, quemadmodum in terra Canaan dividenda Jos. XVIII. XIX. Ita in *Sanhed.* C. I. f. XVII. de LXX. Senioribus in Synedrium cooptandis exſtat, quod Moſes הביא שבעים ושנים פיתקין על שבעים כתב זקן ושנים הניח חלק: *Adhibuerit* LXXII. *Schedulas: In ſeptuagenarum qualibet inſcripſit vocem* זקן *SENIOR: Sed duabus reliquis nihil inſcripſit* &c. Integrum Teſtimonium annotatum reliquit *Eruditiſſimus Seldenus* L. II. *de Synedriis* p. m. CLI. *edit. Lond.* Pariter apud Gentes ſortes, quarum uſus iis frequentiſſimus exiſtebat, variabant. Pauſanias de Oraculo Herculis Buraico. *Qua ad Mare ex Bura deſcenditur amnis eſt Buraicus nomine & in (proxima) ſpelunca non ita magnum Herculis ſignum : Buraico & ipſi cognomen. Oraculi ſortes capiuntur ex Tabula per Talos. Qui conſultum venere, precatione ad ſignum peracta votisque nuncupatis* ἀστραγάλους (οἱ δὲ ἄφθονοι παρὰ τῷ Ἡρακλεῖ κεῖνται) τέσσαρας ἀφίησιν , *Talos (quorum in promtu eſt copia ad Herculis ſignum) quatuor ſumentes eos jaciunt ſuper menſam. v. A. Dal. de Orac. Vet. Ethn. C. XIV.* Idem ex Pocokio genus ſortium, quod Arabibus in uſu & illis *Alazlam* nuncupatur, refert, ſecundum quos tres ſagittæ vaſculo includi ſolent. *Cum eſſet alicui vel ſuſcipiendum iter vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum ſagittas, quas tres vaſculo incluſas habebant, conſulere ſolebant ; Earum primæ inſcriptum erat JUSSIT ME DOMINUS MEUS, ſecundæ : PROHIBUIT ME DOMINUS MEUS : Tertia autem nulla nota inſignis erat. Harum unam*

manu

manu extrahenti; si occurreret illa, quæ juberet, alacri animo, tanquam jubente Deo pergere: Sin illa, quæ vetaret, desistere; quod si ἀγέάμματος illa, reponere, donec prodiret, quæ vel jussu præiret, vel interdicto occurreret. Hæc nonnisi elucidationis gratia. Plura cupiens consulat Casaubonum, Peucerum, Dalæum, Mauritium, aliosque, qui de *sortibus* scripserunt.

§. 108. C. Duarum harum sortium *Materia* ex scriptura sciri nequit. Neque enim legislator eam determinavit, neque etiam determinare necesse erat: Suffecerat, si duabus sortibus (ex qua materia autem constiterint, nihil refert) hircorum unus ad mortem, alter vero ad dimissionem eligebatur. Ideo bene *Maimonides Tract. de Minist. diei Expiat.* C. III. 1. כשרים מכל דבר בין מן העץ בין מן האבן בין המתכת (sortes) *legitimæ, sive ligneæ, sive lapideæ, sive ex metallo fusæ sint.* Inspice insuper *Jalkut* CLXV. i. m. Tam varia quoque instrumentorum sortitoriorum materia olim exstitit, ut ex frequentiori aliqua hunc ad finem adhibita nihil certo concludere queamus: Sortes ex Auro, Argento, Ferro, Plumbo, variis ligni speciebus, stipula &c. conficiebantur, prout hæc & plura alia apud *Mauritium de Sort. Hebr.* C. IX. annotata. Audiendi tamen sunt Mischnici *Tract. Joma* Cap. III. 9. בה שני גורלות של אשכרוע היו ועשאן בן גמלא של זהב *In* (urna) *erant duæ sortes ex* אשכרוע: *At Filius Gamlæ fecit aureas.* Quod priores viliores fuerint, etiam vocabulo אשכרוע non intellecto, certissime constat. Etenim Filii Gamlæ factum, ceu laude dignissimum, monumentis perpetuis inscriptum ad posteros propagarunt, quod iis solum contigit, qui se insigni aliquo facto publice commendant. Inspice *§.* 10. *Tr. cit.* & *Tr.* שקלים C. V. 1. At quales fuerint sortes אשכרוע sive qua ex materia confectæ, ita facile dici nequit. Vox hæc Hebræis non est in usu, sed Chaldæis, qui adhibent loco תאשור. *Magnus Buxtorfius Lex Talm.* p. 235. quidem ait legi pro Hebræorum תדהר. At vix puto, sicuti conferenti duo Loca Jes. C. XLI. 19. LX. 13. (alibi autem non legitur) liquebit, nam utrobique pro vocibus Hebræis ברוש תדהר ותאשור Chaldæus legit ברון מורנין ואשכרעין atque adeo תאשור Hebræorum respondet Chaldæorum אשכרעין. Hebræorum autem vocabulum probabiliter *Buxum* notat. Ita *Vulg. Luth. Tig.* quod à felicitate (אשר) ortum habet, quia inquit *Ursinus Arboret.* Bibl.

Bibl. p. 152. *edit. Norimb.* 1699. *in Sacris Idololatricis concitat animos ſacro quodam furore,* (ſcil. Tibiæ ex Buxo conſtabant) *& ad certas leges modosque facit incedere ad lucos & illam ſperatam ex Commercio cum Diis beatitudinem.* Eandem notionem tenent nonnulli ex interpretibus Legis Oralis h. e. Miſchnæ. *Maimonides in Annot.* אשכרוע קורין אותו בערבי בקס *Æſchceroah vocant lingua Arabica* בקס Buxus. Unde Gr. *πύξος*, Lat. *Buxus.* Germ. **Buchsbaum.** Rabbi Obad. de Bart. בוסו בלע"ז מין עץ וחשוב הוא *Lingua peregrina* (Italicam intelligit) *eſt buſſo ſpecies ligni æſtimata.* Color Buxi cum illo, qui Æſchceroah Tract. נגעים C. II. 1. adſcribitur, convenit הרי הן אשכרוע לא שחורים ולא לבנים *Ecce illi Buxo ſimiles non nigri, non etiam albi ſunt.* Accedit, quod ſortes buxinæ huic inſtituto valde commodæ ſint: Ex Buxo enim antiquiſſimis temporibus Tabellæ ad illis inſcribendum idoneæ conficiebantur. Hinc tabulæ ſcriptoriæ, cujuscunque materiæ ſint, *πυξίον* nomine veniunt. LXX. pro לוח Jes. XXX. 8. Hab. II. 2. *πυξίον* vertunt, imo Exod. XXIV. 12. ubi alias tabula lapidea clare indigitatur. Quia autem his ſortibus nonnullæ voces inſcribendæ erant, bene buxinæ ſumebantur. Denique Buxo non carebant Palæſtini. In monte Libanon naſcebatur, & ut videtur, pulcherrima Jes LX 13. *Gloria Libani ad te veniet* ברוש תדהר ותאשור *Abies Tidhar & Buxus una.*

§. 109. Ut omnis in ſortiendo fraus abeſſet, recte Jonathan Hebræorum גרלות *ſortes* per ערבין שוין *ſortes æquales* explicat, hoc eſt, ut Maimonides ait *Tractat.* de Miniſt. diei expiat. Cap. III. 1. לא יהיה אחד גדול ואחד קטן אחד כסף ואחד זהב אלא שניהם שוין *Una non ſit magna & altera parva; una ex argento & altera ex auro, ſed utraque æqualis.* conf. *Jalkut* f. CLXV. i. m. Alias facile Pontifex ſortes dignoſcere potuiſſet atque pro lubitu hanc aut illam promere, huic vel illi hirco imponere, quod autem directe adverſaretur ſortitioni.

§. 110. D. Locum quod attinet, ſortilegium fiebat in atrio ante oſtium tentorii Conventûs. Ibi enim, ubi ſiſtendi erant hirci, Pontifex ſortiebatur: Maimonid. Tr. cit. §. 2. היכן מגריל במזרח העזרה בצפון המזבח *Ubi fit ſortitio? In plaga atrii orientali ad Latus Altaris aquilonare,* ubi urna, uti inferius dicendum, repoſita erat, atque

atque hic in ſimilibus caſibus frequentatus videtur Jos. XIX. 51. *Hæ ſunt hæreditates, quas hæreditario diſtribuerunt Eleaſar Sacerdos & Joſua Filius Nun, & capita Patrum tribubus Filiorum Iſrael* בגורל בשילה לפני י״י פתח אהל מועד *Sorte in Schilo in Conſpectu Jehovæ (ad) oſtium tentorii Conventûs.* conf. XVIII. 6. 8. 10. 11. Etiam Gentes templa ſortiendi cauſa adiiſſe hiſtoria profana teſtatur. *Lampridius de Alexandro Severo.* Huic ſors in Templo Præneſtinæ talis excidit, cum illi Heliogabalus inſidiaretur

- - - - - - - ſi qua fata aſpera rumpas
Tu Marcellus eris - - - - - - - -

A. v. Dale hoc aliaque exempla ſuppeditat *Orac. Vet.* C. XIV. *vid. Plinius Ep.* L. VIII. 8. *Adjacet Templum priſcum & religioſum, ſtat Clitumnus ipſe amictus ornatusque prætexta. Præſens Numen atque etiam fatidicum vindicant ſortes.* Ratio hujus inſtituti clara. Sortibus quaſi invocatur Sapientiſſimum Numen, ut velit rem dubiam decidere, aut res pluribus antea cōmunes rite dividere. Merito itaque Locus Deo ejusque præſentiæ conſecratus convenitur, ubi res proponitur, uti idem in aliis actibus religioſis conſuetum.

§. 111. E. *Inſtrumentum ſortitorium*, in quo ſortes quatiebantur, permiſcebantur, & ex quo extrahebantur, nullum quidem lex definiverat. Attamen ad ſcopum obtinendum neceſſarium erat. Hæc & ſimilia prudentiæ Pontificis, aliorumque, qui ſortitioni, ceu teſtes, aderant, relinquebantur. His ordinare incumbebat, ut omnia decenter & ordine agerentur. Quia autem veterum inſtrumenta, quæ ſortibus excipiendis inſerviebant, diverſiſſima exſtiterunt, difficulter admodum, quale hic uſurpatum ſit, cognoſcitur. Menſa plurimum ab iis, qui talos, teſſeras aut ſimiles ſortes jaciebant, adhibebatur. At vaſcula cava commodiora iis, qui Schedis, Laminis &c. ad ſortiendum utebantur.

§. 112. Sæpius quidem in Hiſtoria Vet. Teſtamenti ſortitionis mentio occurrit, nullum tamen evidens teſtimonium, ex quo forma vaſculorum conſtet, datur: Niſi huc referre velis Prov. XVI. 33. בחיק *projicitur ſors.* Communiter interpretes *ſinum* vertunt, atque id vere; Nam primo ſinum hominis, in quo alius r cubat, ſignificat 1. Reg. III. 20. 2. Sam. XII. 3. ſed notiſſimum eſt, He-

bræos eadem nomina imponere rebus, quæ aliquam cum membris corporis humani convenientiam habent. Ita à capite, manibus, femore, corde &c. translatæ significationes reperiuntur. Adeoque non impedit, si etiam rem ita se cum חיק habere dicamus. Idque eo magis, quia quoque figurate de ara Ezech. XLIII. 14. de curru 1. Reg. XXII. 35. usurpatur. Idcirco, quoniam de sortibus & loco, in quem eæ projiciuntur, sermo est, recte de *vasculo cavo* sinus formam & usum quasi habente vox accipitur.

§. 113. Verba antiqua, quæ cum גורל construi solent, talem formam poscere videntur scil. עלה & יצא vid. Levit. XVI. 9. 10. Num. XXXIII. 54. Jos. XVI. 1. XIX. 1 - 10 17. 24. 32. 40. nam quæ עלו & יצאו *ascendunt*, *egrediuntur* prius descenderunt, intrarunt. Atque ita innuitur sortes in locum profundum, cavum projectas fuisse, unde extrahebantur. Verbum נפל & הפיל magis respicit illum sortiendi modum, quo tali, tesseræ in mensam aut alium locum projiciuntur Esth. III. 7. Jon. I. 7. Psal. XXII. 19. ubi LXX. βάλλειν κλῆρον atque similiter ex iis Joh. XIX. 24. Illustratur autem, si quod nonnulli tradunt, milites talorum projectione vestem Christi partiti fuissent, quod quidem fieri potuit, neutiquam tamen pro indubitato venditamus, multo minus Romanis credimus, talos illos hodienum in Ecclesia Pontificia asservari. Sed fruantur egregio hoc thesauro.

§. 114. Cum his haud male convenit, quod annotarunt Mischnici *Tract.* יומא C. III. 9. קלפי היתה שם *Urna ibi erat, qua duæ sortes buxinæ recondebantur.* Vocem קלפי per peregrinam א"שקורן qs. *scrinium*, (uti haud male conjectat *Mart. Mauritius*) *Raschius* explicat. *R. Obad de Bartenora* generaliter כלי עץ חלול *vas ligneum cavum*, & *Aquinas* ex observatione Sheringhamii ארגז *cistam, cui tabellas* projiciendis sortibus imponunt. At *Maimonides Tract.* עבודת יום הכפורים clarius C. III. 1. hæc habet; מניחין שני הגורלות בכלי אחד המחזיק שתי הידים כדי שיכניס שתי ידיו ולא יתכון וכלי זה חול הוא ושל עץ היה וקלפי שמו Lud. de Comp. de Veilvertit *Hæ duæ sortes conjiciebantur in unum & idem vasculum, quod capiebat manus duas, ita ut Pontifex, velut aliud agens, manus insereret* (h. e. ut in notis explicat,

plicat, ut sortes utraque manu indiscriminatim tolleret, neque alteram alteri præferret) *vasculum illud profanum erat, è ligno constabat, & κάλπις dicebatur.* Esse autem קלפי Græcorum κάλπις jam dudum *Sheringhamius* ex Luciano *in not.* ad h. l. & *Bochartus Hieroz.* L. II. c. 54. observarunt. His subjungo Testimonium ex *Aristoph. in Vesp.* ubi καδίσκους, ἐν οἷς τὰς ψήφους καθίεσαν, *urnas, in quas calculos mittunt,* κάλπεις *vocat.* Cl. van der Wayen existimat potius descendere à Chald. קלף *decorticare.* Verum natales græci evidentissimi sunt.

§. 115. F. *Usus*, ut duo illi hirci piaculares Deo adducti sortibus distinguantur. Quia ambo à cœtu dabantur, erantque, ut probabiliter Judæi tradunt, æquales, statuit Deus, à quo omnia in mundo, etiam quæ homini maxime fortuita videntur, sortibus משפט *Judicium* suum ferre, hunc morti, illum vero vitæ destinare.

§. 116. G. *Sortes inscriptionibus insignes poscebantur.* Ex iis enim varius eventus dignoscendus erat. Maxime receptum olim erat & etiamnum est, ut nomina eorum, ad quos res sorte determinatæ transeunt, inscribantur. Ita tribuum nomina schedis inscripta fuisse, quum divideretur terra Canaan, Judæi scribunt. *Merillus in not. Philolog. ad Pass. J. Christi* Joh. XIX. 24. memorat. Cum equum in prælio captum non possent (Milites) inter se dividere, apud Vopiscum in probro, in urnam militares jussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ductus acciperet, puta is, cujus nomen prius urna emersisset, ut postea subjicit Vopiscus: Huc usque Vir doctissimus. Consimiliter harum una ferebat nomen ליהוה sed altera לעזאזל *pro Jehova, pro Azazel.* Tr. יומא Cap. IV. 1. שני גורלות אחד כתוב עליו לשם ואחד כתוב עליו לעזאזל *Uni duarum sortium* לשם: *Alteri inscriptum erat* לעזאזל. Noli arbitrari Mischnicos dicere Literas לשם Laminæ insculptas fuisse. Non; Sed reverentia, quam voci יהוה in scribendo & efferendo exhibendam ducunt, in causa est, quod substituant לשם: conf. *R. Obad. de Bart. ad h. l.* Idem est, quod Moses v. 8. *Sors una* ליהוה *& sors altera* לעזאזל. Vulgo hæc verba exponunt subintelligendo *dandam esse* unam sortem Domino; Id enim velle seriem & etiam indicare ל. Parum quidem refert, &

res eodem redit, num ſubintelligas verbum נתן *dedit*, an dicas uni ſorti ליהוה, alteri לעזאזל inſcriptum fuiſſe; Quamvis mihi poſterius convenientius videatur. *Atque dabit Aharon ſuper duos illos hircos ſortes;* Quales? *Sortem unam*, quæ legitur ליהוה *& ſortem alteram* לעזאזל. Inſuper v. 9. *& illum hircum, cui aſcendit* הגורל ליהוה *ſors illa pro Jehova, Aharon offeret* &c. & v. 10. *At hircus, cui aſcendit* הגורל לעזאזל *ſors illa pro Azazel* &c. Alia enim videtur conſtructio requiri, ſi prior ſenſus obtineret: Sed hæc cum poſteriore apprime convenit. Pariter in diviſione Canaan legimus Jos. XVI. 1. *& exiit ſors* לבני יוסף *pro Filiis Joſeph.* conf. XIX. 1. 10. 17. &c. ſive ſors, quæ inſcriptionem habet *pro Filiis Joſeph.*

§. 117. H. *Tandem ſuperaddenda ſunt alia, quæ modum ſortiendi docent.* Sortes dictæ probe miſcendæ erant, ne fraus aliqua à Pontifice committeretur, ſed ut reſponſum ipſius Dei eſſet. Hæc circumſtantia ad rite ſortiendum ſumme neceſſaria, ut quodammodo ſuperfluum ſit ejus meminiſſe, quippe ſortitio ſine commixtione ſortium nulla, ſaltem juſta. Quare putem Doctores Miſchnicos ſtudio brevitatis, cui ſummopere ſtudent, commixtionem ſilentio præteriiſſe. Novi quidem Doctiſſimum Sheringhamium & plures alios, qui hunc ceu Oraculum conſulunt, commixtionem in voce טרף Tr. יומא Cap. IV. 1. reperire. Ita enim verba טרף בקלפי *ſuccuſſabat urnam*, convertit & M. Buxtorfium, qui vertebat *& dirupit arculam* rejecit, plures inſuper notionis *permiſcere* rationes adducendo, quæ tamen infirmæ, mihi ſaltem, apparent. Solum Teſtimonium ex *Baal Aruch* ubi טרף per ערבבם *commiſcuit eos*, exponitur, ipſi favet. Huic autem rationes, & auctoritates & numero & pondere majores opponimus. Notat potius *celerrime ſumere*, rapere, diciturque de fera, Leone Pſal. XXII. 14. quæ prædam celerrime rapit. Hic vero ſignificatus conveniens eſt & vult ut Pontifex ſortes permixtas citiſſime auferat, minime moretur in urna palpando ſortes. Cum hoc ſignificatu Textus congruit טרף בקלפי והעלה שני גורלות *celerrime ſumſit in urna & extraxit duas ſortes;* Non exſtat טרף קלפי ſed בקלפי atque adeo locus, in quo aliquid ſumſit, commode intelligitur. Ita *Maim.* עבודת יום הכפורים C. I. 3. ubi tamen ordinarius interpres *quatere* mavult.

Inter-

Interpretationem dictam probant Doctores Gemarici & nonnulli recentiorum. Illi *Tr.* יומא *Talm. Babyl.* f. XXXIX. c. I. למה לי טרף בקלפי טרף בקלפי כי היכי דלא ניכוין ולישקול *quare* dicit *mihi* (& non potius verba hæc silentio præterit) *ideo ut ita non posset attendere & dignoscere* sortem à sorte. Sheringhamius conjunctim legit ליטרף & pro ניכוין habet ליכוין *Edit. Franeq.* 1696. Audi insuper *Glossam ad Caput. I.* שלא ימשמש להבין במשמושו איזה של שם ויטלנו בימין לפי שהוא סימן יפה כשהוא עולה בימין *ne palpet & palpatione sua discernat, quænam ad Deum pertineat & sic illam dextra extrahat: Nam* σημεῖον *bonum erat, quod si* (sors Dei) *manu dextra extraheretur.* Et R. Obad. de Bart. טרף חטף ולקח פתאום בחטיפה כדי שלא יתכוין להבין במשמושו איזה של שם ויטלנו בימין *rapuit, abstulit, sumsit celerrimo raptu, ne contrectando sortem Domini seligeret, attenderet, & illam dextra extraheret.* Unde elucet טרף juxta proprium significatum, Textum Mischnicum, Gemaricum & Commentatores, *celerrimi raptus*, non *succussationis* aut *commixtionis* notionem habere.

§. 118. Extractas autem sortes Aharon hircis imponebat; *atque dabit Aharon super duos illos hircos sortes; Sortem unam*, cui inscriptum PRO JEHOVA, *& sortem alteram* PRO AZAZELE, atque ita hircus, cui Lamina PRO JEHOVA dabatur, mactandus erat, sed alter ad Azazelem mittendus, uti inferius dicendi occasio dabitur. Traditionarii referunt, hircorum unum ad dextram Pontificis, alterum vero ad sinistram stetisse, atque ita sortem dextra extractam dextro, sinistra sinistro hirco imposuisse. מעמיד אחד לימין ואחד לשמאל ונתן שתי ידיו בקלפי ונוטל גורל בימין וחבירו בשמאל ונותנן עליהם את שכתוב בו לשם הוא לשם ואת שכתוב בו לעזאזל משתלח לעזאזל Hæc Raschii *in Comment. ad h. l.* ex dictis clara sunt. Addo solummodo verba hac occasione ab Aharone & adstantibus, uti ajunt, dicta ex Tr. יומא C. IV. I. נתנו (ירושל׳ נתנם) על שני השעירים ואומר לה׳ חטאת ר׳ ישמעאל אומר לא היה צריך לומר חטאת אלא לה׳ והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד (Pontifex sortes) *duobus hircis imponebat dicebatque* Jehovæ sacrificium pro pecca-

peccato: *At R. Ismael dicit: Non necesse* fuisse, *ut adderet* sacrificium pro peccato, *suffecisse* Jehovæ: *Et illi respondebant: Benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in omnia secula.*

§. 119. Gravissimus hic actus testes poscebat, qui testarentur Pontificem non subdole egisse, sed rem totam Deo per sortem respondenti reliquisse, quomodo sortitioni terræ Canaan Eleasarem, Josuam & capita populi interfuisse ex Josuæ XIX. v. ult. novimus. Nihil quidem de iis legislator in C. XVI. *Levit.* refert: Adfuisse tamen testes quam certissimum mihi videtur. Quomodo alias populus Israel certus fuisset de sortitione candide & absque fraude facta? Quare facile Mischnicis, qui suffraganeum Pontificis, atque Præfectum Patrum, summa post sortientem in ordine Sacerdotali capita, latera hujus clausisse scribunt, fidem adhibemus, licet modus jam nominandus nonnihil recentior & decoris ergo excogitatus videatur. הסגן בימינו וראש בית אב משמאלו אם של שם עלה בימינו הסגן אומר לו אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם של שם עלה בשמאלו ראש בית אב אומר לו אישי כ"ג הגבה שמאלך *Suffraganeus ad dextram & Præfectus Patrum stabat ad ejus sinistram; Si sors Domini dextra ascendisset, suffraganeus dicebat: Domine Sacerdos magne, dextram in altum tolle. Si sors Domini sinistra ascendisset, Præfectus Patrum dicebat: Sinistram in altum tolle.*

§. 120. Selectissima verba sunt Maimonidis, quæ clare totum ferme negotium sortitionis describunt in Tr. עבודת יום הכפורים C. III. 2. 3. quæque fusius à nobis examinata in compendio sistunt הוכן מגריל במזרח העזרה בצפון המזבח מניחין שם הקלפי ומעמידין שני השעירים פניהן למערב ואחוריהם למזרח וכהן גדול בא לשם והסגן מימינו וראש בית אב משמאלו ושני השעירים לפניו אחד לימינו ואחד לשמאלו טרף בקלפי והעלה שני הגורלות בשתי ידיו לשם שני השעירים ופותח ידיו אם של ה' עלה בימינו הסגן אומר לו אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם בשמאלו עלה (supple ראש) בית אב אומר לו אישי כהן גדול הגבה שמאלך ונותן שני הגורלות על שניהם של ימין על של ימין ושל שמאל על שמאל ואם לא נתן לא עיכב אלא שחיסר מצוה שההנחה מצוה שאינה מעכבת וההגרלה מעכבת אפ"ע שאינו עבודה לפיכך ההנחה כשרה בזר והעליות הגורלות מן הקלפי פסולה בזר *Qua ratio-*

ratione sortitio peragitur? Ad plagam atrii orientalem latus aræ aquilonare κάλπις ponebatur, ubi duo hirci, quorum facies versus occasum, sed posteriora ortum versus conversa, constituebantur. Huc accedebat Pontifex, ad cujus dextram suffraganeus, ad sinistram vero Princeps Domus Paternæ: Ante Pontificem erant duo hirci, unus ad dextram, & alter ad lævam. Tum in arca celerrime sumebat & nomine duorum hircorum duas extrahebat duabus manibus sortes, aperiebatque manus. Si sors, cui inscriptum pro Domino dextra extracta fuisset; Suffraganeus eum alloquebatur: Domine Pontifex, attolle dextram tuam. Sin sinistra, tum Princeps Domus paternæ consimiliter ei dicebat: Domine Pontifex attolle sinistram tuam. Postea duobus hircis geminas imponebat sortes, dextram dextro & sinistram sinistro. Si non imposuisset, non impedivisset (actum) sed tamen rem, quam facere convenit, omisisset, nam impositio ex numero rerum est, quas quidem præstare decet, sed quæ non impediunt. Verum sortitio, licet nulla functio, omissa impedit: Unde fit, ut impositio sortium per alienum recte agatur, sed non extractio. Conf. *Talm. Babyl. Tr.* יומא fol. XXXIX. 1. 2. *Bechai Comment. Leg.* f. CXLIX. 1. Plurimi dicti hujus Maimonidiani ex parte meminerunt, sed quidam parum feliciter. Non nunc repetam illos communiter טרף per *quatere*, *agitare* transferre; Sed memorabo errores graviores, qui diversissimum sensum fundunt. Ita Jac. Capellus, uti observat celeberrimus Frischmuth אישי כהן גדול *Domine Sacerdos magne* male vertit *ignita sacrificia summi Sacerdotis*, vide illum *in Disp. I. de hirco Azazel.* Huic addo, quod ipse in Incomparabili Bocharto super hunc Locum notavi, וכהן גדול בא לשם quæ ille *magno Sacerdote ad Dominum ingrediente* transfert scilicet לשם *ad Dominum* pro *illuc*, quod constructio vult. V. *Hieroz.* L. II. c. 54. & insuper, quod ex inanimadvertentia scripsit Mauritius L. C. C. XXII. §. 5. בצפון המזבח *à parte meridionali Altaris*, pro *parte aquilonari Altaris.*

§. 121. ג. Eventus traditur v. 9. 10. *Tum offeret Aharon hircum illum, super quem ascendit sors illa pro Jehova, & faciet eum (sacrificium) pro peccato. At ille hircus, super quem ascendit sors illa pro Azazel, constituetur vivus coram Jehova ad expiandum illum ad mittendum illum ad Azazel in desertum.* Eventus ergo horum duorum hircorum vi sortis varius, imo ut ex sequentibus constabit, oppositus, prioris ad mortem, posterioris ad vitam. Ante sortem una

à cœtu

à cœtu accepti *in ſacrificium pro peccato* v. 5. una conſtituti *in conſpectum Jehovæ ad oſtium tentorii Conventûs* v. 7. Deus per ſortem varium fert משפט *judicium* de iis, qui quaſi uniti ad unum finem dati erant.

§. 122. Eventus hirci, ſuper quem ſors *pro Jehova* ab Aharone dicitur offerendus. והקריב *Tum offeret Aharon.* Studio repetitur *Aharon*, ut clarius conſtet, non alium ad hanc ſolennitatem aptum eſſe, nequidem Sacerdotem. Ipſe Aharon Pontifex à Deo definitus eſt. Ille eſt מקריב *adducens* hircum hunc tanquam קרבן *oblationem*, ut v. 6. dicitur מקריב *adducens* juvencum ſuum, tanquam ſacrificium pro peccato. Adductio hæc diſtinguitur à mactatione v. 15. Videtur itaque indicare, quod hircus hic poſt ſortes jactas è loco, in quo antea cum ſocio ſteterat, propius ad locum ſacrificiorum ductus fuerit, quando alter ſubſtiterat.

§. 123. Quum הקריב *offerre* קרבן *oblatio* dicuntur in genere de ſacrificiis, hircus vero per ſortem piacularis eſſe debuerat, additur: *Et faciet* (Aharon) *eum* חטאת *peccatum* vel ſacrificium pro peccato. Ambo hirci erant accepti לחטאת *in ſacrificium pro peccato.* v. 5. Nunc juxta judicium divinum hic hircus ſolus actu faciundus חטאת *ſacrificium pro peccato*, quod ſuſcipit peccatum cœtus & hinc maledictionem, quod adeoque aliorum piacularium inſtar tractandum, mactandum, cujus ſanguis ſpargendus &c. Verbum עשה ſæpiſſime hoc in ſenſu uſurpatur Num. VI. 16. *& offeret Sacerdos in conſpectu Jehovæ* ועשה *& faciet ſacrificium ſuum pro peccato &* ὁλοκαύτωμα *ſuum.* conf. in eod. C. v. 11. 17. Lev. XV. 15. Num. VIII. 12. Lev. XVI. 24. Notat autem *facere ſacrificium pro peccato*, animal rite parare, ut illud ad expiationem peccatorum juxta voluntatem Dei idoneum ſit. *Aben Eſra in Comment. ad h. l. per mactare* explicat שישחטנו. Raſchius vero refert ad illa Pontificis verba *Jehovæ ſacrificium pro peccato* (eſto), quæ jam ſupra ex Miſchna §. 116. allegavi. Hæc plenam phraſeos poteſtatem non exhauriunt. Phraſis generalis ampliorem ſignificatum habet & includit omnes alios ad expiationem faciendam in victima actus conf. v. 24. Modus oblationis victimarum piacularium alibi quidem traditur, ſc. Lev. IV. ſed quia hircus ab iis differt, Aharon denuo de modo in ſequentibus inſtruendus erat.

§. 124. De eventu hirci alterius v. 10. *At ille hircus, ſuper quem aſcendit ſors illa pro Azazel, conſtituetur vivus coram Jehova ad expiandum illum, ad mittendum illum ad Azazel in deſertum.* Commode diſcrimen duorum hircorum docet *Bechai in Comment. Leg.* f. CXLVIII. c. 4. השעיר אשר ל״י היה נשחט הוא שכתוב ועשאהו חטאת אבל השעיר אשר לעזאזל לא היה נשחט אבל היה המשתלח על פנ המדבר *Hircus pro Domino mactabatur, quod ſcriptura his innuit verbis,* & faciet illum victimam piacularem. *Sed ille pro Azazel non mactabatur, verum in deſertum emittebatur.*

§. 125. De hoc hirco primo lex præcipit: *At hircus ille, ſuper quem aſcendit ſors illa pro Azazel* יָעֳמַד *conſtituetur.* Plures vertunt tranſitive, ut Vulgatus *ſtatuet*, ſcil. Aharon, cum quo Lutherus: **Soll er ſtellen.** Etiam Tigurini & S. Schmidius. Alii intranſitive, ut Oncelos יתקם. Junius & Trem. *ſiſtitor*, Berlenburgenſes **ſoll geſtellt werden.** Raſchius habet pro יועמד *ſtatuitor.* Commode **er ſoll ſtehen bleiben.** Rationes ſunt. 1. Textus Originalis clare differt à v. 7. העמיד *ſtatuet* tranſitive; At v. 11. יעמד intranſitive. 2. Dein v. 7. Aharoni juxta nexum præcipitur: *Statuet.* Non item v. 11. Ex judicio ſortis divinæ *ſubſiſtat*, ſtare pergat. 3. Jam ante ſortitionem conſtitutus erat *in conſpectu Jehovæ* v. 7. non indigebat ergo nova conſtitutione. Vel duplex conſtitutio alia ante ſortitionem, alia poſt eam habenda eſſet. At Textus duplicis non meminit. Si duplex conſtitutio, dicendum, quod hircus ante ſortitionem in alio loco ſteterit, vel non. Prius dici non poteſt; ante & poſt dicitur *ſtare in conſpectu Jehovæ.* Deductionis è loco in locum nulla fit mentio. Si vero in eodem ſubſtitit, tum recte verto: **Er ſoll ſtehen bleiben.** 4. Res in ſacris ſæpe *fieri* dicitur, quando continuatur. Plura dat exempla *S. Glaſſius Philol. S.* p. 757. *Edit. Lips.* MDCCV. Cæterum *Bechai in Comment. Leg.* fol. CXLVIII. c. 4. duplicem ſtatuit conſtitutionem, verba ejus ſunt שני השעירים האלה היו מתנה להב״ה לפני הגורל ואחרי הגורל לפני הגורל הוא שאמר והעמיד אותם לפני י״י לבאר כי שניהם היה נתנן במתנה להב״ה ומעמידן לפניו ואחרי הגורל הוא שאמר והשעיר אשר עלה עליו הגורל לעזאזל יעמד חי לפני י״י לומר שאף אותו של עזאזל היה נתנו להב״ה *Duo illi hirci & ante & poſt ſortes Deo be-*

nedicto dono dabantur. Ante sortitionem quidem sicuti patet (ex v. 7.) *& constituet illos in conspectum Adonai*, *quo indicatur utrumque Deo illi benedicto donatum esse*, *quare illos ante faciem ejus collocabat. Post sortitionem*, *sicuti elucet* & hircus super quem ascenderit sors illa pro Azazele, vivus sistetur in conspectum Domini, qs. d. *etiam illum Azazelis Deo datum esse.*

§. 126. Dein lex præcipit *subsistat* חי לפני יהוה *vivus in conspectu Jehovæ.* Hæc lex erat necessaria, nam communiter, quæ dantur לחטאת *in sacrificium pro peccato*, potestati mortis subjecta sunt. Plures Leges hoc docent; Igiter necesse erat mandare *vivus subsistat.* Ex sententia judicii divini hic hircus vivus manere debet. Gratiosissima Numinis intentio: Volo ut hic vivus maneat. Et quidem *in conspectu Jehovæ.* Optime notavit *Bechai* l. cit. *Etiam hircum pro Azazel Deo datum esse.* Qui jam ab initio cum socio in conspectum Dei deductus; Qui nunc ex judicio Dei, & quidem vivus in hoc conspectu subsistit, utique solius Dei est. Vel hæc sola ratio sufficere videtur ad rejiciendum incredibilem quorundam opinionem, quod hircus *pro Azazel* Diabolo per sortem datus sit. Quare sorte jam projecta Deo vivus sistendus, si Dei non esset, sed Diaboli? Nulla κοινωνία Dei cum idolo quopiam aut Principe idolorum sive Diabolo. Pie & vere Theodoretus, cujus verba in hunc locum collegit *Spencerus de hirco emissario* C. X. 'Ου τοίνυν Θεῷ τινὶ ἢ Δαίμονι ἀπεςέλλετο, ἀλλ' ἀμφότεροι μὲν τῷ Θεῷ προσεφέροντο &c. *Non igitur Deo cuipiam aut dæmoni mittebatur* hircus ablegatus, *sed ambo quidem offerebantur Deo*, *unus mactabatur*, *alter in solitudinem emittebatur. Quæst. XXII. in Levit.* Ultimo lex hunc quoque habet usum, ut Aharon sciat hircum *pro Azazel* non statim ad Azazel mittendum esse. *Subsistat vivus in conspectu Jehovæ* per aliquod tempus. Sed quamdiu? Gemarici nonnihil inter se dissident. תנו רבנן יעמד חי עד מתי יהיה זקוק להיות חי עד שעת מתן דמיו של חביר' דברי רבי יהודה: רבי שמעון אומר עד עת וידוי *Tradiderunt Magistri nostri*: Sistitor vivus: *Quamdiu autem vivus esse tenebatur? R. Jehuda dicit; usque ad tempus*, *quo sanguis socii spargebatur: At R. Simeon; usque ad tempus confessionis. Jalkut.* f. CLXV. i. m. Tempus vero optime definitur in v. 21. h. Cap. (de quo vero suo loco.)

§. 127.

§. 127. Finis hujus Legis eſt לכפר עליו *ad expiandum eum.* Quæ ſit *δύναμις* vocis כפר, jam ſupra §. 93. plenius dictum. Quare non denuo Vulgatum, qui vertit; *Ut fundat preces ſuper eo*, vel alios, qui *de confeſſione peccatorum* explicant, refutabimus. Hæc notio voti כפר non ineſt. Magis exercet particula עליו, quid hic ſignificet. Certum eſt, reſpicere hircum ceu ſubjectum immediate antecedens. Sed quæritur, quomodo vertenda, & quis ſenſus? An *ſuper eo*, uti LXX. τῦ ἐξιλάσασθαι ἐπ' αὐτῦ. Oncelos לכפרא עלוהי. S. Schmidius; *ad expiandum ſuper eo*, quos probat *Marpergerus*, Cremerus, vel an ad *expiandum eum*, ut Lutherus, daß er ihn verſöhne, cum quo faciunt Tigurini, Berlenburgenſes. Etiam Gouſſetius ipſum hircum piandum eſſe judicat, *Comment. Ling. Hebrææ* pag. 397. C. II. An cum Leone Juda, *iſto*, vel *pro eo*, quod Cremerus rejicit. In re difficili γνώμη mea ſequens eſt. Quando על cum כפר conſtruitur, indicatur aut perſona, aut res expianda. Illa veluti Lev. IV. 20. Num. VIII. 12. XXVIII. 21. 30. etiam in hoc ipſo capite v. 33. על הכהנים ועל כל עם הקהל יכפר *ſuper Sacerdotes & ſuper omnem populum cœtus expiabit*, vid. quoque v. 34. Hæc vero etiam hoc in capite v. 16. 18. *ſuper quo* dicitur expiatio fieri, ille expiatione indiget & expiatur. Quare alias expiatio fieret? Inſuper non eſt differentia *ſuper eo & pro eo.* Conſtat quam clariſſime ex hoc capite. Expiatio, quæ dicitur בעד *pro* v. 6. 11. 17. 24. dicitur quoque על *ſuper* v. 33. 34. Applicemus ad hircum vivum. Expiatio prædicatur de eo in T. עליו *ſuper eo.* Ergo expiatione indiguerat & expiatus erat. Si expiatio facta עליו *ſuper eo*, tum etiam בעדיו *pro eo.* Hæc duo videntur conjuncta. Sed dices: Quomodo hircus vivus ſiſtitur expiatus aut expiatio pro eo facta? Reſp. Ille cum ſocio deſtinatus לחטּאת *in ſacrificium pro peccato* v. 5. Hinc nunc ſequitur, quod peccatum Iſraelitarum etiam in hunc hircum translatum fuerit, & cum peccato maledictio, pœna, mors. Qua vero ratione hircus, qui propter peccatum mori deberet, vivus manet? Quia expiatur morte & ſanguine hirci ſocii. Num actu aſperſus fuerit, in medio relinquam. Diſerte non exſtat. Sufficit, quod ex judicio Dei vivus in conſpectu Jehovæ manere debuerit, ut expiaretur. Expiatus autem tum demum, quando ſocius mactatus, ac ſanguis ejus ſparſus erat. Tum quoque libertati datus erat, poteratque peccata auferre. Hircus *pro Jehova* morte ſua ἱλασ-

μὸν effecerat. Hic vero socius tam diu in facie Numinis versabatur & quasi reus habebatur, donec prior expiationem typicam, quæ illi incumbebat, absolvisset. Hac vero absoluta liber dimittebatur, ac ad veniam clarius ob oculos sistendam peccata in desertum abstulerat, ut suo loco plenius dicendum erit. Hic ipse sensus sensui mystico lucem dabit.

§. 128. Priore fine obtento sequitur alter: *Ad mittendum eum ad Azazel in desertum.* Posterior à priori juste dependet, ut ex modo dictis §. 127. constat. Ante expiationem hircus pro Azazel nullum libertatis jus habuerat. Acceperat per expiationem. Quare hæc duo conjuncta sunt: *Ad expiandum eum, & mittendum eum ad Azazel in desertum.*

§. 129. Verum explicationi nostræ adversatur, quod Judæi tradunt, hircum quidem in desertum missum fuisse, sed non, ut in illo liber vagaretur, verum occideretur; quemadmodum Jonathan vertit לשדרא יתיה למתת *ut emittat ipsum ad moriendum* & Raschius ad h.l. מה תלמוד לומר לפי שני׳ לשלח אותו לעזאזל ואיני יודע שלוחו אם למיתה אם לחיים לכך נאמר יעמד חי עמידתו חי עד שישתלח מכאן ששילוחו למיתה *Quid sibi verba Textus* ad mittendum eum ad Azazelem *volunt? Ego ex iis nescio num ad vitam, num vero ad mortem mittendus sit? Ut scias, ideo (prius) dictum* sistetur vivus: *Vivus quidem, donec inde emittetur, ibi stabat, sed ad mortem mittebatur.* Et suo loco plenius percipiemus hircum secundum communem Judæorum opinionem è rupe præcipitem datum fuisse. Minime itaque expiatus liber dimittebatur. Hoc quidem posteriori tempore obtinuisse negare nolumus sed non ex præscripto Legis. Institutum prorsus humanum censemus atque ejus rationem indagare inferius conabimur. Nunc Argumentis & dein Testimoniis veterum, qui idem statuerunt, sententia nostra confirmanda erit.

§. 130. א. Prolixe legislator, quæ cum hircis agenda sint, Aharonem docuit, ut functiones circa illos ex voluntate sua plene obire posset: Hinc tot commatibus 5. 7. 8. 9. 10. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. Historiam hircorum nobis reliquit, quædam, ut probe inculcaret, repetiit, quale est *mittere ad Azazelem in desertum* vel *mittere in desertum* v. 10. 21. 22. Jam si ille, cui sors pro Azazele in deserto,

deserto, occidendus fuisset, an credibile est Deum præcipuam circumstantiam silentio transivisse, qui toties de missione in desertum, & aliis, ut videtur, minus necessariis verba fecit? Nihil de morte hirci aut rupe, unde præcipitandus dicitur. Qua igitur ratione Aharon, cui nihil sine jussu Numinis agendum, colligere potuisset, hircum in desertum abductum occidendum esse? Imo qua ratione nos id asserimus, qui ritus divinos ex sola Lege novimus? Invalidum est, quod mecum unusquisque Judæorum, qui veritatem amat, fatebitur, argumentum ex verbis *sistetur vivus* petitum. Sane non sequitur *sistebatur vivus coram Domino*: Ergo postea mittebatur, ut occideretur. ג. Verum Scriptura non tantum silet, sed & contrarium Religioni Judaicæ refert. Contrarium est לשלח *adm ittendum eum in desertum*, nam שלח de hominibus & animalibus, quæ ex servitute, custodia in libertatem mittuntur, prædicatur Exod. VIII. 25. ולא שלח *& non dimisit populum.* conf. IX. 3. X. 20. XI. 10. Gen. VIII. 7. וישלחו *& misit corvum* & v. 8. 10. Deut. XXII. 7. שלח תשלח *dimittendo dimittes matrem* h. e. avolandi potestatem concedes. Unde, qui mittuntur ceu אסירים *vincti* describuntur Zach. IX. 11. ut fiant חפשים *manumissi*, in libertatem asserti. Jer. XXXIV. 9. לשלח *ut dimitteret Vir servum suum & Vir ancillam suam Hebræum & Hebræam* חפשים *liberos, ut non servire facerent eos:* conf. v. 10. 11. 14. 16. Jes. LVIII. 6. ושלח *& dimittere contusos* חפשים *liberos.* Jobi XXXIX. 5. מי שלח פרא חפשי *quis dimittet Onagrum liberum?* Præprimis huc facit Lev. XIV. 7. ושלח *& dimittet avem vivam*, nam duas has aves in purificatione leprosi cum duobus hircis in mundatione lepræ spiritualis in plurimis convenire Judæi & Christiani constanter tradunt.

§. 131. Hircum ex voluntate Dei in deserto occidendum non fuisse allata quidem satis probant. Confirmabuntur tamen, si plures ex veteribus ita judicasse probavero. Ex his sunt LXX. ὥςε ἀποςεῖλαι αὐτὸν ε͗ς τὴν ἀποπομπὴν καὶ ἀφήσει αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον, uti alibi de animalibus, quæ libere vagantur, Exod. XXII. 5. Καὶ ἀφῆ τὸ κτῆνος αὐτȣ͂ Jobi XXXIX. 5. τίς δὲ ἐςιν ὁ ἀφεὶς ὄνον ἄγριον. Et Græcis quædam animalia ἄφετα dicuntur, quia in Dei alicujus honorem libera dimittebantur. *Lucianus* templum Deæ Syriæ sacrum

 descri-

describens ait, in atrio templi ἄφετοι νέμονται βόες μεγάλοι *Boves magni liberi pascuntur*, & *Equi* & *Aquilæ*, & *Ursi* & *Leones*, *neque homines lædunt.* Vide *Spencerum de hirco emissario* C. IV. & *Bochart. Hieroz.* L. II. c. 54. f. Ipse *Josephus* Legem ex mente Legislatoris exponens ita ait: Προσάγουσι δὲ δύο πρὸς τούτοις ἐρίφους, ὧν ὁ μὲν ζῶν εἰς τὸν ὑπερόριον ἐρημίαν πέμπεται. *Adducunt autem duos insuper hircos, quorum unus vivus extra fines in desertum mittitur* nulla occisionis mentione addita *Antiq. L. III. C. X.* Ex recentioribus Judæis Celeberrimus Bochartus l. c. Aben Esram & Anonymum quendam, qui hircum dimissum fuisse ingenue fatentur, citat. Christianorum suffragia notiora sunt, quam ut ea colligam.

§. 132. Nunc quoque tangenda est difficillima illa, omnium interpretum consensu, vox עזאזל ad quem hircum, cui sors PRO AZAZELE obtigit, libere dimittendum toties dixi. Tutissime faciunt, qui nomen Azazelis in aliis linguis retinent, quia vera ejus potestas vix ac ne vix, saltem ut in ea alii acquiescant, transferri poterit. Ita olim sensit Oncelos, qui ubique עזאזל habet, v. 8. 9. 10. Miror autem Cl. *van der Wayen* Bochartum ideo refutare, quod Oncelosum ita sentientibus accenseat: *Quam bene autem*, inquit, *de hirco Azazel* §. 77. *Onkelos ita sentientibus à Bocharto accenseatur, vix video, cum ipse Vir Magnus paulo post notet, Onkelosum finem decimi versus sic* παραφράζειν: *Ad mittendum eum ad mortem in locum asperum & confragosum &c. Dissert. de hirco Azazel* Th. 77. Ignoscat Vir gravissimus, si partes Bocharti sumsero; Neque enim de Onkeloso id ait, sed Jonathane, quem cum priori confundere nollem. Cum Jonathanis Paraphrasi autem res, uti refert Eruditissimus Gallus, comparata est. Et nulla alia probatione indiget: Legantur tantum Paraphrases Onkelosi & Jonathanis.

§. 133. Verum quid *Azazel* sit, sive quid sub illo significetur, ab aliis edoceri malo, quam alios edocere. Nisi differendi necessitas, semel mihi imposita, me invitum huc pertraheret, à difficili quæstione abstinere mallem, quippe non solum his nostris præsertim temporibus, ob varias explicationes involuta sed & tam prolixe pertractata, ut vix quidquam dici possit, quod non sit dictum antea. Sed ut plenam Ministerii Diei Expiationis historiam exhibeam, non prorsus de *Azazele* tacebo: Observabo autem hunc ordi-

ordinem, ut primo expoſitiones minus probabiles, dein probabiliorem propoſiturus ſim.

§. 134. Prima eſt illorum, qui vocem compoſitam ajunt ex עז & אזל *caper abiit* vel in participio *caper abiens*: Notari adeoque ipſum illum hircum in deſertum vivum emittendum. His rationibus א quod vox compoſita ſimplices illas plene exhibeat, ב quod inſuper ſignificatus rite quadret. Emiſſarius, quia abit in libertatem, ab abeundo merito nominatur. ג Quod denique hæc ſententia graves Patronos habeat. Inde enim à Senioribus *ἀποπομπαῖος*, à Miſchnicis שעיר המשתלח *hircus emiſſarius*, ab aliis ſimili dictione appellatur.

§. 135. Nihil allatæ ratiunculæ probant: Graviores obſtant. Nam licet עז & אזל in voce *Azazel* reperiantur, nondum tamen ſequitur notari *caprum abeuntem*, multo minus nomen eſſe hirci in deſertum emittendi, quia voces componentes inſuper aliam notionem habere poſſunt, quam profert & probare conatur Eruditiſſimus *Spencerus*, *fortis* Diabolus ſcil. *abiens*. Summe neceſſarium itaque eſt ad hanc aut illam vel aliam ſignificationem ſtabiliendam ex Textu, ejusque ſerie argumentari. Dein probe notandum eſt hircum emiſſarium conſtanter שעיר, nunquam עז vocari, idque minimum decem vicibus: Imo שעיר à עז evidenter diſtingui. v. ſupra v. 5. Quare, quia hoc nomine non tantum in hac Hiſtoria nunquam venit, ſed & ab eo diſtinguitur, non video qua ratione *Azazel* dici queat. Inſuper conſtructio in toto capite vult, ut hircum ab Azazele diſtinctum dicamus, niſi Tautologias auribus, imo ſenſui injucundas, incommodas ſtatuere velimus, veluti v. 8. *& dabit Aharon ſuper duos illos hircos ſortes: Sortem unam PRO JEHOVA; Sortem alteram* לעזאזל. Nam ſive vertas *in Azazelem*, hoc eſt, in hircum in deſertum emittendum, ſive *pro Azazele*, ſeu hirco, inconcinna erit verſio. Nam ſortes erant projiciendæ eum in finem, ut, quod unicuique eventurum, determinaretur. Jam quid ſibi ſors *in Azazelem* ſive *pro Azazele*? Natura oppoſitionis potius vult, ut quemadmodum prior ליהוה *Domino*, ita poſterior *Azazeli* cedat. Indicat id inſuper præpoſitum ל. *Neque*, inquit Celeberr. *Witſius Oec. Fœd. L. IV. C. IV. videtur hircorum unus Azazel poſſe dici, niſi ſuppo-*

supponatur, hircorum alterum dictum fuisse Jehova, quod alienum est. Clarius adhuc v. 10. *Sed hircus, cui ascendit sors illa* לעזאזל *sistetur vivus in conspectu Jehovæ ad expiandum illum, ad mittendum ipsum* לעזאזל *in desertum*, & v. 26. qui dimittit hircum לעזאזל. Quis parum in lingua Hebraica exercitatus hæc legens hircum & Azazelem pro uno eodemque habere valet?

§. 136. Secunda vero est eorum, qui per Azazalem *Diabolum* intelligendum esse ajunt. Autumant se id ex origine vocis non minus, quam Textus cohærentia probare posse. Originem vocis quod attinet, duplicem viam ad Diabolum sub hac voce indicandum ingrediuntur. Vel derivando ex עז אשר אזלה *capra quæ ivit*, h. e. creatura quæ principium suum non tenuit, uti habet Cel. *Witsius* l. c. *Wayenius* vero *hircus, quem dimittit, quem abigit sc. Jehova, aut Sacerdos jussu Dei. Differt. de hirco Azazel* C. V. Vel ex עז & אזל *fortis abiens, cito recedens, fugiens.* Hæc in Diabolum maxime quadrant, qui à *fortitudine* inter Gentes & etiam in Scriptura Luc. XI. 21. nomen habet. Recessit dein à Deo, in cujus conspectu cum Angelis bonis non diu mansit. Hæc aliaque docte pertractata reperies apud *Spencerum Lib. III. Diss. VIII. C. I.* Cohærentia idem vult, quam verbis modo nominati Doctissimi Angli, qui præ aliis nexum rationibus ostendisse videtur, proferam. 1. Sors una ליהוה *pro Domino* & sors altera לעזאזל *pro Azazele* supra duos hircos lege jubente poni debuere. Cum itaque Jehova sit Persona, cui hircorum unus sortito cedere debuerit, oppositionis ratio postulat, ut *Azazel* aliquis esset, cui hircorum alter sorte tribuendus erat. Hunc autem Angelum bonum aut hominem aliquem esse potuisse, ne suspicari fas est. 2. Jehova & Azazel tanquam partes extremæ & oppositione maxima ab invicem separatæ statuuntur. Cum itaque distantia & oppositio maxima inter Deum & Dæmonem semper intercesserit, consentaneum est ut *Azazel* Dæmonem (non montem aut hircum) notare censeatur. 3. Lege præceptum est, ut è duobus hircis, quis Jehovæ, quis Azazeli destinandus esset, forte decerneretur. Antiquitus autem sortitio fieri solebat tantum, cum res personarum ageretur. Haman, Persarum saluti consulens, dies proposito suo propitios aut adversos sortibus certo modo jactis exploravit Esth. III. 7. Deus se moribus humanis accomodans duas

sortes

ſortes eſſe præcipit, unam populi Dei & alteram cunctarum gentium. Eſth. addit. C. X. 10. 4. Expiationis Lege cautum eſt inſuper, ut hircus, in quem cecidit ſors pro Azazele, dimittatur ad Azazelem in deſerto. Horum autem verborum ſenſus implicatus & incommodus erit, ſi Azazelem de hirco emiſſo, ſed facilis & expeditus, ſi de Dæmone vocem eam intelligamus. Tunc enim hunc ſenſum apertum & cohærentem dabunt. Hircus ille, cui ſorte obtigit, ut Dæmoni tradatur, mittatur ad Azazelem vel Dæmonem in deſerto, ubi præcipue verſari ſolet. Et ſubſequente Paragrapho. Si vocem Azazel ſenſu jam dicto capiamus, Lamed, *Jehovæ* & *Azazeli* præfixum ſæpe caſum eundem, nempe dativum, ſemper denotat, nec opus ſit ei ſignificationes aut uſus diverſos eodem in commate nonnunquam attribuere. Hucusque Vir Doctus. Accedit, quod ex Judæis atque Chriſtianis omni tempore plures extiterint, qui *Azazelem* per Diabolum expoſuerunt. Teſtimonia ſi deſideras, adi *Bochartum Hieroz Lib. II.* C. LVI. *Friſchmuthum* Diſſert. II. *de Azazele* C. I. 1-6. *Marſcham Can. Chron.* p. 207. *Edit. Franeq. Spencerum* Lib. III. Diſſert. VIII. C. I. *van der Wayen Diſſert. de Azazele* §. XC. -- CIII. aliosque.

§. 137. Fateor quidem hanc priori longe anteferendam eſſe, quæ tot obſtaculis minime laborat. Nihilominus quædam, quominus illi accedam, obſtare video. א. Quamvis Etymon juxta regulas grammaticas ex עז & אזל fieri poſſit, notandum tamen eſt Diabolum, cujus in Scriptura V. T. haud ſemel mentio fit, ſub nominibus שעירים שׂטן נחש שרים, *Hircorum*, *Satan*, *Serpentum*, *Dæmonum vaſtantium*, veluti Job. I. 6. 8. Jes. XIII. 21. Gen. III. 24. Deut. XXXII. 17. venire, ſed *Azazelis* nunquam. Et quum, uti nemo negabit, ſignificatus ejus aliquantulum ſit obſcurus & incertus, ex hoc loco infirmum petitur argumentum, Azazelem Diabolum eſſe, niſi aliæ accedant rationes. ב. Sors לעזאזל diſtincta eſſe debet à ſorte ליהוה. Neutiquam tamen neceſſe eſt, ut עזאזל perſona ſit, multo minus Perſona oppoſitione maxima à Deo ſeparata. Sortes nonniſi indicare debebant diverſa fata, hunc aut illum hircum manſura: Jam uterque Deo à cœtu datus erat; Ad varium itaque exitum deſignandum ſortibus duæ illæ voces ליהוה & לעזאזל inſcribebantur, ut ille, cujus Laminæ inſcriptum ליהוה,

in templo coram Domino immolaretur; Alter vero liber mitteretur לעזאזל *Azazeli* aut *ad Azazelem*, explicante ita Scriptura. ג· Quæ numero 3. & 4. continentur, nihil valent adversus illos, qui nomen loci in Azazele indicatum statuunt. Explicatu enim & intellectu facile est: *Hircus, cui sors obtigit pro Azazele, mittatur ad Azazelem in desertum.* ד· Ita quoque comparatum est cum *Lamed*, de quo in fine *Spencerus* agit. Unus idemque significatus illi adscribi potest, si de loco exponatur. At neminem latet, prout ejusmodi particulis, speciatim τῷ ל, si major claritas lectori inde exsurgit, varii significatus, etiam in uno eodemque commate, adscribantur. Ipse *Spencerus* exemplo suo nobis præit, quando comma 10. *in Præf. Diss. VIII.* ita transfert: *Hircus autem ille, cui obvenerit sors* לעזאזל *Azazeli, sistitor vivus coram Jehova, ut per eum fiat expiatio, & mittatur* לעזאזל *ad Azazelem in desertum.* ה· Utraque gens Judaica & Christiana hujus sententiæ Patronos quidem protulit, sed (a) auctoritas hominum, quicunque illi sint, sine ratione haud sufficit. (b) Insuper sententia, prout à veteribus Judæis profertur, rationi & scripturæ adversatur, nullum certum fundamentum habet. Qua ratione probabunt quatuor dæmonum antesignanos סמאל עזאזל עזאל, מחזאל, *Samael, Azazel, Azael, Machazael*, nominari? Locus, quem *Raymund. in pug. fid.* pag. 937. *edit. Lips.* ex R. *Mosche Haddarschon* ad Gen. VI. 2. citat, anilibus ineptisque fabulis totus refertus est, uti sola lectio satis sufficienter quemlibet docebit. Nec huc pertinet, quia de Azaele, non Azazele agit, & postea confuse admodum Azazeli ea, quæ Azaelis sunt, applicat. עזאל *Azael* (quem cum Schemchusai uxores duxisse & filios genuisse Gen. VI. nugantur) *non reversus est per pœnitentiam & ipse propositus est super omnes species ornamentorum muliebrium, quæ incitant hominem ad negotium transgressionis, & ipse adhuc est in peccato suo & ideo obtulerunt Israel oblationem & dederunt sortem, unam Domino, alteram Azaeli* (ita habet versio *Raymundi*, sed in Textu Rabbinico legit meum exemplar לעזאזל. *Frischmuthus* L. cit. legit לעאזל, quæ lectio errori Typographico adscribenda videtur) *ut ferret peccata Israelis. Et hoc est, quod scriptum est* Levit. XVI. 8. &c. Aliter in *Pirke Eliefer*, ubi *Azazel* cum *Sammaele* confunditur, ubi quoque alia à priori ratio oblationis Sammaeli factæ traditur. Verba dabo, uti exstant apud

Bechai

Bechai in Leg. f. CXLIX. c. 1. היו נותנין לו לסמאל שוחד ביום הכפורים שלא יקריב קרבנם. שנ׳ גורל אחד לי״י וגורל אחד לעזאזל גורלו של הק׳ בה לקרבן עולה, וגורלו של ישראל שעיר חטאת וכל עונותיהם של ישראל עליו שנ׳ ונשא השעיר עליו את כל עונותם ראה סמאל שלא נמצא בהן חטא ב״יה (*Israelitæ*) *Sammaeli munus die expiationum dabant*, *ne offerret* (rectius, *ne irritam redderet*) *oblationem eorum* : *Uti scribitur* : Una sors Deo, altera Azazeli. *Sors sancti & Benedicti Dei est oblatio Holocausti & sors Israelis* (melius *sors Azazelis*) *est hircus sacrificii piacularis*, *super quem omnes Israelis perversitates sunt*, *quemadmodum dicitur* & portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum. *Et vidit Sammael nullum in Israele peccatum inveniri.* Vitioso admodum exemplari Bechai usum fuisse arbitror, quum verba שלא יקריב קרבנם *ne offerret oblationem eorum* sensum inconvenientem fundant, uti ipse fatetur. Ait quidem aliud exemplar pro שלא legere שלו, sed nec hæc lectio quidquam valet. Melior est Bocharti שלא יבטל קרבנם *ne irritam reddat eorum oblationem.* *Hieroz* L. II. C. 56. quam *Guil. Henr. Vorstius in Translat. Capit. R. Eliezeris* quoque secutus est. Vitiosa etiam altera וגורלו של ישראל pro וגורלו של עזאזל, aut גורל עזאזל *sors Azazelis.* C. Ex impuris Judæorum Lacunis primos Christianos ea, quæ de Diabolo Azazele habent hausisse probabile est. Quod Valentiniani Azazelem Dæmonem habuerint, quem in finem Poetæ Christiani Carmen in Marcum Valentini Discipulum allegant

῞Α σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεὶ
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.

Hæc tu illa Satanæ fretus Auxilio Patris
Azazelique mira designas ope.

minus mirum, quum constet Valentinianam Hæresin plurimum ex depravata Hebræorum Philosophia ortam fuisse. Vide quæso eruditissimam *Joh. Francisci Buddæi Dissert. de Hæresi Valentiniana.* D. Ex Judæis quoque ii, qui emunctiores nares habent, dissentiunt. *Bechai Comment. Leg.* f. CXLVIII. 4. f. כונת התורה איננה להקריב לאעזאזל (Lege לעזאזל) וחלילה זה שאין כל העובד שיתכוין בתפלתו

 עבדתו

עבודתו כי אם לה׳ בה לבדו שכתוב זובח לאלהים יחרם בלתי לי״י לבדו׃ *Minime Legis intentio est, ut Azazeli oblatio fiat. Absit id; Cultus, quem quis in precibus suis intendit, soli Deo Benedicto faciendus est, sicuti exstat* Exod. XXII. 19. *Sacrificans Diis devovebitur, nisi Jehovæ soli.* Et *Abarbanel* quæstionem, quæ numero VII. est *Comment. in Leg.* f. CCL. I. ita movet: איך היו ישראל מקריבים השעיר ההוא לעזאזל ובין שיהיה עזאזל כנוי למערכות השמים כדברי הרא״בע או שיהיה כנוי למלאכים הרעים כדברי הרמ׳בן אין ספק שלא היה ראוי להקריב לפניו קרבן משום זובח לאלוהים יחרם בלתי לי״י לבדו ואם היה זה שוחד לסמאל שלא יקטרג הנה ברצות י״י דרכי איש מה יקטרג המקטרג האם שמע השם לקול מנחשים מקטרגים ובוטח בי״י ישוגב׃ Ex interpretatione Frischmuthi: *Ecquo modo Israel hircum illum obtulit Azazeli? Sive Azazel cognomentum sit signorum cœlestium, ut Aben Esra vult, sive sit nomen Angelorum malorum, ut Ramban docet, nullum dubium est illicitum esse illi sacrificium offerre, eo quod immolans exscindatur prætterquam soli Deo,* (Exod. XXII. 20. al. 19.) *si vero munus est Sammaeli mitti solitum, ne sc. accuset, ecce, si viæ Viri Domino placent* (Prov. XVI. 7.) *ecquomodo accusator accusabit? Num vero Deus voci divinatorum & accusatorum obsequetur? Atqui Domino confidens elevabitur.* (Prov. XXIX. 5.)

§. 138. Hæc quidem sufficere possent ad argumenta partis adversæ solvenda: Addam tamen adhuc alia: *Primo* Deus magna cum sollicitudine id egit, ut populum suum à cultu Idololatrico, qui in honorem Diaboli eo tempore passim instituebatur Eph. II. 2. abstraheret, atque ille sibi unice serviret. Hunc in finem dabantur Leges de omni alio Numine præter verum Israelis Deum relinquendo, nullam fiduciam in Idola reponendo. Sacrificia ליהוה *Jehovæ* immolanda præcipiebantur. Jam an convenit cum hoc sapientissimo Dei instituto hircum Diabolo addicere? Annon timendum erat, populum, qui haud ita pridem Dæmonibus serviverat, sacrificaverat, hac ratione facillime ad idem crimen relapsurum? Quomodo is, qui statim subsequente Capite XVII. scil. v. 7. dixit: *Non sacrificabunt* עוד *ultra sacrificia sua* לשעירים *Dæmonibus, quos sectantur isti scortando, statutum perpetuum hoc esto eis per generationes eorum*, Legem tulit, cujus vi Israel quotannis & quidem ipsa solenni

ni expiationis die hircum ad Diabolum adducere tenebatur? Quacunque ex causa factum dicas, veneratio quædam erga Diabolum animos Israelitarum subire poterat. *Secundo*: Hircus, quem ad Diabolum adductum volunt, una cum altero à cœtu Deo dabatur לחטאת *pro peccato.* In conspectum Dei ducebatur; Super illos sibi simillimos sortes projiciebantur; Deus respondit; Responso dato in conspectu Domini manere debebat; Per immolationem socii insuper expiandus erat. His rite expensis non video, qua ratione hircum ad Diabolum ablegatum dicere aut concipere queam. An Deo & Diabolo communio bonorum, quæ tantæ similitudinis, ut forte nonnisi discerni possint? An hircus Deo datus ad expiandum peccata, postea forte Diabolo adsignatur? Oblationis sub V. Testamento factæ scopus alius non erat, quam ut offerentes gratiam apud Deum invenirent, ut veniam peccatorum consequerentur. Nec inter tot sacrificia simile exemplum datur, quo Bestia ab Israelita Deo consecrata, postea ad Diabolum missa fuerit. Præprimis quæ expianda erat, uti constans usus לכפר עליו v. 10. exigit. Quomodo hircus expiandus sors Diaboli esse potest? *Tertio*: Festivitas hæc instituebatur ad expiandum omnia Israelis peccata, ad sordes populi Judaici eluendum, vide v. 16. 30. præsertim v. 33. 34. *Expiabit sanctuarium sacrum, tentorium quoque Conventûs & Altare expiabit: Etiam Sacerdotes ipsos* ועל כל העם *& totum populum hujus cœtus expiabit: Eritque hoc vobis statutum perpetuum ad expiandum Filios Israelis ab omnibus peccatis eorum.* Si vero illa die omnia gentis Israeliticæ delicta expiata erant, nihil, quod ad Satanam mittatur, restare video. Enodatio sensus mystici suo loco debito danda sententiam nostram, ut spero, clariorem reddet.

§. 139. Succedit tertia, sive illorum, qui Azazelem pro nomine loci, speciatim montis, habent. Vetustissimum, quod sciam, Testimonium est in libro, qui vocatur תורת כהנים ubi לעזאזל explicatur למקום הקשה שבהרים יכול בישוב ת"ל המדברה ומנין שיהיה צוק ת"ל אל ארץ גזרה *Locus durus in montibus. Forsan de terra habitabili intelligendum.* (*Non.*) *Textus enim dicit* in desertum. *Unde vero constat Locum requiri præruptum? Inde quod Textus dicat* ad terram abscissam. Ex cit. Bechai f. CXLIX. i. m. qui, quando

sen-

sensum literalem dat, similiter scribit: באור מלת עזאזל קשה׃ מלשון עזוז כי היה הר גבוה צוק קשה כענין שכתוב ארץ גזרה׃ *Expositio vocis Azazel* est durus *ex notione nominis* עזוז *firmus. Mons enim erat altus, præruptus, durus, uti exstat de terra abscissa.* Eadem habet *Raschius*: Vide illum in *Bibliis Buxtorfianis* t. i. p. CXXXI. c. lin. 7. 8. 9. Aben Esra meminit excellentis Magistri, qui præterquam, quod montis duri nomen putet, observat nomen *Dei* in fine adjici, uti in הררי אל & יקותיאל, sed ideo ab alio Magistro nomine Levi, vapulat. Dabo ipsa verba, quorum sensum celeberrimus *Frischmuthus*, multo magis Theologus quidam, qui sua de Azazele plurimum ex eo hausit, plene non assecutus est. אמר הגאון כו (Lege כי) עזאזל שם׃ הר ונקרא כן בעבור שהוא תקיף כי טעם זכר השם כטעם הררי אל יקותיאל והגאון הלוי תפשו כי אלף במלת עזאזל היא בין זין לזין ויש או׳ שהוא הר סמוך אל הר סיני׃ *Excellens Magister dixit Azazel esse nomen Montis vocarique ita ob duritiem suam. Eo modo nominatur nomen Dei, quo in* הררי אל & יקותיאל. *At excellens Levita prehendit eum (refutavit) eo quod* א *sit inter duo Zain. Alius est, qui dicit, montem, qui monti Sinai propinquus est, ita appellari.* Addo denique ex *Miclal Jophi* f. XXVII. 4. inf. m. Azazel מלה מורכבת מן עז אזל ונקרא ההר כן׃ לפי שהעז היה הולך שם ותרגום הולך אזל כן פירש בשרש עז ובשרש עזז כתב ורבי יונה פירשו מענין עוז כלומר שהיה קשה ועז *Componitur ex* עז & אזל, *ita autem mons vocatur, quia eo caper abire solitus. Targum loco* הלך *legit* אזל, *quemadmodum (Kimchius) sub radice* עז *habet. At sub radice* עזז *scribit, quod R. Jona exponat ex significatu* עוז *Roboris q. d. fuit (Mons) durus & firmus.*

§. 140. Et hæc quoque suas habet difficultates, non tamen tot, quot duæ antecedentes. Plerumque quidem nomen הר *montis* simul exprimitur, non tamen semper, quod ipse incomparabilis *Bochartus* ratione *Libanon*, *Horeb*, *Sinai* fatetur. Licet regio multoties peragrata sit, nihilominus facile ejus nomen intercidere potuit, vel quia cum tempore aliud nomen mons nactus est, vel quod avius fuerit, uti circumstantiæ volunt, nec adeo magnus, ut in illo describendo viatores minorem ἀκρίβειαν adhibuerint. Accidit

cidit hoc in aliis non minus peragratis regionibus, ipſa terra Canaan, unde deſcriptio ejus chorographica tot conjecturis, diſſenſionibus abundat. Hæc dici poſſe puto ad impedimenta, quæ tertiam ſententiam haud veroſimilem facere nonnulli ajunt, ſi non penitus tollenda, ſaltem minuenda. Lubens agnoſco fortiora, ad demonſtrandum *Azazel* nomen montis eſſe, requiri argumenta.

§. 141. Locum tamen ſub *Azazel* intelligi mihi maxime probabile videtur. α. Nequit enim exponi de hirco emiſſario: Nequit etiam exponi de perſona quadam ſive Angelus bonus aut malus, ſive homo ſit. Nulla enim idonea ratio, ob quam hircus Deo à cœtu ad expiandum peccata datus ſorte Angelo &c. aſſignandus fuerit. Nihil aliud reſtare video, de quo commode explicem quam locum. β. Phraſis *mittere* לעזאזל *ad Azazelem*, quæ exſtat v. 10. 26. hanc expoſitionem admittit, nam ל ita conſtructum locum indicat Jud. VI. 8. שלח איש לאהליו *dimiſit quemque in tentoria ſua* conf. 1. Sam. XIII. 12. γ. Nulla difficultas circa ſortem לעזאזל ſcil. uterque hircus Dei erat: At ex voluntate ejus, cujus illi erant, unus nonniſi in templo coram Domino immolabatur: Alter liber emittebatur ad Azazelem. Ad diverſa itaque fata deſignanda ſortibus inſcribebantur voces ליהוה & לעזאזל. Neque enim agebatur de diverſis Dominis, quibus hirci illi ceſſuri ſint, ſed, uti dictum, diverſis fatis hircorum Deo Iſraelis datorum. δ. Favet quoque, quod Azazel dicitur in deſerto. Deſertum locus generalis, ſed Azazel ſpecialis. Similia habes Jos. XX. 8. בצר במדבר *Betzer in deſerto*. 1. Reg. IX. 18. תמר במדבר conf. 1. Sam. XIII. 18. 2. Sam. XVII. 16. ε. Accedit, quod v. 21. loco Azazel ponatur ארץ גזרה *terra exciſa* vel *divulſa*, uti ex veteribus plures haud abs re judicarunt. Ultimo notandum, hiſtoriam hirci emiſſarii ad צוק deducti idem velle, de quo autem ſuo loco dicemus.

§. 142. Allata ſufficienter docent non ſine omni veri ſpecie, imo in re difficili ſatis probabiliter aſſeri *Azazel* loci nomen eſſe. Nec impedit, quod nequeam locum, ubi ſitus erat, ex ſcriptura demonſtrare aut vocabuli originem clare pandere. Quod poſterius attinet, velim, ut quis inſpiciat onomaſtica ſacra vel nomina locorum explicata, tum is reperiet, quibus leviſſimis conjecturis, litera-

literarum transpositionibus, elisionibus, additionibus præstantissimi geographi utantur atque certam vocis originem ignorare testentur. Quid igitur mirum, si etiam *Azazelis* origo incerta dubiaque videtur? Allatæ originationes ita absurdæ non sunt, ut nullam mereantur fidem. Locus asper, durus non incommode עז aut עזז vocatur & intentionis gratia vel aliam ob causam additur nomen Dei אל ut in הררי אל Psal. XXXVI. 7. יקתאל Jos. XV. 38. אריאל 2. Sam. XXIII. 20. Ezech. XLIII. 15. 16. Postea autem א inter duo ז ponebatur, quod non tam ad etymon quam pronunciationem respexerint: Si vero עזאזל pronuntias, vix discrimen, num א posterius ז antecedat aut sequatur, deprehendes. Dein א medium situm mutare, ubi minor mutationis ratio, exemplis probat *Bochartus Hieroz.* P. I. p. 716. Quod vero loca dura, aspera, fortia à עז aut עזז dicantur, exempla reperis in scriptura Psal. XXX. 8. הררי מעוז & עוז *locus munitus* וצור מעזך uti Jes. XVII. 10. *& Petræ munitionis non recordatus es* & v. 9. ערי מעזו *urbes munimenti*, sive *munitæ ejus.* Urbs Philistæorum עזה 1. Sam. VI. 7. Γάζα Act. VIII. 27. nam, ut *Mela* inquit, *in Palæstina est ingens & munita admodum Gaza.* Nihil nunc dicam de eodem *Bocharto* & *Clerico*, qui ex lingua Arabica vocabuli significatum restituere conantur: Ille לעזאזל idem esse ait ac πρὸς ἀναχωρήσεις, id est, in locum deserti remotum, separatum. Huic *locus aridus ac petrosus*, *præceps est.*

§. 143. Facile alias largior in etymologia vocum danda illos optime facere, qui, si commode fieri potest, easdem literas, eundem quoque literarum situm tenent, nec ad linguam peregrinam in subsidium vocandam statim se conferunt. Tutius ex illa ipsa lingua, cujus vocabulum est, natales quæruntur. Simplicissimum autem עזאזל componi ex עז & אזל, quorum illud *Capram*, hoc vero *ire* notat. Locus adeoque appellatus à Capris, quæ frequentes in illo versabantur. Neminem latere potest veteres rei pecuariæ amantissimos loca, quæ huic aut illi pecoris speciei pascendæ commodiora erant, vel ubi magno numero reperiebantur, ab eadem specie denominasse. Pauca exempla ad dictis fidem conciliandam dabo. Jos. XIX. 3. חצר שועל h. e. *Atrium vulpium* v. 5. חצר סוסה *atrium equorum.* v. 6. בית לבאות *Domus leænarum*, quæ loca in tribu Simeon sita erant. Βηθεσδά, ut conjecto, qs. בית שיתא

Domus

Domus ovium, quo olim aquatum &c. ducebantur. Probabilior videtur conjectura, quia prope sita erat *porta probatica* & *forum probaticum*, vide Joh. V. 2. טלאים *agni* 1. Sam. XV. 4. Flumen *Bambotum* apud *Plin.* L. V. c. 1. Crocodilis & Hippopotamis refertum ex בהמות derivatur. *Peristereon* Punici *Zimicum*, alii *Azirgosol* vocant, uti ex Apulejo incomparabilis Geographus notat p. 845. *Peristercon* est verbenaca *columbarium* ἐκ τῦ τὰς περιςερὰς ἡδέως διατρίβειν ἐν ἀυτῇ, *quia columbæ libenter in ea versantur.* Hunc locum Pœni *Zimicum* vel potius *Zibicum* à שובך vel שובכא *Columbarium* & *Azirgosol*, viro laudato explicante חציר גוזל *Herbam Pulli Columbarum* appellant. Ego mallem חצר גוזל *Atrium Pullorum Columbinorum*, tum quod convenientius dictum putem, tum ob Phrases similes Jos. XIX. 3. 5. Alia exempla transeo, nam adducta satis probant loca etiam ab animalibus denominari. Quid impedit, quo minus *Azazel* Locum à *Capris* ibi degentibus nominatum dicamus? Simplicissima vocabuli origo & significatio est. Convenit dein cum Lege hirci emissarii, qui forte liber declarabatur, mittendus ideo ad *Azazel* Locum Capris (cum quibus & hirci eundem Gregem constituunt sive una pascuntur) alendis commodum consuetumque. Hæc enim ejus libertas erat, ut Gregi suo reddatur & cum eo, ut antea, pascatur. Consimiliter ac de altera Avicula leprosi mundandi exstat, Lev. XIV. 7. *& dimittet Aviculam vivam in agrum* ut speciei Avium, è qua constabat, reddatur. Convenit insuper cum deserto, in quo Azazel dicitur: Loca enim montana, sylvosa, qualia in deserto, genus caprinum amat. Cant. V. 1. *Capilli tui ut* (*Pili*) *Gregis Caprarum, quæ ascendunt à monte Galaad.* Hinc Galaad montosa & sylvosa Capris pascendis aptissima habetur. Sic Tr. תמיד C. III. 8. Caprarum בהר מקוור *in monte Micvor* meminit. Alia, quæ de Azazele dici possent, ad ἐξήγησιν Commatis XXI. XXII. reservabo. A.

Z §. 144.

Nota. A. Septem circiter lustra elapsa sunt, quando cogitata mea, quæ in antecedentibus exstant de Azazel, conscripseram. Post longius tempus & curas posteriores eadem fixa mens est. Noto autem hoc responsurus *Ven. Marpergero*, qui im Sühn- und Sünd-Opffer hæc reliquit. p. 876. Der gelehrte Mann (Hot-

§. 144. Antequam pergo ad v. 11. exponendum, præscripta ordinis ratio vult, ut mentionem παραδόσεως Judaicæ, quæ huc pertinet, injiciam. Exstat illa Tr. Joma C. IV. 11. קשר לשון של זהורית בראש שעיר המשתלח והעמידו כנגד בית שלוחו ולנשחט כנגד בית שחיטתו Quam Sheringhamius ita vertit: *Alligabat linguam coccineam ad caput hirci emissarii & sistebat eum ad Locum, unde erat emittendus, & alligabat linguam alteram ad cervicem hirci mactandi.* Sequitur

---

(Hottinger) wird wohl selbst bey weiterem Nachdenken gefunden haben, daß diß nicht mit dem geworffenen Looß übereinkomme, wie er damahls gemeynet. Ja wann auf dem einen Looß gestanden wäre; Die Stiffshütte! oder dem Tempel! so hätte nach seiner Einsicht *La-Azazel* ohnstreitig den Ort in der Wüsten angedeutet und bezeichnet. Aber wie ist der Gegensatz zwischen dem *Jehova* und einem solchen Ort zu machen. Die Schrift sagt auch nicht, daß *Azazel* in *deserto* seye, und noch viel weniger, daß *v.* 22. die ganze andere Redensart אל ארץ גזרה, eben das seye, als לעזאזל. Ich bedaure also den berühmten Herrn *Hottinger*, da er gar nahe bey der Wahrheit gewesen (wie seine folgende Worte zeigen werden) daß er nicht gar auf die (fast in Händen gehabte) rechte Deutung von unserm Looß gegriffen. Sein Schluß ist: Quare credibile est, Locum in deserto, in quo capræ, hirci frequentes pascebantur à עז *capra* & אזל *ire.* Hircus enim ille ex Mandato Numinis vivus dimittendus erat, NB. Convenientissimum itaque illum Gregi suo additum fuisse. Simillima ratio, quæ avis pro leproso. Er hätte nur für *Locum in deserto* setzen dörffen *Gregem in deserto*, so wäre ihm der wahre Verstand des lebendigen Loosses klar gewesen. Συζήτησις nostra haud magni momenti, non quidem de *Lana Caprina*, sed quæ proxime accedit. Si erroris convictus fuissem, facillime manus victas darem, sed pace Viri Venerandi & salva veneratione, quam à multo tempore habui, ac in posterum habebo, respondeo 1.) Difficultas, quæ meæ explicationi inest, inest quoque Viri gravissimi,

tur adeo opinionem *R. Josephi in Talmud Babyl.* Tr. יומא f. XLI. 2. *inf. med.* qui utrumque hircum lingua ligatum putat, quem R. *Obad. de Bart.* ita explicat ad verbum לכשוחט Textus citati היה קושר לשון של זוהרית כנגד בית שחיטתו כלומר בצוארו והשת' לא אתי לאת חלופי בשעי משתלח שוה בראשו זה בצוארו ותרוייהו כשאר שעירים לא מתחלפי שאלו לשון של זהורית קשורה בהם ושעירים אחרים אין לשון של זהוריט קשרה בהם *Linguam coccineam collo* (hirci mactandi) *alligabat - - - Hac vero ratione duo illi hirci permisceri*

 neque-

---

mi, hinc jure dicere queo: **Wie ist der Gegensatz zwischen dem** *Jehova* **und der Heerde?** Spencerianus æque dicere posset, cum Jehova Persona sit, oppositionis ratio postulat, ut Azazel aliquis esset, cui hircorum alter sorte tribuendus erat. Et omnino etiamnum consentirem, si commode sub Azazel Persona intelligi posset, sed nulla occurrit. Diabolum ob allatas rationes §. 137. 138. quam maxime excludo. 2.) Vir eruditissimus à me non dissentit. Hoc ipsum affirmat, quod ego antea. Per Azazel intelligit Gregem, clare scripsit: **Soll ich kurz und deutlich anzeigen, was die Ueberschrifft, dem** *Azazel*, **angedeutet, so wird damit die Heerde bezielt, welcher das lebendig bleibende Sünd-Opffer sollte wieder gegeben werden.** p. 849. Ego vero explico per *Locum in deserto, in quo capræ, hirci frequentes pascebantur.* Addidi: *Convenientissimum itaque Gregi suo additum fuisse; si dieo intelligi Locum, in quo capræ, hirci frequentes] pascebantur, Gregi additum fuisse.* Omnino includo *Gregem*, qui in loco. 3.) Verba ad mittendum eum ad Azazel המדברה, nisi valde fallor clare dicunt Azazel esse in *deserto.* Ita quoque accipit Oncelos לעואזל למדברה *ad Azazel in desertum.* Cum quo convenit Syrus. Confirmatur v. 21. *mittat* המדברה *in desertum.* Hircus mittendus in desertum, quod nemo negabit. Mittendus quoque ad *Azazel.* Ergo Azazel in deserto. Nonsunt distincta Loca *Azazel & desertum*, sunt unus idemque locus, unde v. 21. & 22. *Azazel* omittitur. Gens *Caprina* amat Loca deserta, prærupta, in quibus pasci solet. Alia forsan infra, ubi quoque de ארץ גזרה optime differetur.

§. 144. Antequam pergo ad v. 11. exponendum, præscripta ordinis ratio vult, ut mentionem παραδόσεως Judaicæ, quæ huc pertinet, injiciam. Exstat illa Tr. Joma C. IV. 11. קשר לשון של זהורית בראש שעיר המשתלח והעמידו כנגד בית שלוחו ולנשחט כנגד בית שחיטתו Quam Sheringhamius ita vertit: *Alligabat linguam coccineam ad caput hirci emissarii & sistebat eum ad Locum, unde erat emittendus, & alligabat linguam alteram ad cervicem hirci mactandi.* Sequitur

---

(Hottinger) wird wohl selbst bey weiterem Nachdenken gefunden haben, daß diß nicht mit dem geworffenen Looß übereinkomme, wie er damahls gemeinet. Ja wann auf dem einen Looß gestanden wäre; Der Stifftshütte! oder dem Tempel! so hätte nach seiner Einsicht *La-Azazel* ohnstreitig den Ort in der Wüsten angedeutet und bezeichnet. Aber wie ist der Gegensatz zwischen dem *Jehova* und einem solchen Ort zu machen. Die Schrift sagt auch nicht, daß *Azazél* in *deserto* seye, und noch viel weniger, daß *v.* 22. die ganze andere Redensart אל ארץ גזרה, eben das seye, als לעזאזל. Ich bedaure also den berühmten Herrn *Hottinger*, da er gar nahe bey der Wahrheit gewesen (wie seine folgende Worte zeigen werden) daß er nicht gar auf die (fast in Händen gehabte) rechte Deutung von unserm Looß gegriffen. Sein Schluß ist: Quare credibile est, Locum in deserto, in quo capræ, hirci frequentes pascebantur à עז *capra* & אזל *ire.* Hircus enim ille ex Mandato Numinis vivus dimittendus erat, NB. Convenientissimum itaque illum Gregi suo additum fuisse. Simillima ratio, quæ avis pro leproso. Er hätte nur für *Locum in deserto* setzen dörffen *Gregem in deserto*, so wäre ihm der wahre Verstand des lebendigen Looßes klar gewesen. Συζήτησις nostra haud magni momenti, non quidem de *Lana Caprina*, sed quæ proxime accedit. Si erroris convictus fuissem, facillime manus victas darem, sed pace Viri Venerandi & salva veneratione, quam à multo tempore habui, ac in posterum habebo, respondeo 1.) Difficultas, quæ meæ explicationi inest, inest quoque Viri gravissimi,

tur adeo opinionem *R. Josephi in Talmud Babyl.* Tr. יומא f. XLI. 2. *inf. med.* qui utrumque hircum lingua ligatum putat, quem R. *Obad. de Bart.* ita explicat ad verbum לכשחט Textus citati היה קושר לשון של זוהרית כנגד בית שחיטתו כלומר בצוארו והשת׳ לא אתי לאת חלופי בשעי משתלח שזה בראשו זה בצוארו ותרויהו כשאר שעירים לא מתחלפי שאלו לשון של זהורית קשורה בהם ושעירים אחרים אין לשון של זהוריט קשורה בהם *Linguam coccineam collo* (hirci mactandi) *alligabat - - - Hac vero ratione duo illi hirci permisceri*

---

mi, hinc jure dicere queo: **Wie ist der Gegensatz zwischen dem** *Jehova* **und der Heerde?** Spencerianus æque dicere posset, cum Jehova Persona sit, oppositionis ratio postulat, ut Azazel aliquis esset, cui hircorum alter sorte tribuendus erat. Et omnino etiamnum consentirem, si commode sub Azazel Persona intelligi posset, sed nulla occurrit. Diabolum ob allatas rationes §. 137. 138. quam maxime excludo. 2.) Vir eruditissimus à me non dissentit. Hoc ipsum affirmat, quod ego antea. Per Azazel intelligit Gregem, clare scripsit: **Soll ich kurz und deutlich anzeigen, was die Ueberschrifft, dem** *Azazel*, **angedeutet, so wird damit die Heerde bezielt, welcher das lebendig bleibende Sünd-Opffer sollte wieder gegeben werden.** p. 849. Ego vero explico per *Locum in deserto, in quo capræ, hirci frequentes pascebantur.* Addidi: *Convenientissimum itaque Gregi suo additum fuisse*; *si dico intelligi Locum, in quo capræ, hirci frequentes*] *pascebantur, Gregi additum fuisse.* Omnino includo *Gregem*, qui in loco. 3.) Verba ad mittendum eum ad Azazel המדברה, nisi valde fallor clare dicunt Azazel esse in *deserto.* Ita quoque accipit Oncelos לעזאזל למדברה *ad Azazel in desertum.* Cum quo convenit Syrus. Confirmatur v. 21. *mittat* המדברה *in desertum.* Hircus mittendus in desertum, quod nemo negabit. Mittendus quoque ad *Azazel.* Ergo Azazel in deserto. Nonsunt distincta Loca *Azazel & desertum*, sunt unus idemque locus, unde v. 21. & 22. *Azazel* omittitur. Gens *Caprina* amat Loca deserta, prærupta, in quibus pasci solet. Alia forsan infra, ubi quoque de ארץ גזרה optime differetur.

nequeunt : Nam emissarius in capite, sed mactandus in collo linguam gestabat : Neque etiam cum aliis permisceri poterant, qui nullam linguam coccineam habent.

§. 145. Lux affundenda est huic linguæ coccineæ. Vocabulum לשון, quod Mischnici adhibent, proprie notat *linguam*, instrumentum loquendi naturale Exod. IV. 10. Uti vero se habet cum aliis corporis humani membris, quod transferantur ad alia, quæ consimilem formam aut usum habent, indicandum; Sic se habet cum לשון. Dicitur de *flamma ignis*, quæ linguæ instar apprehendit, absumit Jes. V. 24. & Jos. VII. 21. 24. memoratur לשון זהב *lingua aurea* h. e. ut Kinchius vult שבט זהב שדמה ללשון *virga aurea, quæ linguæ similis est.* Consimili ratione frustum panni ad linguæ formam accedens dicitur לשון *lingua* & quidem של זהורית pannus laneus *coccinei Coloris.* Oncelos legit loco תולעת שני *Coccinei Dibaphi* v. Lev. XIV. 6. Non satis accurate Bartenora verba Mischnæ transfert צמר צבוע אדום *lana rubro colore tincta.* Rubri species plures sunt. Consimiliter *Ligtfootus* T. I. p. 547. c. 1. & *Spencerus* nominantes *vittam purpuream*, & *Henricus Ottho lanam murice coccineoque colore tinctam.* Moses enim sollicite distinguit inter *Purpuram* & *Coccinum* Exod. XXVIII. 8. & alibi, ceu differentes materia & colore specifico.

§. 146. Quæritur, an ex vetustis ac probis monumentis Traditionum Ecclesiæ duplex linguæ coccinea, una pro emissario, altera pro immolando probari possit? Mischnæ verba originalia non postulant. Hæc sunt: Pontifex sistebat emissarium ad locum, unde erat emittendus ולנשחט כנגד בית שחיטתו *& mactandum è regione loci mactandi.* Nulla diserta fit mentio linguæ pro mactando. Sensus nostræ versionis satis commodus. Accedunt, quod etiam inter Judæos existant, qui hac de lingua nihil sciunt, veluti *R. Isaacus in Talm. Babyl.* Tr. יומא f. XLI. 2. שתי לשונות שמעתי אחת של פרה ואחת של שעיר המשתלח *de duabus linguis inaudivi, quarum una vaccæ rufæ, altera hirci emissarii est*, & ut Jochanan שלש לשונות שמעתי אחת של פרה ואחת של שעיר המשתלח ואחת של מצורע *Ego vero de tribus; Quarum una vaccæ rufæ, altera emissarii; Tertia vero*

ro

ro leprosi. Ita Tannaim, id est, Doctores Mischnici Tr. שקלים C. IV. 2. silent, ubi illam memorandi, si exstitisset, necessitas imposita, פרה ושעיר המשתלח ולשון של זהורית באין מתרומת הלשכה כבש פרה וכבש שעיר המשתלח ולשון שבין קרניו ואמת המים וחומת העיר ומגדלותיה וכל צרכי העיר באין משירי הלשכה Ex interpretatione Henrici Othonis: *Vacca rufa, & hircus emissarius & lingua coccinea ex hac pecunia conclavis comparantur. Gradus vaccæ rufæ vero & hirci emissarii, & lingua, quæ est inter cornua ejus, canales aquarum, ut & murus & turres urbis, omnia denique, quæ illa opus habet, ex residuis conclavis nummis.* Hæc, uti glossa habet de tænia vaccæ & emissarii, solum intelligenda. Novi quidem, quod Talmudici stent pro utraque lingua, quorum ratiocinium refert *Sheringhamius in Annot. ad Jomæ* C. IV. 2. his verbis translatum: *Quæsitum est ab ipsis; Utrum mactando ligatio refertur an statio* (hoc est: An Textus Mischnicus velit dicere hirco mactando linguam esse alligandam vel an sit collocandus (*veni, audi, quod tradit R. Joseph. Alligabat linguam coccineam ad caput hirci emissarii & sistebat eum ad locum, unde erat emittendus & mactando ad domum mactationis, ut nec inter se, nec cum aliis permiscerentur; si dicas in pace quod ligatio refertur, bene res se habet. Sed si dicas, quod statio refertur, quia sufficit, ut non permisceatur cum socio suo, quod illi lingua coccinea alligata erat, huic non item.* Sed quomodo non permisceatur cum aliis intelligi non potest. Si ligatio refertur intelligi potest. Quod vero robore carere existimo.

§. 147. Duo alia de lingua hirci emissarii Traditionarii referunt. *Primo*, pretium *in Talmude Babyl. Tr. Joma* f. XLII. 1. init של פרה משקל עשר' זוז ושל שעיר המשתלח משקל שני סלעים ושל מצורע משקל שקל *Linguæ vaccæ rufæ pondus decem susim (ex quibus quatuor siclum faciunt) habebat. At hirci emissarii pondus duorum selaim; Unius sicli tantum lingua leprosi.* Idem scribit *Maimonides in l. cit.* ut & *tr. de Minist. Diei Exp.* C. III. 4. סלע *Salah* autem respondet Hebræorum שקל *Siclo.* Targum enim substituit & pro *Siclo* agit סלעא vid. *Buxt. in Lex. Talm.* sub Rad. סלע. Sicli pretium constituit dimidium thalerum imperialem. Observo tamen difficultatem in recentioribus Rabbinorum scriptis, quippe *Maimon. ad*

ad Tr. Maaser Scheni סלע duos ait conficere ſiclos. *Secundo in Tr. Miſch. Joma* C. VI. 8. לשון של זהורית היה קשור על פתחו של היכל וכשהגיע שעיר למדבר היה הלשון מלבין שנ' אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו *Lingua coccinea alligata erat ad portas templi & cum hircus ad deſertum acceſſiſſet, albeſcebat, quemadmodum dictum eſt* Jes. I. 18. *Si fuerint peccata veſtra coloris coccinei inſtar, ut nix albeſcent.*

§. 148. Tres hac occaſione ventilandæ veniunt quæſtiones. Ex his prima eſt: An ipſe Deus in Lege quidquam de hirco emiſſario lingua coccinea notando ſtatuerit? Reſponſio facilis eſt. Nihil quidquam. Neque caput noſtrum, quod exponimus, meminit, neque etiam leges parallelæ.

§. 149. Altera: Quæ ergo ratio hujus linguæ? Reſpondetur ſatis commode à Bartenora ſupra §. 144. ad præcavendam commixtionem duorum hircorum ſorte ad varia fata diſtinctorum. Erant, quod jam notatum, ſtatura & colore ſibi æquales. Niſi nota diſcreti fuiſſent, potuiſſent permiſceri, maxime abſente Pontifice. Diſplicet hæc ratio *Spencero*, ut alii ingenio ſuo propriorem locum faceret, unde L. III. *Diſſert.* VIII. C. V. ſcribit: *At neque ratio illa quid ſani continet. Cum enim jactis ſortibus hircus unus è veſtigio mactaretur, alter ad Azazelem, factis faciendis, amandaretur, nulla nota vel ſymbolo opus erat, ut inter ſe vel à cœteris diſcernerentur. Si vero neceſſitas aliqua poſtulavit, ut hirci illi ſigno vel ſymbolo aliquo notarentur, nil opus erat, ut vitta eaque lanea, eaque purpurea, eaque hirci capiti alligata diſtinguerentur.* Utique ſani quid continet. Falſum quod hircorum unus pro Jehova è veſtigio ſortibus projectis mactandus fuerit. Intercefferat confeſſio peccatorum, mactatio juvenci, adolitio ſuffitus in ſanctiſſimo, ſparſio ſanguinis juvenci in loco hoc, ut & in ſancto, quibus peractis demum ſubſecuta erat hirci memorati mactatio, ſicuti ex dicendis conſtabit. vide Lev. XVI. 11-15. Interea temporis, abſente maxime Pontifice, commixtio fieri poterat, quæ vero omni ſtudio erat avertenda. Verum quidem, quod alia etiam nota talem uſum præſtare potuiſſet. At lingua coccinea Miſchnicis tradentibus recte ſelecta erat. Pro certo quidem affirmare nollem ſapientibus ideo linguam coccinei coloris placuiſſe, eo quod לשון זהורית *linguæ coccineæ* uſus fuerit in purificatione leproſi, Moſe ipſo fatente Levit. XVI. 6. Attamen haud incon-

inconvenienter dici puto, eo quod alia in hircis & avibus leprosorum conveniant. Vix aliam ob causam Spencerus Judæis contrariatur, quam quod præviderit se stante eorum ratione etiam hoc in casu destitui novo exemplo probabilem reddendi imitationem gentis Judaicæ propensæ gentilium sacris. Hi enim, animalia sacra sæpe vittis aut infulis, iisque laneis, iisque non raro purpureis aut cocco tinctis, insignes exornasse, leguntur. Faciles simus & concedamus, hæc in victimis ethnicorum, testimoniis patrocinantibus, observari, non tamen inde sequitur Judæos ad imitandum sibi proposuisse gentilium mores. Quare Judæi hoc in casu ita exornant hircum ad *Azazel* ac etiam alterum *pro Jehova*, aut, si vis, quoque *vaccam rufam*; Non vero plurima alia sacra, jugia, sabbathica, noviluniorum, festorum, tot alios hircos sacrificandos. Qua ratione factum, ut majores Judæorum imitationem sacrorum ethnicorum ad pauca restrinxerint, & quidem illa, quæ cum specie signis distinctivis notanda referunt παραδόσεις.

§. 150. *Tertia*: An *tuta fides habeatur Judæis tradentibus commutationem coloris coccinei in album* (de qua supra ad §. 147.) *quæ non sine miraculo facta?* Resp. Fidem habent & habendam esse judicant Viri Clarissimi *Jacobus Rhenferdius*, *Theodorus Ackersloot*, *Bernhard Walther Marpergerus* (vide hunc L. sæpe cit. p. 991. &c.) Speciosas proferunt rationes. *Ille. Nihil causæ erat, cur* (*Judæi*) *in suum ipsorum opprobrium atque dedecus comminiscerentur, cum ingenue fateantur, fuisse quando lingua illa coccinea non albesceret, id quod illis argumento erat, Numen illis propter gravissima scelera iratum esse, & manere, & Pontificem illorum peccata expiare non potuisse.* Quod cum XL. postremis annis ante destructionem Hierosolymorum factum fuisse dicunt, eo ipso sane confitentur, inde à tempore Jesu Nazareni cruci ab illis affixi gravissimi sceleris reatum sibi incubuisse. *Iste* quærit, an credibile sit Christianos hæc, quæ religionem Christianam juvant, publicis Judæorum scriptis inseruisse? Vel ipsos Judæos gratiam apud gentem Christianam quæsituros dicto in libro, quem Mosi & Prophetis æquiparant, notasse? *Hic* arbitratur negari haud posse quædam Miracula in cultu Judæorum exstare, quibus hæc panni coccinei in album mutati annumeranda. Quid ego dicam, non satis liquet, rationes, quas Viri memorati proferunt, non sunt contemnendæ. Ab altera parte probe quoque pensitandum existimo,

stimo, Mosen & Prophetas nihil prorsus hoc de notabili Miraculo habere. An horum ævo nondum edebatur? An demum sequente? Et quo? Si miraculum fuisset annuum usque ad XL. annos ante destructionem, quomodo nulla ejus injecta mentio in scriptis Canonicis V. Testamenti, vel Ecclesiasticis, uti Maccabæorum, vel etiam scriptis N. Testamenti, speciatim Paulinis. Profecto haud parum memoria ejus fecisset ad confirmandum Hebræos in fide. Inferius nova dabitur occasio hac de lingua scribendi. Experiar, an aliæ sint circumstantiæ, quæ majorem dabunt lucem.

§. 151. Porismata VIII. ex versibus 7. 8. 9. 10. Omissis iis, quæ prorsus conveniunt cum superioribus, notamus sequentia:

I. Imperfectio sacrificii piacularis pro peccatis populi varie his ex commatibus constat

A. *Duo hirci poscebantur ad adumbrandum perfectum* ἱλαστικὸν, quod ipsum & mortuum & vivum est. Mors & vita in uno sacrificio typico locum non habent.

B. *Hirci piaculares manu Pontificis ducendi & trahendi erant in conspectum Jehovæ. At victima vera Jesus Christus, ultro se ipsum Deo præsentem sistit.* Sublatis in cœlum oculis Deum alloquitur; *Ego me ipsum* ἁγιάζω Joh. XVII. 1. 19.

C. *Hirci sistebantur coram facie Dei, ad ostium tentorii Conventûs.* Eo enim tempore adoratio Numinis adstringebatur ad certa loca, externa Symbola & consimilia infirma Elementa mundi; Cultus sub N. Testamento passim locorum facer. v. Malach. I. 11. Joh. IV. 23. 24. 1. Tim. II. 8.

II. *Qui igitur sub N. Testamento Deum adoramus, aut sacra spiritualia ei sistimus, omnino etiam tenemur animo fido, vultui Numinis quasi obverso, cultum facere, sed, quæ gratia temporis nunc est, facies Dei passim locorum ad nos conversa est.* Ubi duo aut tres in nomen Jesu Christi conveniunt, in horum medio est, adorantes gratiose aspicit, exaudit, juvat v. Matth. XVIII. 20. Apoc. I. II. III.

III. *Mors & vita hircorum non pendebat à potestate humana, Pontificis vel synedrii, sed à judicio Dei per sortes dato; Quanto magis mors & vita sacrificii, quod* λόγος *sapientia.* Teste Petro Christus ἔκδοτος *tradebatur* morti *definito consilio & præcognitione Dei* ac etiam à Deo suscitabatur. Act. II. 23. 24.

IV. Mes-

IV. Messias fide respiciens ad hanc sortitionem, Deum alloqui habetur, *Jehova portio partis meæ & calix meus. Tu sustentas* גורלי *sortem meam, funes ceciderunt mihi in amœnitatibus; Etiam hæreditas mea (est) pulchra super me.* Psal. XVI. 5. 6. Messiæ enim verba esse nullus Christianus dubitat. Loquitur de morte & vita sua, vocatque *sortem suam.* Sors hircorum erat mors & vita, non in uno subjecto, quod per infirmitatem typi fieri haud poterat, sed tamen quasi uno. At ob perfectionem antitypi mors & vita in uno subjecto locum habet.

V. *Sortis usus non solum est vetustissimus sed & divinus, legitimus, recte adhibitus.* Recte vero tum adhibetur, si sors projicitur mandante Deo, aut quando voluntas Dei in rebus sacris citra sortilegium non constat. Hominum vero non sufficit ad casum determinandum vel in rebus magni momenti, quæ à Deo non decisæ motus excitarent graves, periculosos. Insuper sortitio poscitur instituenda, ceu coram facie Dei, in loco publico, per personas & testes fide dignos, absque dolo.

VI. *Huic sorti contrariatur ludicra, ceu profanatio Numinis divini.* Proscripta itaque inter Christianos esse deberet.

VII. *Ceremoniæ in cultu Religionis Judaicæ probe discernendæ sunt.* Dantur diserta Lege divina jussæ; dein latæ in virtute Legis; Insuper potestati Ecclesiæ relictæ sequente tempore licite & prudenter institutæ, à toto cœtu observandæ; Denique Ecclesiasticæ divinis contrariæ. Ad primam classem pertinent, quæ expressis verbis his in commatibus de hircis piacularibus exstant. Ad alteram veluti inscriptio sortium *pro Jehova, pro Azazel.* Ad tertiam *Lingua coccinea*, capiti hirci emissarii alliganda. Ad quartam hirci hujus præcipitatio de rupe. Primæ & secundæ classis sunt mysticæ; Tertiæ tantum ecclesiasticæ, communiter saltem non mysticæ; Quartæ prorsus rejiciendæ & impiæ, nisi gravissimis ex causis excusari queant. Infra suo loco dicemus de causa præcipitationis hirci.

VIII. *Consimilis ratio ceremoniarum N. Testamenti, quæ in Ecclesia Christiana obtinent.*

§. 152. Progredimur ad ſeptimum mandatum, quod mactationem juvenci Pontificis continet v. 11. והקריב אהרון את־פר החטאת אשר לו וכפר בערו ובעד ביתו ישחט את פר החטאת אשר לו Ad verbum: *Et adducet Aharon juvencum ſacrificii pro peccato, qui ejus, & expiabit pro ſe & domo ſua, & mactabit juvencum ſacrificii pro peccato, qui ejus.* Difficultas eſt, an alia ſit juvenci adductio ab ea, quæ v. 6.? An vero eadem? Qui poſteriori accipiunt modo, vertunt; *Poſtquam adduxit - - & expiavit*, uti præceptum v. 6. *mactabit juvencum* &c. quomodo transfert S. Schmidius; *Cum autem adduxerit - - - mactabit*, quem ſenſum ex Judæis dat Aben Eſra בעבור שארכו דברו השעירים הוסיף לבאר אחר שהקריב הפר ושני השעירים אל אהל מועד יחל לשחוט את הפר שלו *quia* (hactenus v. 7. 8. 9. 10.) *multus ſermo fuit de duobus hircis, ideo addit explicationis gratia poſtquam adduxit juvencum & duos hircos ad oſtium tentorii Conventus, incipiet mactare juvencum ſuum.* Alii priori modo accipiunt. Arabs expreſſe transfert; *Et adducet Aharon ſecundo vitulum* &c. quo propendent vertentes *tum* hernach. Unicum obſtat, quod adductio & expiatio jam facta ſiſtatur v. 6. vel an repetenda? Traditionarii Judæos inter affirmant, quemadmodum ſcire licet è Teſtimonio Miſchnico, quod

§. 153. Sequitur & reperitur *Tract. Joma* Cap. IV. 2. בא לו אצל פרו שנייה וסומך שתי ידיו עליו ומתודה וכך היה אומר אנא השם עויתי פשעתי חטאתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קדושך אנא השם כפר נא לעונות ולפשעים ולחטאים שעויתי ושפשעתי ושחטאתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קדושך ככתוב בתורת משה עבדך לאמר כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל הטאתיכם לפני השם תטהרו והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד Ex interpretatione Sheringhamii: *Ibat ad juvencum ſuum ſecunda vice, & duas manus ei imponebat, & confitebatur & ſic dicebat: Obſecro Domine, deliqui, rebellis fui, & peccavi coram te, ego & Domus mea & Filii Aharonis, populus ſanctitatis tuæ; Obſecro Domine, remitte nunc delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te, ego & Domus mea & Filii Aharonis, populus ſanctitatis tuæ, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui, dicendo; Quia in die*

die hac expiabit super vos ad mundandum vos ab omnibus peccatis vestris coram Domino & mundi eritis. Et ipsi respondebant post eum; Benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum.

§. 154. Ut *παράδοσις* hæc majorem reperiat fidem, sequentem in modum ratiocinatur glossa sub nomine *Tosaphat Jom Tobh* ad l. cit. תרי זמני כתיב וכפר בעדו ובעד ביתו קמא לעונותיו ועונות ביתו ותניין על אחיו הכהנים שכולן קרוין ביתו שנ׳ בית אהרן וכך הוא יפה להתודות בתחלה עליו ועל ביתו ומוטב שיבא זכאי ויכפר על החייב ואל יבא חייב ויכפר על החייב *Bis exstat* & expiabit pro se & pro Domo sua. *Primum refertur ad perversitates* (Pontificis) *& Domus suæ: Secundum vero ad Fratres ejus Sacerdotes, qui nomine Domus veniunt*, uti exstat Domus Aharon, *convenientius quoque erat, ut primo pro se & Domo sua confiteretur. Rectius enim ut innocens veniat atque pro reo expiet; Minime autem ut reus expiet pro reo.* Difficultas tamen manet. Nam v. 6. *pro se & pro Domo sua* idem expiationis objectum, quod v. 11. Nollem negare sequente tempore Sacerdotibus valde auctis duplicem obtinuisse confessionem, utpote convenientius judicatum preces supplices fundi ab expiato pro Domo Aharon, quam à non expiato. Ab initio vero & ævo Aharonis hæc ratio non valebat.

§. 155. Quod attinet Phrasin in Confessione עויתי פשעתי חטאתי *deliqui, rebellis fui, peccavi*, sumta illa est ex Lev. XVI. 21. de qua plura dicemus, si commentando eo pervenimus. Alibi præmittitur חטאתי *peccavi*, ceu species peccati non ita gravis ac עון *perversitas* & פשע *Apostasia* v. C. VI. 6. & Dan. IX. 5. sed, ut dixi, infra ad difficultatem attendemus. vide interea *Bartenoram* & *Maimonidem* ad L. cit. Mischnæ.

§. 156. Sed quæris: An Pontifex expians pro Domo sua simul expiaverit Levitas? Vel an Levitæ pertineant ad cœtum Israel? Nam & Levitas Die Expiationis fuisse expiatos nemo negabit? Resp. Posterius affirmatur. Rationes sunt. *Prima:* בית *Domus* N. dicuntur, qui ab N. prognati sunt, sic בית ישראל *Domus Israel* Lev. X. 6. notat, qui ex Israele ortum habent. Convenit cum Phrasi בני ישראל *Filii Israel* Exod. I. 1. At Levitæ ortum non habent ab Aharone: Non dicuntur *Filii Aharonis*, ut nati ex hoc. v. Exod.

XXVIII. 1. Lev. I. 5. conf. Luc. I. 5. *Secunda:* Psaltes Ps. CXXXV. 19. 20. בית אהרן & בית הלוי *Domum Aharonis & Domum Levi* distinguit. Ergo Aharon confitens sua & Domus suæ peccata Levitarum non confitetur, quippe hi distinctum Dominum constituunt. *Tertia:* In aliis Scripturæ Locis Levitæ intelliguntur sub *Domo Israel*, veluti Psal. CXV. 9. 10. 11. 12. nec non Psal. CXVIII. 23. Ergo etiam Levit. XVI. *Quarta:* Juvencus pro Aharone & Domo ejus erat offerendus, quo expiati sacra facere possent pro expiatione reliquorum. At Levitæ nullam habebant rem cum sacrificiis expiantibus Israelem. Accedit, quod idem ferat judicium *Aben Esra* his verbis יש אומרים גם הלוים בעבור שמצאו ואת שם אהרן תכתוב על מטה לוי והוא רחוק רק הלוים יחשבו עם ישראל *sunt qui affirmant (Aharonem) simul Levitas (expiasse) hoc quidem argumento quod reperiant scriptum* Num. XVII. 18. & nomen Aharonis inscribes Virgæ Levi: *Sed hæc sententia aliena est. Verum Levitæ Israeli annumerabantur.*

§. 157. Quæ supra ad vers 6. §. 93 - 96. *de adductione juvenci sacrificii pro peccato, qui ejus, ut & expiatione* dicta sunt & sensum verborum dant, ibi legantur. Nunc sequitur

§. 158. Mactatio. *Et mactabit juvencum sacrificii pro peccato, qui ejus* v. 11. b. Συνάφεια postulat, ut functio hæc Pontifici tribuatur. Verum quidem, quod mactatio victimæ non sit sacerdotalis functio, sive Sacerdotibus priva, uti aliæ dantur. Laici quippe etiam copiam habuerant suas mactandi victimas. vid. *Dissert. meam de functionibus laicorum circa victimas.* §. VI. Sed quum juvencus hic pro Pontifice oblatus fuerit, etiam ab eodem mactandus. *Saubertus* de sacrificiis C. XIX. monet in solennibus atque publicis sacrificiis populi Romani Pontificem maximum quoque mactasse.

§. 159. *Modus mactandi*, qui varius esse potest, steterat vi Legis in libertate Sacerdotis. Solum lex habet & *mactabit.* Monumenta Judæorum tradunt, quod olim victimæ mactatæ sint percutiendo eas inter cornua, quem vero modum, ceu minus convenientem *Jochanan* Pontifex maximus abrogaverat. Unde Mischna *Tr. Maaser Scheni* C. V. §. 25. *R. Jochanan* P. M. בטל את הנוקפים *abrogavit Laniones*, hoc est, qui more Lanionum sacra percusserant.

Barte-

Bartenora, ordinarius interpres Mischnæ explicat, tum in annotationibus *ad cit. Loc.* שהין משרטין לעגל של קרבן בין קרניו כדי שיפול לו דם בעיניו כדי שלא יראה ויהיה נוח לכפתו ולשחטו ועמד הזא ובטלו שנראה כבעל מום *Qui vitulum offerendum cædebat cornua inter, quo sanguis suffundat oculos, & ita aspectum adimat. Qua ratione facilius incurvari mactarique potest. At Jochanan restitit, atque hunc modum abolevit, quod ita bestia ut vitio affecta videatur.* Ordinavit vero, uti idem Magister tradit טבעות בקרקע להכנים צואר בבהמה לתוכה *Annulos in solo, quibus collum bestiæ immittendum.* Tum & plenius ad *Midd.* C. III. 5. התקין יוחנן כ"ג עשרים וארבע טבעות לכ"ו משמרות כהונה והיו קבועות ברצפה עשויות כמין קשת שהיו מכניסים בהן צואר הבהמה בשעת שחיטה ונועצים ראש הטבעת בארץ והיו לצפונו של מזבח *Constituit Jochanan Pontifex, ut XXIV. Annuli formam arcus referentes pro numero* XXIV. *vigiliarum solo infigerentur. His eo, quo mactabant, tempore Bestiarum colla submittebant, extremitatem vero annulorum terræ infigebant: Siti autem ad septentrionem Altaris.* Tum juvenci sub annulo arcuato captivati jugulum, docente *Maimonide in Tr. Maasch Hakarbonoth* C. IV. in sequentem modum incidebatur כיצד הוא עושה אוחז הסימנים בידו ומוציאן עם הורידין לתוך המזרק ושוחט שנים או רוב שנים כדי שיתקבל הדם כולו בכלי ומגביה הסכין למעלה כדי שלא ירד הדם מעליה אלא מן הצואר ודם שבסכין מקנחו בשפת המזרק *Qua ratione id agit? Signa (hoc est asperam arteriam & oesophagum) manu prehendit, illaque una cum venis in pelvim pertrahit: Tum duas aut saltem maximam earum partem incidit, cultrum attolit, ne ex eo sanguis defluat, sed ex collo, sanguinem vero, qui cultro adhæret, ad labium pelvis abstergit.*

§. 160. Locus mactationis recte habetur adstrictus ad plagam atrii septentrionalem, ut exstat Tr. זבחים C. V. 1. פר ושעיר של יום הכפורים שחיטתן בצפון *Juvenci & hirci mactatio in Die Expiationum sit in septentrione*, nam expresse dicitur Lex. IV. 33. *Mactabit in sacrificium pro peccato in loco, in quo Holocaustum mactat.* At Holocaustum mactandum ad latus Altaris צפנה *versus septentrionem.* Lev. I. 11. Constat vero, quod juvencus, de quo loquimur, sacrificiis piacularibus sit accensendus. Quare vero plaga septen-

trionalis non meridionalis mactationi destinata, non liquet: Dicunt illam hac sanctiorem esse. Sed quæ ratio majoris sanctitatis sit me latet.

§. 161. Mactationi conjunctissima erat sanguinis exceptio & agitatio. Tr. Joma C. IV. 3. קבל במזרק את דמו ונותנו למי שהוא ממרס בו על הרובד הרביעי שבהיכל כדי שלא יקרוש Ex interpretatione Sheringhamiana: (Pontifex) *Patera excipiebat sanguinem dabatque ei, qui miscebat eum super scamnum quartum, quod erat in sanctuario, ut non concresceret.* Novum idque clarissimum experimentum, ex quo constat παραδόσεις Judæorum suos præstare usus & mentem Legis supplere. Lex nostra de expiatione, licet plenior, nihil habet de excipiendo sanguine, de agitando quoque nihil. Utraque actio sine dubio intercesserat. Omnis victimarum sanguis sollicite excipiendus erat. Sanguis juvenci præcipitur spargendus v. 14. Ergo prius excipi debebat. Sanguis quoque erat agitandus. Etenim, qui in venis fluit, emissus statim spissescit, atque ita ineptus ad spargendum. Inter mactationem juvenci & sparsiones sanguinis longius tempus elapsum est. Spissisimus adeoque sanguis factus fuisset non agitatus.

§. 162. Sanguis sine dubio à Sacerdote excipiebatur. Judæi constanter tradunt exceptionem sanguinis sacerdotalem esse functionem. v. *Dissert. meam de functionibus Sacerdotum circa victimas.* §. 1. Lex Mosaica hoc ipsum confirmat v. Lev. I. 5. IV. 5. &c. Major difficultas, an ipse Pontifex, qui juvencum mactaverat, sanguinem exceperit? Judæi affirmant. Joma C. IV. 3. *Pontifex* (de quo §. 2.) *mactabat* (juvencum) & *sanguinem patera excipiebat.* Pariter *Abarbanel in Comment. Leg.* f. CCXLIX. 2. m. ושוחט הפר ההוא ומקבל דמו במזרק אחד של זהב (Pontifex) *juvencum illum mactabat, atque sanguinem patera aurea excipiebat.* Communiter alius erat mactare, alius vero sanguinem suscipere, ut colligimus ex *Tr. Tamid* C. III. 1. ubi sortium variarum projiciendarum fit mentio מי שוחט מי זורק *Quis sit mactaturus? Quis sparsurus?* Qui spargit, is recepit. Molestum ac difficile, si eædem manus movendæ ad mactandum & excipiendum.

§. 163.

§. 163. Receptioni inserviverant מזרקים *pateræ* ab *aspergendo* dictæ. Jam ævo Aharonis plures ex argento à principibus aræ consecratæ erant Num. VIII. 84. Aurea erat, qua sanguis juvenci in sanctissimum inferebatur, saltem sequente tempore.

§. 164. Sanguis patera exceptus, ut dictum, agitandus vel atterendus erat. Attritio tamen ab alio Sacerdote, quam Pontifice, ceu qui functione suffiendi occupabatur, facienda. Functione hac absolute necessaria minime violabatur officium expiationis hujus diei ad Aharonem restrictum. Faciunda vero erat in atrio, non in sanctuario, Lege v. 17. prohibente: *Nemo erit in tentorio Conventus* Pontifice *intrante ad expiandum in sancto.* Quare quando supra §. 161. ex Mischna citatur locus miscendi sanguinem super *scamnum quartum, quod erat in sanctuario*, uti Sheringhamius vertit, cave intelligas sanctuarium, in quo ara suffitus. Rectius etiam שבהיכל vertitur, *quod in Templo*, ceu quod etiam loca sacra extra posita includit, uti Græcorum ἱερὸν in N. Testamento v. Joh. II. 14. Luc. XVIII. 10. Constat quoque, quod רובדים *Pavimenta* vel *Scamna* extra sanctum reperiunda, scil. רובד notat ordinem lapidum *lineatim dispositorum.* Ejusmodi vero *ordines* plures reperiebantur inter Porticum & Altare, ut colligimus è Tr. מדות C. III. 6. An initium numerandi fieri debeat ab ara Holocausti vel porticu ad occasum, non liquet. Posterius probat Bartenora his verbis: *Ordo quartus templi, hoc est, ordo quartus, qui in atrio; Quando quis egreditur è templo* (intellige h. l. sanctum) *in atrium, numerat ordines & imponit ordini quarto, ubi, qui agitaverat, stabat. Intra templum* (in sancto) *hoc* fieri *nequaquam poterat*, ad *Tr. Joma* C. IV. 3.

§. 165. Porismata è v. 11.

I. *Ut mactatio sacrificii accepta sit, præcedere debet præsentatio ejus coram Deo; Quo vero sacrificium præsentatum vim expiationis exerat, mactandum & sanguis effundendus erat.* Absque sanguinis effusione non fit ἄφεσις Hebr. IX. 22. Preces, intercessiones Pontificis nostri non suffecerant ad salutem generis humani. Mors ejus insuper necessaria erat.

II. *Pontifex Aharonicus non sine omni auxilio munere expiatorio umbratili defunctus erat.* Sanguis juvenci agitandus dabatur. At Pontifex noster veram expiationem solus suscepit, perfecitque.

Huc

Huc transfer quoque Porismata v. 6.

III. *Dantur Ceremoniæ in cultu V. Teſtamenti veræ, divinæ, myſticæ, licet verbis non expreſſæ.* Huc referimus ſanguinis exceptionem & agitationem. conf. Porism. VII. ad §. 151.

§. 166. Octavum mandatum agit de ſuffitu in ſanctiſſimo: *Poſtea ſumet ignitabulum plenum prunis ignitis ab ara coram facie Jehovæ, atque pugillos ſuos plenos ſuffitu aromatum tenui inferetque intra velum & imponet ſuffitum ſuper ignem in facie Jehovæ, tegatque nubes ſuffitus operculum propitiatorium, quod ſuper teſtimonium, ne moriatur* v. 12. & 13. Præparanda quidem erant ſacrificia hilaſtica, tum Sacerdotii, tum cœtus Iſrael; Attamen præmittendus ſuffitus, tum ſparſioni ſanguinis, tum combuſtioni victimarum, ut ſciamus precum δύναμιν.

§. 167. *Suffitum hunc cognituri diſtincte attendimus primo ad ſuffientem; Tum ignitabulum; Inſuper aromata; Præterea locum incenſionis; Incenſionem ipſam cum effectu; Denique ſcopum ſpecialem.*

§. 168. Citra controverſiam *ſuffiens* hic erat ſolus Aharon, ejusque in Pontificatu ſucceſſor. Incenſio aromatum in ſancto propria Sacerdotio Aharonico adſcribitur Exod. XXX. 7. 8. Quare ſeditioſi, qui Privilegium hoc negaverant, horrendas dederunt pœnas Num. XVI. Aharonis tamen vices ſubeundi copiam habuerant Sacerdotes gregarii in ſuffitu quotidiano, uti legimus in Miſchna *Tr. Tamid* C. V. 2. cum quo convenit hiſtoria Zachariæ Sacerdotis gregarii ſorte ad ſuffiendum deſignati, Luc. I. 9. Verum aliter comparatum cum ſuffitu in ſanctiſſimo reſtricto ad diem expiationis. Hunc extra caſum neceſſitatis μόνος ὁ ἀρχιερεὺς *ſolus Pontifex* accenderat, ut ſolus in loco ſacerrimo ſparſerat Hebr. IX. 7. Nemine, quantum ſcio, contradicente.

§. 169. Dein attendimus *ad ignitabulum ejusque contenta.* ולקח מלא המחתה גחלי אש מעל המזבח מלפני יהוה *ſumet dein Thuribulum plenum prunis ignitis ab ara coram facie Jehova.* Vaſis nomen eſt מחתה *vas continendo igni aptum*, quod LXX. recte πυρεῖον eine Feuer-Pfanne. Atque tale eſſe tum uſus vocis, tum origo haud obſcure innuunt. Exprimitur enim hic, ut vas *plenum prunis ignitis* conf. Num. XVII. 11. cui ad ſuffiendum aromata injiciuntur Num. XVI. 17. XVII. 11. unde cum acerra, quæ ad ſimilem

uſum

usum destinata, ponitur 1. Reg. VII. 50. 2. Chron. IV. 22. Origo vero est חתה *sumere ignes* Prov. VI. 27. XXV. 22. Jes. XXX. 14.

§. 170. Thuribuli hujus materia Lege divina definita non est. Aevo Aharonis communiter ænea fuerunt thuribula, ut scire licet ex Exod. XXVII. 3. XXXVIII. 3. Num. XVI. 39. Al. XVII. 4. Aureorum, quantum scio nulla fit mentio. Neque enim huc referendum, quod exstat Exod. XXV. 38. Utpote inter vasa Lychnuchi numeratur. Templo vero exstructo thuribula aurea argenteaque memorantur, veluti 1. Reg. VII. 50. 2. Reg. XXV. 15. Si vero unquam aureorum exstitit usus, exstitit solenni hac die suffitu per ipsum Pontificem in ipso adyto incendendo. Facillime itaque fidem habemus Apostolo Hebr. IX. 4. χρυσοῦν θυμιατήριον in sanctissimo memoranti. Nosse enim poterat ex annuo usu, qui templo adhuc stante nondum sublatus erat. Convenit constans traditio, quam jamjam plenius cum aliis circumstantiis dabo.

§. 171. Est hæc, quæ legitur in *Tr. Joma* C. IV. 4. בכל יום היה חותה בשל כסף ומערה בתוך של זהב והיום חותה בשל זהב וכה היה מכניס בכל יום חותה בשל ארבע קבין ומערה בתוך של שלשה קבין והיום חותה בשל שלשה קבין וכה היה מכניס ר׳ יוסי אומר בכל יום חותה בשל סאה ומערה בתוך של שלשה קבין והיום חותה בשל שלשה קבין ובה היה מכניס בכל יום היתה כבדה והיום קלה בכל יום היתה ידה קצרה והיום ארוכה בכל יום היה זהבה ירוק והיום אדום Ex translatione Sheringhamii: *In omni die depromsit Thuribulo argenteo & in aureum infundebat: Hodie* (scil. Die Expiationis) *depromsit aureo & intrabat cum eo; In omni die deprompsit Thuribulo, quod quatuor cabos continebat, & in alterum effundebat, quod tres cabos capiebat: Hodie deprompsit Thuribulo, quod tres cabos capiebat & intrabat cum eo. R. Jose ait: In omni die deprompsit Thuribulo, quod satum continebat & in alterum infundebat, quod tres cabos continebat, hodie deprompsit Thuribulo, quod tres cabos continebat & intrabat cum eo. In omni die grave, hodie leve; In omni die manus ejus brevis erat, hodie longa; In omni die aurum ejus viride erat, hodie rufum.*

§. 172. Ne vero Patres habeantur ineptire, posteri, qui Mischnam illustrarunt, rationes perhibent varias, Maimonides & Barte-

 nora;

nora ; scil. quotidie Prunæ depromebantur Thuribulo argenteo & postea demum in aureum effundebantur, ne aureum attereretur. Utique aureum toties (etenim singulis diebus bis Prunæ ab Ara depromebantur) depromendo damnum passum fuisset. Dein sublevabatur Pontifex (cujus functiones hoc die alias numerosæ & graves erant) omissa evacuatione, minori mensura, pondere, manubrio longiori. Insuper quo usus vasis præstantior, eo præstantior ejus materia. At aurum rufum viridi præstantius, notante Sheringhamio. Præferenda hæc ratio mihi ei, quam Bartenora habet, puta Thuribulum hoc constitisse ex auro פרוים *Parvaim*, ideo quod דומה לדם פרים *simile sanguini juvencorum.* Inepta est hæc ratiocinatio. Si valeret, semper Thuribulum ex auro rufo fuisset adhibendum.

§. 173. *Contenta* ejus nominantur גחלי אש. Bene LXX. *ἄνθρακες πυρὸς* & Oncelos גמרין דאשא *prunæ ignis*, non vero *carbones ignis*, nam distinguuntur גחלים & פחם Prov. XXVI. 21. Posterius notat *carbonem* nigrum, nondum ignitum, unde radix פחם apud Chaldæos & Arabes notat *nigrescere:* At prius *prunam*, adeoque ardentem. Unde גחלים sistuntur ardentes 2. Sam. XXII. 9. quæ in capite tolerari nequeunt Prov. XXV. 22. quæ adurunt pedes superambulantium Prov. VI. 28. quibus cibus coquitur Jes. XLIV. 19. Sed dices, quare ergo additur אש ignis? Resp. Ut sciam sumendas esse prunas totas igneas, non quæ accensæ, partim adhuc nigræ sunt; Quod ipsum indicat Paulus Rom. XII. 20. *ἄνθρακες πυρὸς prunæ ignitæ*, quæ maximam vim urendi habent. Hanc vim phrasis respexerunt Traditionarii *Tr. Joma* l. cit. quando ajunt sumendas fuisse מן המעוכלות הפנימיות *ex ambustis interioribus* vel uti de suffitu jugi Tr. תמיד C. I. 4. exstat מן המאוכלות הפנימיות, quod idem, nam non differunt עכל & אכל vid. *Lipm. ad Jomæ l. cit. Glossa Bartenoriana* exponit גחלים שבאמצע האש שנתאכלו היטב והן קרובים להיות דשן *prunas in medio igne, quæ bene consumtæ & jam in cinerem convertendæ sunt.* ad l. *Tam.* cit. & in *Jalkuth Simeonis* t. i. f. CLXV. 2. p. i. m. יכול עוממות תלמוד לומר אש אי אש יכול שלהבת תלמוד לומר גחלי הא כיצד מן הלחושות האלו *Forsan prunæ extinctæ sumendæ sunt.* Non: *Textus enim dicit: Prunæ ignis; Aut forsan flamma:* Neque

Neque hoc nam requiruntur *prunæ.* *Qua ergo ratione? De ardentibus in ara* sumendæ sunt.

§. 174. Hæ vero prunæ ignitæ depromendæ præcipiuntur מעל המזבח *ab ara;* vel ut Textui originali magis satisfaciam *a super ara*, hoc est, à superiori parte aræ. Hæc circumstantia, quæ exigua videri posset, probe est notanda. Respicit peccatum filiorum Aharonis, quod erat אש זרה *ignis peregrinus*, v. Lev. X. 1. Num. III. 4. non desumtus ab ara, adeoque Deo non sacer. Ignis communis, ut tum filiis Aharonis bene placuerat, iisque obvius erat, adeo ut non necesse habuerint aram conscendere. Atque lex divina expresse mandat *à parte superiori aræ.* Nam ex quo ignis à facie Jehovæ in aram descenderat Lev. IX. 24. semper servandus & alendus erat, ut infra plenius dicemus. Lev. VI. 6. *Ignis igitur ardebit in ara illa, nec extinguetur.* Sacra non agenda modo communi vel profano. Deus zelotes nullam patitur commixtionem. Hæc minime levia habenda sunt, maxime propter mysterium, ut in parte mystica observabimus. Intercessio mediatoris pro fidelibus respuit quam maxime ignem communem.

§. 175. Ut mens legislatoris clarius constet, subjicitur: *à facie Jehovæ.* Aræ quandoque exstruebantur in excelsis; At ignis ex tali ara reprobus. Prunæ nonnisi petendæ erant in superiori parte aræ, *à facie Jehovæ.* Hæc vero ara sita erat in atrio Sacerdotum, & communiter dicitur *ara Holocausti* v. Exod. XL. 29. Hæc circumstantia docet, quod functio suffitus coram Deo, & eo quasi aspiciente juxta voluntatem ejus sit agenda.

§. 176. Jam Pontifex præstitit præceptum Dei de igne altaris ad suffiendum sumendo, qui Thuribulum suum prunis ignitis ex eo adimpleverat. Nullum prostat mandatum variorum focorum aut petendi ex certo altaris latere. Posteri demum hæc decreverunt majoris forsan, ut ipsis videbatur, ordinis gratia, quorum filii putaverant effingendas esse e sacris rationes, quæ vero, quanquam de igne agant, perfrigidæ sunt. Longe prudentiores mihi viderentur, si simpliciter recensuissent sapientum statuta, qualia in potestate Ecclesiæ erant, quam quod molestissime rationes in Lege divina conquisiverint, in qua nullæ sunt. Dabo tamen, quæ in traditionibus leguntur.

§. 177. Præcipua eſt, quæ exſtat in *Tr. Joma* C. IV. 6. בכל יום היו שם ארבע מערכות והיום חמש דברי רבי מאיר רבי יוסי אומר בכל יום שלש והיום ארבע רבי יהודה אומר בכל יום שתים והיום שלש׃ *In omni die quatuor erant ibi lignorum ordines & hodie* (Die Expiationis) *quinque; Verba R. Meir. R. Joſe dicit, in omni die tres & hodie quatuor. R. Jehuda dicit, in omni die duo & hodie tres.* Hæc explicantur in Textu Gemarico ad *Tract. cit. fol. XLV.* C. I. ת״ר בכל יום היו שתים מערכות והיום ג׳ אחת מערכה גדולה ואחת מערכה שניה של קטורת ואחת שמוסיפין בו ביום דברי רבי יהודה ר׳ יוסי אומר בכל יום ג׳ והיום ד׳ אחת של מערכה גדולה ואחת מערכה שניה של קטורה ואחת של קיום האש ואחת שמוסיפין בו ביום ר״מ אומר בכל יום ד׳ והיום חמש אחת של מערכה גדולה ואחת של מערכה שנייה של קטורה ואחת של קיום האש ואחת לאברים ופדרין שלא נתעכלו מבערב ואחת שמוסיפין בו ביום *Tradiderunt Magiſtri: Omni die erant duo lignorum ordines, ſed Die Expiationis tres, ſcil. ſtrues magna, ſtrues pro ſuffitu quotidiano, & dein ſtrues, quam tum addebant, ſunt verba R. Jehudæ: At R. Joſe dicit: Omni die erant tres lignorum ordines, verum Die Expiationis quatuor. Strues magna pro ſuffitu, pro conſervando igne, & quam Die Expiationis præterea accendebant. R. Meir vero dicit: Omnibus diebus erant quatuor lignorum ordines, ſed Die Expiationis quinque & ſunt ſtrues magna pro ſuffitu, igne perpetuando, membris & omentis, quæ à veſpera nondum combuſta ſunt, præterea illa, quæ hac die adjiciebatur.*

§. 178. Ut hæc rectius intelligantur, notamus מערכה hic dici *ſtruem* vel collectionem lignorum bene diſpoſitorum. Inter has erat מערכה גדולה *ſtrues magna*, inſerviens ſacrificio jugi comburendo, nec non, ut videtur, aliis ſacrificiis, quæ offerenda erant. Sita hæc verſus ortum altaris, facie quoque ejus ad orientem reſpiciente. Summitates lignorum inferiorum pertingebant usque ad תפוח *pomum* cineris, ſpatio tamen inter ligna interpoſito, ut ibi ligna tenuiora accenderent v. *Tr. Tamid* C. II. 4. Altera inſervIverat prunis pro quotidiano ſuffitu è regione cornu occidentalis meridionalis. Tertia ad alendum ignem perpetuum ſita erga cornu occi-

occidentale ſeptentrionale. Quarta ſerviverat pro membris & adipe ſacrificii jugis veſpertini ſub veſpera nondum conſumtis. Sed quinta priva erat Diei Expiationis, in uſum ſuffitus in ſanctiſſimo. Raſchio tradente מצד שלפני הפתח והוא צד מערבי, *à latere* (aræ) *quod ante oſtium* (templi) *quod vero eſt occidentale.* v. *Raſchium in Comment.* ad Lev. XVI. 12. Etiam *Bartenoram* & *Maimonidem* ad cit. l. Miſchnæ.

§. 179. *Quæris*, an numerus diſpoſitionum lignorum, ac varii earum ſitus innitantur Legi divinæ? Reſp. Non video: Ipſi ſapientes hebræorum, ut ex §. 177. conſtat, à ſe invicem diſſident. Communiter tamen probant R. Joſe cogitata. Prætexunt quidem Legem Lev. VI. 4. hoc modo: Dicunt verba v. 2. על מוקדה על המזבח כל הלילה עד הבקר *ſuper focum, ſuper ara illa tota nocte usque ad mane* probare ſtruem magnam, ſed verba in fine v. 2. ואש המזבח תוקד בו & *ignis aræ illius accendatur in ea*, ſtruem ſecundam pro ſuffitu quotidiano indicare. Verum verba v. 5. ואש על המזבח תוקד בו לא תכבה *Et ignis ſuper ara illa ardebit, non extinguetur* adſtruere tertiam pro conſecrando igne perpetuo. Eſt tela araneæ, quæ nihil ſolidi habet, ut contextus inſpectus attendentes docet. Eadem ratio varii ſitus, ſpeciatim illius, qui adſcribitur foco pro ſuffitu Diei Expiationis. Vel audi Lipmannum ſubtiliter argumentantem his verbis: שכל הניטל בחוץ (מע׳ל מזבח החיצן) לינתן בפנים אינו ניטל אלא בסמוך שאין לפנים ממנו (במקום שהוא סמוך לפנים שאין מקום בכל מזבח החיצון סמוך ממנו) וגמרו מגחלים של ה״כ דכתיב בהו ולקח מלא המחתה גחלי אש מעל המזבח מלפני ה׳ (מצד המערבה (צ״ל המערב) ושני בזיכי לבונה שניטלין בפנים לינתן בחוץ גמרי משירים דכתיב בהן אל יסוד מזבח העולה אשר פתח אוהל מועד *Omne quod ſumitur extus* (*ab ara exteriore*) *ut intus feratur, ſumitur è loco, qui interiori proximus eſt* (*è loco altaris exterioris præ omni alio partibus interioribus vicino*) *atque id diſcimus exemplo prunarum de Die Expiationis. Scriptum enim eſt:* Et ſumet Thuribulum plenum prunis ignitis ab altari è conſpectu Domini è *latere ſtruis* (lege *occidentali*) *ſed de duabus acerris thuris, quæ ex ſancto extus ferendæ erant*,

& in occasu adolendæ, novimus exemplo reliquiarum sanguinis, de quibus statuit Deus Lev. IV. 17. *Effundet illas ad fundamentum aræ Holocausti, quod versus ostium tentorii Conventûs.* Sed eadem ratio thuris, adeoque in plaga aræ occidentali suffiendum. *vid. Tr.* תמיד C. II. 5. Annon totum altare *coram facie Jehovæ?* Si ita se habet, ut se habet, sequitur quod prunæ sumtæ ab ara, sumtæ sint à *coram facie Jehovæ*, non necessario sumendæ à latere ejus occidentali. Quare Maimonides, de quo laudant, quod nugari desierit cum ratione scribit מערכה שלישית של קיום האש עושה אותה בכל מקום שירצה מן המזבח *tertia strues pro conservando igne in quocunque altaris loco extrui potest.* In Tr. תמידין ומוספין C. II. 4. vide jam dicta ad §. 175.

§. 180. Focus prunarum ex lignis paratur, quare cultus externi studiosi inquirunt, an omnia ligna pro focis aræ proba exstiterint. Negat Maimonides & recte עצי מערכה לא יהיו אלא נבחרים ולא יהיה בהם תולעת וכל עץ שהתליע כשהוא לח פסול למזבח התליע יבש גורר את המקום שהתליע ועצי סתירה פסולי׳ לעולם לא יביאו אלא חדשים *Ligna, quæ in altaris foco consumebantur, oportebat selecta esse, & vermium expertia: Nam quodcunque lignum etiam viride vermiculabatur, id profanum erat atque altari excludebatur: Idem si vermicularetur aridum, ex eo locus vermiculatus duntaxat exscindendus: Profana erant & ligna demolitionis. Enim vero altari lignum aliud quam novum adhiberi nunquam licebat.* In Tr. איסורי מזבח C. VI. 2. è translatione *Lud. de Comp. de Veil.* Nonnisi selecta & proba decent Deum Zebaoth. Unde sub Templo II. exstructum erat peculiare conclave lignis asservandis & perquirendis, quorum cura commissa erat Sacerdotibus vitiatis. v. *Tr. Middoth.* C. II. 5.

§. 181. Sequens sapientum ætas casibus & quæstionibus, ut fieri solet, mota pro libertate, quæ Ecclesiæ Judaicæ data est, speciales dedit Leges de lignis aræ, quales exstant in Mischna Tr. תמיד C. II. 3. כל העצים כשרים למערכה חוץ משל גפן ושל זית אבל באלו היו רגילין בשרבית של תאנה ושל אגוז ושל עץ שמן *Omnia ligna apta sunt ad struem, excepto vitis & oleæ, sed ex illis solent uti ramis ficus, nucis & arboris oleaginosæ* vertit Mich. Arnoldi. Statim

tim infra §. 5. de ordinaria pro suffitu strue ברור משם עצי תאנה יפין לסדר המערכה שניה לקטורת *Seligebant inde ligna ficus pulchra, ut secundum ad suffitum ordinem struerent.* Ubi solum lignorum ficulneorum meminit, unde quis colligere posset, quod ex illis nonnisi prunæ quotidianæ pro suffitu sumtæ sint. Judicat tamen recte Lipmannus unam tantum speciem exprimi, reliquas aptas ad focum sacrum subintelligi. Idem mysticam adducit rationem ligni ficulnei ad aram apportati, quæ hæc est, quod שבו היתה תקנה לאדם הראשון ויעשו להם חגורות *Primus homo in ficu Medicinam invenerit, nam dicitur : Et fecerunt sibi succinctoria. Tosaph. Jom. Tobb. ad Tr. cit.*

§. 182. Magnitudo focorum usui proportionata poscebatur. Quando vero Pontifex adstrictus erat ad מלא המחתה *plenitudinem Thuribuli*, quod LXX. omisso Hebraismo commode vertunt πυρεῖον πλῆρες *Thuribulum plenum prunis ignitis*, voluntati legislatoris jam satisfactum, si focus tantum continuerat, quantum ad implendum postulabatur. Ecclesiasticæ itaque constitutionis est, Pontificis fuisse tres prunarum cabos pro suffitu in sanctissimo depromere. v. Testimonium supra. Cabus autem dicitur continere capacitatem XXIV. ovorum. Unde suffitu aucto, etiam augebatur numerus caborum, uti exstat in Mischna Tr. תמיד C. II. 5. בעומר חמש סאים גחלים ובשבת בעומר שמונה סאין גחלים ששם היו נותנין שני בזיכי לבונה של לחם הפנים Diebus communibus *quinque circiter prunarum sata sumuntur, sed Sabbatho octo. Tum enim ibi ponebant duas acerras thuris panum facierum.*

§. 183. Quandoquidem lex postulat, ut Aharon sumat prunas מע׳ *à parte superiori aræ*, tenebatur hanc conscendere. Conscensus ævo Aharonis haud molestus, quippe ara trium tantum cubitorum alta Exod. XXVII. 1. Molestior sub templo secundo, ceu sub quo X. cubitos alta erat. Modum ascendendi & descendendi, qui posteriori tempore obtinuerat, scimus ex Mischna *Tr. Joma* C. IV. 5. בכל יום כהנים עולין במזרחו של כבש ויורדים במערבו והיום כהן גדול עולה באמצע ויורד באמצע רבי יהודה אומר לעולם כהן גדול עולה באמצע ויורד באמצע Sheringhamio Interprete. *In omni*

omni die Sacerdotes gradus (lege clivum, neque enim gradatum altare conficere licitum erat Exod. XX. 23.) *ascendebant ea parte, quæ orienti proxime jacebant, & descendebant, qua occidentem spectabant; Hodie Sacerdos magnus ascendebat in medio, & descendebat in medio; R. Jehuda dicit: Semper Sacerdos magnus ascendebat in medio & descendebat in medio.* כבש, quod in Scriptura *suppedaneum*, ceu pedibus subjectum à כבש 2. Chron. IX. 18. notat, hic sumitur pro *Clivo* ex lapidibus aliaque materia aggesto, qui Sacerdotes sensim in aram sustollebat, de quo *Maimonidis* verba adscribimus ex Tr. בית הבחירה C. II. §. 13. כבש היה בנוי לדרומו של מזבח ארכו שלשים ושנים אמה על רוחב י״ו אמה *Clivus ad Meridiem aræ structus in longitudine XXXII. sed in latitudine XVI. cubitos habet.* Hujus clivi partem orientalem Sacerdotes gregarii ascensuri, sed descensuri occidentalem calcabant, scil. ut exstat Tr. Sebachin. C. VI. 3. כל העולים למזבח עולין דרך ימין ומקיפין ויורדין דרך שמאל *omnes, qui aram ascendunt, dextra ascendunt, circumeunt & sinistra descendunt.* Plaga orientalis descendentibus dextra, sed occidentalis sinistra. Solus autem Pontifex in media clivi latitudine Die Expiationis, ut primus doctor vult, vel semper, uti judicat R. Jehuda, ascendendi jus habuit. Via regia principi ex Sacerdotibus nonnisi patebat; quo ille à gregariis distingueretur. *R. Obad. de Bart. ad L. Joma citat.* per medium clivum ascendit משום כבודו להראות חשיבותו שהוא כבן בית והולך במקום שהוא חפץ מה שאין שאר כהנים רשאין לעשות כן *ob dignitatem suam: Ut enim se instar filii Domus demonstraret, viam, qua placebat, ingressus est; Cæteri Sacerdotes hac potestate non pollebant.*

§. 184. Ex hoc ipso *Tr. Mischnico* C. IV. 3. scimus quomodo Pontifex hoc suo munere defunctus fuerit נטל את המחתה ועלה לראש המזבח ופנה גחלים אילך ואילך וחותה מן המעוכלות הפנימיות וירד והניחה על הרובד הרביעי שבעזרה (*Pontifex*) *sumsit Thuribulum, atque in altaris summitatem ascendit, prunas hinc inde vertit, & ex interioribus ambustis depromsit; Postea descendit reposuitque in quartum lapidum ordinem, qui in atrio.* Ignitabulum hoc videtur petitum ex conclavi, quod vocant לשכת חכלים *conclave vasorum*, diviter instructo.

ſtructo. Etenim ut exſtat Tr. תמיד C. III. 4. הוציאו משם תשעים ושלשה כלי כסף וכלי זהב *produxerunt ex eo XCIII. vaſa argentea & aurea*, puta ſingulis diebus.

§. 185. Inſuper attendimus ad *aromata*, de quibus Moſes v. 12. b. ומלא חפניו קטרת סמים דקה *Et plenos pugillos ſuos ſuffitu aromatum tenui*, puta ſumet Pontifex. Indicat hæc lex generatim ſuffitum; Tum aromata; Poſtea horum tenuitatem; Denique quantitatem; ultimo, cujus erat hæc ſumere.

§. 186. Vocabulum קטורת generalioris notionis eſt, & notat incenſum qualecunque, ſive ex hac ſive alia conſtet materia. Liquet ex Pſal. LXVI. 15. קטורת אילים *incenſum arietum*, uti recte transfert Vulgatus. Objectum ergo incenſi arietes. Hoc non obſervatum fefellit quosdam ex veteribus interpretibus veluti Targum עם קטורת בוסמין *cum ſuffitu aromatum*; Etiam LXX. μετὰ θυμιάματος καὶ κριῶν, nec non Junium: *Holocauſta pinguium arietum offeram tibi cum ſuffitu.* Ipſa quoque radix קטר generaliter adhibetur, veluti Exod. XXIX. 18. והקטרת & *incendes totum arietem in ara* conf. Levit. I. 9. 13. 15. Unde vocabulo generali commode additur ſpeciale סמים, ut nunc oſtendendum.

§. 187. Vox hæc סמים non notat omnis generis aromata, veluti quorum uſus ad cibum condiendum, ſed nonniſi, quæ odoris ſuavis excitandi gratia incendi ſolent. Rationes ſunt: 1. Comūniter conſtruitur cum קטורת *ſuffitu* h. l. v. inſuper Exod. XXX. 6. XL. 26. 2. Chron. II. 3. XIII. 11. Exod. XXV. 6. XXXI. 11. XXXV. 8. 15. 28. XXXVII. 29. XXXIX. 28. Lev. IV. 7. Num. IV. 16. 2. Species, quæ ſubjiciuntur, hoc ipſum probant Exod. XXX. 34. *Stacte*, *Onyx*, *Thus ſunt Aromata*, quæ incenduntur. 3. Moſes hinc diſtinguit à בשמים *aromatibus*, quorum in unguento uſus vid. Exod. XXX. 23. Non ſequitur LXX. non diſtinguere inter סמים & בשמים, utrumque vertere, modo per θυμίαμα, modo per ἄρωμα, modo per σύνθεσις, modo per ἥδυσμα. Notiones vocum hebraicarum tuto diſcimus non ex LXX. ſed ex uſu in Textu Hebraico. Nec etiam curamus alias verſiones, non ſatis juxta fontem diſtinguentes, forſan ex defectu vocum diſtinctivarum.

rum. Præferrem tamen verſionem : *Aromata fragrantia*, wohl riechende Speecereyen.

§. 188. Quando vero ſpecies aromatum, quæ præſtantis odoris gratia incendi ſolent, plures ſunt, quæritur, an certæ ſumendæ fuerint, vel an ſelectus penes Pontifices fuerit liber ? Reſp. Certæ erant ſumendæ. Aliæ tamen prioribus pro lubitu Eccleſiæ ſuperaddi poterant. Judico enim eundem ſuffitum quotidianum non alium eſſe ab hoc, qui in ſanctiſſimum inferebatur. Alioquin ſpecies aliæ diſerte expreſſæ fuiſſent. At ejus ſpecies partim erant determinatæ, partim liberæ, ſicut conſtat ex Exod. XXX. 34. 35. *Et dixit Dominus ad Moſen : Accipe tibi* סמים *aromata ad incendendum*, (ſcil.) *ſtacten, & onychem & galbanum, aromata, præprimis thus purum.*

§. 189. Ex determinatis ſpeciebus *prima* eſt נטף generatim *gutta*, quæ ex arbore ſtillat. Sed ex qua ? Si Schindlerum & alios ſequimur, *ex myrrha*, ſed juxta Judæos ex *opobalſamo*. Hos illis præferrem, quia hebræi proprium *myrrhæ* nomen habent, quod jam exſtat hoc ipſo capite Exod. XXX. 23. Dein opobalſamum inter aromata odorifera eminet, reperiundumque in Judæa erat. *Altera* שחלת, LXX. ὄνυξ *onyx*, quos plures alii antiquiores & recentiores ſequuntur, habeturque peti ex conchylio, quod purpuræ ſimile. *Tertia* חלבנה *galbanum*, gravis odoris, qui nidore ſuo etiam ſerpentes fugare dicitur. Pinguis naturæ videtur, ut origo indicat. Pinguia incenſa male olent. *Quarta* ſpecies לבונה זכה *thus purum*, quod opponitur impuro, viliori. Hujus aromatis frequens in ſacris Judæorum uſus, quod ex ſola Arabia, nec ex tota, Plinio notante, afferri ſolet. *Quinta* à quibusdam *ſal* dicitur. Et recte. Vel quid ſibi vult ממלח Exod. XXX. 35. ? Qui notionem *mixtum* voci adſcribunt, eam ex lingua Hebraica nunquam probabunt. Dein commixtio aromatum jam erat præcepta verbo immediate antecedente *operis apothecarii.* Notio vero *ſalitionis* certiſſima eſt & conſtans. Inſuper dona Dei ſale conſperſa poſtulantur Lev. II. 11. Confirmant hoc ipſum Judæorum Traditiones, ſicuti inferius dicetur.

§. 190. Alias aromatum odoriferorum ſpecies liberas conjectando aſſequor ex Lege principali Exod. XXX. 34. *ſume* tibi סמים, *guttam*,

guttam, onychen & galbanum סמים & *thus purum.* Bis memorat סמים. Dices esse nomen generale aromatum. Recte. At suffecisset semel genus indicasse. Quare duabus vicibus in uno eodemque versu recurrit? Probabilis ratio, quod Ecclesiæ potestas detur alias adhuc species expressis addendi. Igitur altera vice legitur סמים, ut sciamus species memoratas non restrictas esse. Bene Oncelos in translatione bis retinuit בוסמים (forsan hinc germanorum Bisam). Male Lutherus & alii secundi nullam habent rationem, quasi redundaret. Sed LXX. videntur vertisse ἡδυσμοῦ & Vulgatus *boni odoris*, verum non possum probare. Etenim jam hoc in versu dictum, quod galbanum ex סמים sumendum sit. Berlenburgenses aliter difficultatem sustulerunt transferendo: Diese wohlriechende Specereyen nebst einem Weyhrauch. Sed non lego הסמים *hæc aromata* sed סמים *aromata.* Quare Legem ita intelligo: *sume aromata*, scil. *guttam, onychen, galbanum;* sume etiam *aromata* alia, *imprimis thus purum.* Particulam Hebræorum ו & Græcorum καὶ poscere vel saltem admittere notionem *imprimis* plures observarunt. Dein huc cum aliis refero Jer. VI. 20. *Quid mihi thus* (quod) *è Scheba venit*, וקנה הטוב *& calamus bonus è terra* longinqua? Judæi opinabantur, se Deum Israelis singulariter honorare aromata optima multo ære è terra longinqua adferendo; At Deus Spiritus reprehendit eorum stultitiam: *Quid mihi?* Nolite putare me his deliciis capi. Jam vero sciendum est, quod calami odorati inter aromata suffitus nulla expressa injiciatur mentio. Et tamen juxta hunc verborum sensum ejus usus erat in templo. Forsan dices: Inter aromata suffitus non quidem reperitur, sed unguenti v. Exod. XXX. 23. Non existimo: Unguentum, de quo loco cit rarissime conficiebatur. Et ut videtur Jeremiæ ævo prorsus non. Ne alia dicam. Confirmatur insuper ex Jes. XLIII. 24. *Non emisti mihi argento* קנה *calamum* odoratum. Quem ad finem? Alium nescio, quam ad suffitum faciendum. Quod quoque *Cel. Vitringa* probat *in Comment. ad h. l.* Accedunt constantes Traditiones Ecclesiæ Judaicæ de aliis etiam aromatum speciebus ad suffitum adhibitis.

§. 191. Et sunt sequentes: *Prima* מר *myrrha*, à voce Hebraica ob amaritudinem dicta, quæ habetur lachryma arboris, quæ in Arabia reperitur, estque varia, conf. Cant. V. 1. incensa odorem suavissimum edit. *Secunda* קציעה *casia*, cujus mentio fit Ps. XLV. 9.

annumeraturque odoriferis. *Tertia* שבולת נרד *ſpica nardi*, quæ perquam odorata dicitur, non vero nardi radix. Conf. Marc. XIV. 3. *Quarta* כרכום *crocus*, cujus quoque inter præſtantiora aromata mentio Cant. IV. 14. *Quinta* קשת *coſtus*, cujus radix eximii odoris. *Sexta* קלופה *cortex odoratus*, qui idem habetur ac קנה Eſai. XLIII. 24. *Septima* קנמון *cinnamomum*, frutex ſuavis odoris, conf. Prov. VIII. 17. Cant. IV. 14. *Octava* מלח סדומית *ſal ſodomiticum* ex lacu hujus nominis ſumtum, cujus quoque in Sacrificiis erat uſus. *Nona* כיפת הירדן *ambra jordanis*, herba ad jordanem creſcens. *Decima* עשב אחד שמעלה עשן *herba, quæ fumum recta aſcendere facit*, quod arcanum penes familiam Abtines erat, quo ſuffitus baculi inſtar rectus aſcendebat.

§. 192. Si Judæos audimus, ſpeciatim Maimonidem in Tr. כלי המקדש C. II. tradunt אחד עשר סממים נאמרו לו למשה בסיני והם שעושין אותן במשקל (*Undecim aromata Moſi in monte Sinai tradita ſunt, quæ certo pondere ſumebantur.* Credat Judæus. Non ego. Facile quidem credo, quod poſteriori tempore ſuffitus ex tot aromatibus conſtiterit, nunquam tamen Originem arceſſerem à mandato, quod ipſe Deus Moſi in monte Sinai dedit. Vel quæ ratio, quod quædam aromata nominibus ſuis à Moſe expreſſa ſint, alia non? Nullum video arcanum ſapientibus ex cauſis tacendum in non expreſſis. Arceſſo potius à libertate ſynedrio data ad aromata, prout viſum, augendum, tanto magis, quod lex ipſa bis memoret סמים, סמים, *aromata, aromata*, v. §. 190. Quale Judicium quoque reperio penes *Celeb. Vitringam in Comment. ad* Jes. XLIII. 24. *Non opus eſt hic jactare Traditionem in Sinai acceptam. Sufficit poſteros, qui ſedebant in cathedra Moſis ad ſuffitui huic aromatico majus conciliandum pretium & ſummam fragrantiam ita ſtatuiſſe, idque Prophetæ (ævo) jam uſu fuiſſe receptum.* Alias præter memoratas apud Moſen ſpecies in ſuffitu quotidiano ſub Templo II. incenſas fuiſſe fatis clare docet *Jacobus Meyer*, olim Profeſſor & Paſtor Bremenſis clariſſimus, qui eruditiſſimam Diſputationem *de ſuffitu* jam ab initio hujus Seculi MDCC. publicavit, & plene hoc de Themate Lectores avidos inſtruit, quem non ſine uſu ante plura luſtra legi, quique breviter à me dicta pluribus deducit. Vir hic laudatus citat ex *Syracide* C. XXIV. 17. 18. teſtimonium memorans inter aromata ſuffienda

da *Myrrham* & *Cinnamomum*, quorum Moſes non meminit. Citat dein *Joſephum*, ipſum Sacerdotem, adhuc vivum ſtante Templo II. qui numerum ſpecierum ad XIII. extendit. vid. *Diſſert. cit.* §. 26. pag. 48. 49.

§. 193. Quod jam ſemel ac iterum reprehendi, poſteros majorum conſtitutiones admodum elumbibus argumentis è Lege probare; reprehendendum denuo in hoc, quod præ manibus habemus, themate. Adeo ut vel inde eluceat Traditionem, quam à Moſe derivant, falſam eſſe. En argumentum *Raſchii* omni robore deſtitutum in *Comment.* ad Exod. XXX. 34. ex Translatione *Breithauptiana. Rabbini noſtri* ex hoc verſu *docuerunt, quod undecim (ſpecies) aromatum fuerint (à Deo) Moſi in (monte) Sinai;* Quibus argumentis? סמים *aromata* in plurali ad minimum duæ (comprehenduntur aromatum ſpecies, dein dicitur) *ſtacte* (vel ut ſupra translatum *opobalſamum*) *& onyx atque galbanum* iſta tria; Ecce ergo *quinque* (poſtea iterum dicitur hic) סמים *aromata, ut comprehendantur tot ſpecies aliæ aromatum* quot ſunt iſtæ. *Ecce decem, atque thus. En undecim (aromatum ſpecies) ſunt autem iſtæ ſtacte & onyx, galbanum & thus, myrrha & caſia, ſpica nardi & crocus. Ecce octo nam ſpica nardi eſt una (aromatis ſpecies) quia nardus ſimilis eſt ſpicæ. Item coſtus, cortex odoratus atque calamus aromaticus & cinnamomum. Ecce undecim (aromatum ſpecies.)* Bene notat Breithauptius quod dictio הקנה *calamus aromaticus* videatur delenda, alias non undecim, ſed duodecim eſſent ſpecies. Una eademque ſpecies eſt קלופה & קנה v. §. 190.

§. 194. Eidem liberæ majorum conſtitutioni adſcribo, quod aromata pro toto anno ſimul confecta. Dein quod certum pondus uniuscujusque aromatum ſpeciei definitum fuerit. ſcil. ut Maimonides habet in Tr. כלי המקדש Cap. II. נטף ושחלת וחלבנה ולבונה מכל אחד משקל שבעים מנה והמנה מאה דינרים ומר וקציעה ושבולת נרד וכרכום מכל אחד ששה עשר מנה קושט שנים עשר מנה קנמון תשע׳ מנים קלופה שלש מנים משקל הכל שלש מאות וששים ושמונה מנה שחוקין הכל הדק ומוסיפים לה רובע הקב מלח סרומית וכפת הירדן ומעלה עשן Ex quolibet ſequentium aromatum, ut *opobalſamo, onyche, galbano atque thure* LXX. *minas, quarum una*

 pondus

pondus C. Denariorum habet, sumebant. Sed ex unoquoque istorum, myrrha, casia, spica nardi, croco XVI. minas: De costo XII. de cinnamomo IX. de calamo aromatico III. unde Numerus CCCLXVIII. Minarum exsurgit. Hæc omnia probe contundebantur. Addebant dein quartam cabi partem ex sale sodomitico, succino jordanis & aliquantulum de herba, cujus virtute fumus recta ascendit. Eodem refero modum, quo suffitus præparatus dicitur in hoc ipso *cit. Maimonidis Tractatu & Capite* ביצד מפטימין את הקטורת מביא תשעה קבין בורית כרשינה ׃ שף כה את הצפורן ואחר כך שורה את הצפורן באחר ועשרים קב של יין קפרישין או יין לבן ישן חזק ביותר ואחר כך שוחק כל אחד מן הסממים בפני עצמה הדק ובשהוא אומר הדק הטוב הדק הטוב כל זמן ששוחק ומערב הכל *Quomodo præparant hunc suffitum? Adducit novem cabos saponis carschinæ & abradit cum illo onychen* (quo purgetur ab omni impuritate adhærente) *& deinceps madefacit eandem in undecim cabis vini capparis aut vini veterni albi, valde fortis. Et postea unamquamque speciem ex aromatibus seorsim minutim contundit: Dum vero contundit, dicit: Comminuere quam optime; comminuere quam optime, idque per totum tempus, quo illa omnia tundit & miscet.* Existimo igitur quinque tantum species, de quibus §. 139. egi, Lege divina determinatas, reliquas vero à sapientibus inventas ac ordinatas fuisse juxta potestatem, quam Ecclesiæ Antistites acceperant. Quod posterius etiam judico de aliis supra allegatis nec reperiundis in Lege Mosis scripta.

§. 195. *Præterea ad aromatum tenuitatem*, quam indicat vox דקה *tenuis.* Notio hæc certa est. Constat ex radice דקק *comminuit, attenuavit.* Dein ex usu. Nam opponitur *crassis, pinguibus*, ut spicis, vaccis, Gen. XLI. 5. 6. 24. Confertur cum rebus tenuibus Exod. XVI. 14. Jes. XXIX. 4. unde interpretes conveniunt. LXX. λεπτὴν. Oncelos דקיקין כתישין *contusa.* Vulgatus versionem vocabuli omisit. Causa hic haud est difficultas; convenit cum substrata materia. Aromata crassa, solida minus commoda sunt ad suffiendum, sed comminuta, attenuata. Pontifex itaque Legi satisfecit, adhibens aromata tenuia.

§. 196. Recentiorem itaque habemus Ecclesiæ Judaicæ Constitutionem, qua aromata subtiliora subtilibus in suffitu quotidiano adhi-

adhibenda conſtituebantur. Argumentum & alia, quæ ex Judæorum ſcriptis excerpta ſubjiciuntur, de novitate teſtantur. Raſchius ad noſtrum Locum hæc habet. מה תלמוד לומר דקה והלא כל הקטורת דקה היא שנ׳ ושחקת ממנה הדק אלא שתהא דקה מן הדקה שמערב יום הכפורים היה מחזירה למכתשת *Quid ſibi textus vult voce* דקה? *Annon omnis ſuffitus tenuis? Sicuti reperitur* Exod. XXX. 36. & contundes ex eo minutim. Id vult Textus, ſcil. *ſuffitum tenuem ex tenui*, ſive illo ſubtiliorem requiri, nam *ſub veſpera Diei Expiationis mortario indebatur ad contundendum.* Pariter Abarbanel fol. CCXLIX. II. i. m. כלי מלא קטורת דקה מן הדקה *Vas ſuffitu aromatum ſubtiliſſimo repletum* conf. *Jalkut Simeonis* t. i. f. CLXV. *inf. m.* cujus poſteriora tantum verba hac de re exſcribam כיצד הוא עושה מפריש שלשת מנין מערב יום הכפורים למלאות ממנו מלא חפניו מחזירה למכתשת כדי לקיים בה דקה מן הדקה *Qua ratione* ſuffitum ſubtiliſſimum *componebat? Veſpera ante Diem Expiationis tres minas ſeponebat, ut inde Pugillos ſuos compleret: Indit illas mortario, quo ſuffitum ſubtiliſſimum habere poſſet.*

§. 197. *Denique attendimus ad aromatum quantitatem*, de qua Moſes מלא חפניו *Plenitudo pugillorum ſuorum* חפנים accurate non notant χεῖρας, manum, Hand, ut LXX. Vulgatus, Lutherus vertunt, ſed pugillos, Fäuſte. Miſchnici hoc ſenſu radicem חפן *pugillis cepit*, adhibent. Etiam Arabes farinam *cepit duabus manibus*, aut potius *pugillis*, quomodo quoque transferunt Syrus, Arabs, Samaritanus, S. Schmidius & alii. Convenit vocis uſus Exod. IX. 8. Ezech. X. 2. Utroque pugillo aromata capiebantur; Quemadmodum ſcire licet, tum ex voce חפנים, quæ ſingularem non habet, tum ex affixo חפניו *pugillis ſuis.* Hinc Arabs: *Ambobus pugillis.* Pugilli quoque erant aromatibus adimplendi; *Sumet Pontifex plenitudinem pugillorum ſuorum*, quantum utroque pugillo capere poteſt. Denuo more Hebræorum, quos Scriptores Novi Teſtamenti imitantur, ſubſtantivum loco adjectivi eſt, uti in membro antecedente. Bene Miſchnici monuerunt Tr. Joma. C. V. I. וחפן מלא חפניו ונתן לתוך הכף הגדול לפי גדלו והקטן לפי קטנו וכך היתה מדתו *Et cepit* (Pontifex) *plenis pugillis ſuis, & indidit in acerram. Magnus juxta magnitu-*

gnitudinem suam, & parvus juxta parvitatem suam sumsit: Et sic erat mensura ejus. Alio modo non erat determinata.

§. 198. Lex Mosaica *capiet plenos pugillos suos* præsupponit sumtos hos esse ex majori suffimentorum, quæ aderat, copia. Quantitas vero definita non est, sequente demum tempore definiebatur: Generatim exstat in *Talm. Babyl. Tr. Joma* f. XLVII. *l. cit. init.* מחתה גרושה של קטורת מלשכת בית אבטינס *Acerra suffitu accumulata ex Conclavi Domus Abtines*, ceu in quo aromata hæc à Familia Abtines artificiose præparabantur. Sed specialius in *Tr. Maimonidis* כלי המקדש C. II. שלש מאות וששים וחמשה יום (Lege מנה) כנגד ימות החמה והשלש מנים הנשארות שוחק אותם ערב יום הכפורים דקה מן הדקה עד שמוציא ממנה מלא חפניו להקטיר ביום הכפורים *Erant CCCLXV. Minæ pro numero dierum anni solaris. Reliquæ tres minæ in Vespera Diei Expiationum ita contundebantur, ut ex aromatibus jam tenuibus tenuiora fierent. Unde Pontifex duos pugillos suos ad adolendum depromserat.*

§. 199. Ut modo dicta intelligantur, Lucem adferam ex Glossa Bartenoriana ad *Tr. Mischn.* שקלים C. IV. 5. Ex Mose constat singulis diebus bis mane & sub vespera suffitum fuisse incendendum; At Die Expiationum ter. Mensura suffitus quotidiani מנה *mina.* Per integrum annum solarem igitur poscebantur CCCLXV. Minæ. Quoniam vero in universum pro anno constitutæ erant minæ CCCLXVIII. tres residuæ erant. Ex his tribus Pontifex sumserat duos pugillos plenos. Qui vero לא היו נכנסין כולן בחפניו *non tota pugillis comprehendebantur*, *Mischna cit.* tradente, מותר residuum *commune declarabant, ac loco mercedis operariis dabant.* Non vero in suffitum sequentis anni adhibebant. Quin ex bonis cœtus publicis denuo emerant. *Ingredientia* supra notata, quæ pro suffitu annuo postulabant ad quantitatem CCCLXVIII. *minarum.*

§. 200. Eadem lex, de qua §. 197. etiam infert aliud vas, in quod Pontifex aromata pugillis capta evacuaverat, ad manus fuisse. Neque enim prehensa aromata statim igni imposuerat. Et altera manus libera ad gestandum πυρεῖον poscebatur. Hoc est illud ipsum

vas,

vas, cujus Mischnici in *Tr. Joma* C. V. 1. mentionem injiciunt הוציאו לו את הכף *apportarunt ei acerram.* Quando statim additur ואת המחתה prudenter observat Sheringhamius aliud hoc esse à מחתה *thuribulo*, de quo §. 169. quod LXX. commode vertunt πυρεῖον, vas igni asservando destinatum. Ergo alii usui inserviverat המחתה C. V. 1. Cui? Thuri è conclavi Abtines ad Pontificem ferendo, v. §. 197. unde statim additur *& cepit plenis pugillis suis* puta ex מחתה allato; Sed aromata pugillata postea indebantur in כף. Desunt nomina, quæ vasa varii usus apte distinguunt. Ferme putassem hæc duo vasa כף & מחתה respondere duobus vasis in suffitu quotidiano, de quibus Mischna *Tr. Tamid* C. V. 4. מי שזכה בקטורת היה נוטל את הכף והכף דומה לתרקב גדול של זהב מחזיק שלשה קבין והבזך היה בתוכה מלא וגדוש קטורת וכסוי היה לו וכמין מטוטלת היה עליו מלמעלן *Qui dignus habebatur ad suffitum, sumebat vas, quod vas simile erat modio majori aureo continenti tres cabos & patera erat in medio ejus impleta & accumulata suffitu; Operculum habebat & linteum quoddam superne impositum erat.* Recte ordinarii interpretes notant vas minus, sive acerram minorem suffitu accumulatam intra majorem ponendam fuisse, ut si ferendo aromata deciderent, inciderent in hanc, non vero in pavimentum. Quare cogitaveram eandem curam adhibitam in ferendo suffitu in sanctissimum, adeoque duo quoque vasa Pontifici fuisse allata.

§. 201. Attendendum tandem ad eum, cujus erat aromata pugillis capere. Hic non alius esse poterat, quam Pontifex, quod nexus Legis Lev. XVI. 12. & constans Traditio vult. Et is jam officio suo satisfecit, si simpliciter & absque difficili arte pugillos suos suffimento implevit. Qui communiter plebi gravia imponunt onera, nec ea digitis suis attingunt, etiam ex nimia scrupulositate Pontificis digitos torquent præscribentes sequentem pugillationem. Pontifex *tribus digitis operuit volam & in pugillum accepit & in craticulam & in patellam abrasit pollice, quod supra erat & minimo digito, quod infra*, sicuti Sheringhamius ex *Gemara Babylonica ad Misch. cit.* docet.

§. 202. *Considerandus porro venit incensionis Locus. Et inferet intra*

 velum

velum v. 12. Bene LXX. Καὶ εἰσόσει ἐσώτερον τȣ̃ καταπετάσματος. Non item Vulgatus: *Ultra velum intrabit in sancta.*

§. 203. Antecedentia & consequentia postulant Pontificem gestasse tum πυρεῖον, tum acerram thuris. Neque enim vel in atrio vel etiam in sancto aromata incendebantur. Intra velum demum aromata igni sacro injicienda erant v. 13. unde nunc porro sequitur, utramque Pontificis manum onustam extitisse, unam vase cum prunis, alteram cum thure. Id quod si observamus, Lucem dabit Quæstioni: *An Pontifex juxta Legem Mosis una tantum, an pluribus vicibus in sanctissimum ingressus fuerit?* De qua vero infra.

§. 204. Traditionarii ultra progrediuntur, & etiam docent, quodnam vas dextra & quodnam sinistra gestatum fuerit? *Tr. Joma* C. V. 1. נטל את המחתה בימינו ואת הכף בשמאלו *Thuribulum*, in quo prunæ, *dextra*, *sed acerram sinistra accepit.* Rationem Glossa Bartenoriana hanc dat לפי שהיא כבדה וחמה וכף הקטורת קלה הימנה *Quia* πυρεῖον *grave atque calidum* (nam longo satis tempore, quo prunæ in vase, etiam manubrium calidum reddebant) *sed acerra suffitus levior.* Alias, uti judicat *Maimonides*, secundum statuta acerra dextra tenenda esset כבר ביארנו שהולכה בשמאל פוסלת בדם הקדשים ושאר העבודות לפי' היה מן הדין שיוליך המחתה בשמאלו וכף הקטורת בימינו אבל מפני כובד המחתה עוד שהוא חמה אינו יכול לסובלו בשמאלו: *Jam diximus apportationem sanguinis sacrificiorum, atque etiam in reliquis functionibus, quæ manu sinistra fit, temerare: Justum igitur esse, ut* πυρεῖον *sinistra, acerra dextra portaretur. Hic vero obstabat tum pondus, tum calor, ut Pontifex* πυρεῖον *manu sinistra in adytum inferre non potuerit.* v. *Tract. de solenni Die Expiationum.* Textus Gemaricus ænigmaticam perhibet rationem יציבא בארעא וגיורא בשמי שמיא *indigena in terris & advena in cœlis cœlorum. Talm. Babyl. Joma* f. XLVII. i. m. uti vertit *Buxtorfius P. Lex Talm.* p. 971. Dictum videtur proverbiale docens majori affici honore, cui minor competit. Unde *Lippmannus* dictum hoc vocat ספרא בעלמא & Aruch משל *proverbium.* Qui exponit משל הוא כלומר האזרח למטה והגר למעלה הגחלים בימין והקטורת בשמאל: *Proverbium est indigena infra,*

infra, sed peregrinus supra: Prunæ sunt in manu dextra, & suffitus in sinistra.

§. 205. Via, quæ Pontifici, stante Tabernaculo, calcanda, sequens erat. Ex quo cum πυρείῳ de ara descenderat & in atrio Sacerdotum pugillos suos aromatibus impleverat indideratque in acerram, progressus erat ad sanctum, quod remoto velo intraverat, perrexeratque ad velum alterum, quo quoque amoto penetraverat in sanctissimum, id quod Moses docet. *Inferetque intra velum* vid. quæ supra ad v. 2. de phrasi מבית לפרכת §. 19.

§. 206. Ut nullum supersit dubium, ostendendum פרכת non aliud notare velum, quam quod suspensum inter sanctum & sanctissimum. Nominis ratio paulo obscurior. Videtur tamen dici à פרך *sævitia* v. Exod. I. 13. Ezech. XXXIV. 4. vel gravissima indignatione Dei, ut vel ipsum nomen terrorem incutiat. Recte audit à *sævitia*, quippe si audacior quis intra illud intraret, mortis, quam ipse Deus immediate immittit, reus existeret. Dein publice docuerat viam ad Deum nondum esse apertam Hebr. IX. 8. Deum cum peccatoribus nondum esse reconciliatum. Clarius ex usu vocis constat. Illud enim velum פרכת dicitur, quod מבדילה *distinguit* inter sanctum & sanctissimum Exod. XXVI. 33. extra quod altare suffitus Exod. XXX. 6. Mensa Exod. XXXVI. 35. Lychnuchus Exod. XXVII. 20. 21. Exod. XXVI. 35. & intra quod arca testimonii Exod. XXVI. 23. versus quod sanguis spargebatur Lev. IV. 6. Lev. XVI. 15. quodque à מסך *velo* distinguente sanctum ab atrio varie differt. conf. Exod. XXVI. 31. &c. Hoc posterius nunquam פרכת audit, neque prius simpliciter מסך sed conjunctim פרכת המסך Exod. XXXV. 12. XL. 21. Num. IV. 5. ab usu, quia contegit & intuitum ad arcam prohibet Exod. XL. 3. סכת, & *teges super arcam velum* sive obduces. LXX. constanter καταπέτασμα transferunt, nunquam κάλυμμα, quod frustra ad Exod. XLI. 21. *Conr. Kircherus* vult. Hinc etiam Scriptores N. Testamenti *velum adyti* indigitaturi hac voce utuntur Matth. XXVII. 51. Hebr. VI. 20. IX. 3.

§. 207. Mischnici ingressum Pontificis sequentem in modum tradunt: היה מהלך בהיכל עד שמגיע לבין שתי הפרוכות המבדילות:

בין הקדש ובין קדש הקדשים וביניהן אמה ר׳ יוסי אומר לא היתה שם אלא פרוכת אחת בלבד שנ׳ והבדילה הפרוכת לכם בין הקדש ובין הקדש הקדשים החיצונה היתה פרופה מן הדרום והפנימית מן הצפון מהלך ביניהן עד שמגיע לצפון הגיע לצפון הופך פניו לדרום מהלך לשמאלו עם הפרוכת עד שהוא מגיע לארון הגיע לארון נותן את המחתה בין שני הבדים Interprete Eruditiſſimo Sheringhamio: Aharon *in ſanctuarium ibat donec inter duo vela pervenerat quæ inter ſanctum & ſanctum ſanctorum dividebant & cubito inter ſe diſtabant. R. Joſe dicit, unum duntaxat erat velum ; quia dicitur*, & dividet velum vobis inter ſanctum & ſanctum ſanctorum. *Exterius duplicatum erat à meridie, interius à ſeptentrione. Ibat inter ea, donec ad ſeptentrionem pervenerat ; cum ad ſeptentrionem perveniſſet, facie in meridiem verſa ſiniſtrorſum ibat prope velum, donec ad arcam pervenerat : Cum ad arcam perveniſſet, Thuribulum inter duos ejus vectes collocabat.* v. *Tr. Joma* C. V. 1.

§. 208. Hæc παράδοσις ſatis confuſa eſt. Non enim quadrat in Tabernaculum ; Non in Templum primum ; Non etiam in Templum II. Non *in illud:* Tabernaculo fixo unicum tantum ſuſpenſum erat velum Exod. XXVI. 31 - 35. Non *in iſtud ;* Quippe Templum primum oſtio ad adytum erat inſtructum 1. Reg. VI. 31. &c. habebatque, ut videtur, unicum velum 2. Chron. III. 14. Non *in hoc :* Ceu deſtitutum *arca Teſtimonii*, ut mox infra probabitur. Duo tamen vela numerantur, ut etiam legimus penes *Maimonidem Tr. de Domo ſelecta* C. IV. §. 2. ex interpretatione L. C. D. V. *Vela ſunt adhibita duo, unum ab extrema parte ſancti & alterum ab extremo ſancti ſanctorum. His intermedium erat ſpatium unius cubiti idque vacuum, quod illius in æde prima muri latitudinem repræſentabat.*

§. 209. Hoc cubitale vacuum inter duo vela in Tr. מדות C. V. 7. dicitur טרקסין (non vero ut vitioſe legitur טרקלין) *Taraksin* citra dubium peregrina eſt vox. hinc difficilis intellectu. Circa ejusmodi voces Rabbini ſunt communiter infeliciſſimi Etymologi. Novum experimentum habes in Bartenora & Raſchio. Ille in Annot. ad l. cit. כותל המפסיק בין ההיכל לבין קדש הקדשים קרוי טרקסין

טרקסין על שם שסוגר על הארון והלוחות שנתנו בסיני טרק כלשון ארמי סגירת במו׳ טרוקו גלו סין סיני *Paries inter sanctum & sanctissimum vocatur* טרקסין *quia & arcam & tabulas in Sinai datas claudebat.* טרק *enim claudere notat, uti* טרוקו גלו *claudite januam,* סין *vero Sinai.* Sed hic *ad Talm. Babyl.* fol. LII. 1. ait habere לשון פנים וחוץ *significatum intus & extra. Relandus in Antiq. Jud.* P. I. C. XV. in vocabulis peregrinis enodandis felix scrutator persicum nomen esse putat, notare *introitum electum. Const. Lempereur* pro græco ταράξις probabiliter habet, quia Architectorum mens veluti perturbabatur; nam anxii erant se vel in hanc vel illam partem peccare. *Aruch* fol. LXXIII. 2. agnoscit esse vocem græcam & idem notare ac מספקא להו אי כלפנים אי כלחוץ *dubium illis, an ad interiorem ad exteriorem locum pertineat.*

§. 210. Omnino videtur peculiaris fuisse ratio, tum spatii cubitalis vacui, tum etiam duorum velorum. Non enim hæc fecerunt ad ornatum, multo minus Architecti habendi sunt studio contrarium fecisse, quod olim erat in Tabernaculo & Templo primo. Quare existimo probabile quam maxime esse Architectos Templi II. dubio animo hæsisse, num paries cubitalis sanctum inter & sanctissimum sub Templo I. pertinuerit ad adytum vel sanctum. Ne igitur errarent, duo suspenderant vela, ut tradit *Bartenora ad Middot* C. IV. 7. לפי שנסתפקו בבית שני אם המחיצה המבדלת בין הקדש ובין קדש הקדשים שהיתה בבית ראשון והיה עוביה אמה אי אותה אמה כלפנים או כלחוץ לפיכך עשו שתי פרכות אחת חיצונה ואחת פנימית וביניהן אויר אמה לקלוט ביניהן אויר מקום המחיצה *Quoniam in Templo secundo (exstruendo) dubii hærebant, num illud interstitium Templi primi, quod unius cubiti distinguens sanctum à sanctissimo ad exterius, an interius latus pertineret, duo vela, unum interius, alterum exterius confici curabant, intra quæ spatium illud cubitale vacuum relinquebatur.* Hinc, observante L'Empereur, Lux affunditur loco Hebr. IX. 3. μετὰ τὸ δεύτερον καταπέτασμα *post secundum velum* ex duobus his, ac intelligitur, quod proximum adyto.

§. 211. Duo hæc vela sub Templo II. loco Mischnæ citato dicuntur פרופות. exterius à latere meridionali sed interius à sep-

tentrionali. Quid autem hoc sibi velit, inquirendum est. Sheringhamius *duplicatum* vertit, sed hunc vocabuli פרופה significatum ex Testimoniis vix probabit. Rectius verto: *Exterius à meridie erat fibula commissum, sed interius à septentrione*, quo aditum & intuitum recte occludat. Nisi enim vela mediantibus fibulis lateribus annexa fuissent, facile Sacerdos nimis curiosus penetrale Regis Israelis intueri potuisset. Ne igitur ansa ejusmodi scelus patrandi daretur, vela ansulis ad latera applicabantur. Commode hæc dici nemo negabit; quare restat, ut hunc significatum vocis probemus, atque hoc facili labore fiet. Ipse Buxtorfius observat פרף notare *annectere, conjungere*. Speciatim *fibula*. Et פרפא *fibulam* notat. Hinc Targum loco קרס legit פורפא. Insuper certum est, hæc à Græcorum *πόρπη fibula, πορπέω* & *πορπάω infibulo, astringo descendere*. Tandem ex duobus Glossatoribus Bartenora & Lippmanno ad cit. l. idem referam. Ille ראשה כפולה לצד החיצון ונאחזת בקרס של זהב *extremum veli ad latus exterius duplicatum erat & uncino aureo commissum*. At hic הפרכות על פני כל הדביר מכותל הצפון עד כותל הדרום ושם בכותל דרום נכפלה ר"ל היתה ארוכה יצאת לחוץ לתוך ההיכל׃ ונאחזת בכותל הדרום בקרס *Vela per omnem adyti latitudinem à pariete septentrionali ad parietem meridionalem pendebant: Ad parietem meridionalem velum replicabatur sive protendebatur extra versus sanctuarium atque fibula parieti meridionali annectebatur.*

§. 212. His cognitis haud difficulter concipere possumus, quomodo Pontifex ex sancto sanctissimum ingressus sit. scil. Velum exterius fibula ad parietem meridionalem alligatum solvebat. Dein intrabat intra illud, atque ab hoc latere per spatium illud cubitale vacuum ibat usque ad parietem septentrionalem, ubi pariter interius velum ibi annexum solvebat, & prope velum sinistrorsum incedens tandem ad locum, in quo olim arca stabat, perveniebat. Quod interius velum non eo in latere solverit & reduxerit, quo exterius, non alia mihi videtur ratio, quam ut locus sacerrimus magis contectus sit & omnem introspiciendi occasionem præcludat.

§. 213. Suboritur tamen difficultas. Quomodo Pontifex utraque manu onustus fibulas utriusque veli solvere poterat? Statuendum esse puto, quod vasa, saltem πυρεῖον tantisper deposuerit,

tum

tum fibulas solverit, & postea resumtis demum in adytum ingressus fuerit. Hæc ipsa difficultas videtur ansa singularis opinionis, quam Abarbanel de introitu foverat, ut exstat *in Comment. Legis* f. CCXLIX. 2. infra m. הסגן שהיה בימינו וראש בית אב שהיה בשמאלו היו מגביהין הפרוכת או הפרוכות מלפניו ונכנס כ"ג בקדש הקדשים *Suffraganeus, qui erat ad dextram Pontificis & Præfectus Domus paternæ, qui erat ad sinistram ejus, elevabant velum aut duo vela* (quot sub templo) *& ita ingressus est* εἰς τὰ ἅγια ἁγίων. Verum hæc ejus opinio nullatenus stat. Non cum scriptura ob Legem Lev. XVI. 17. *Nullus homo sit in Tentorio Conventûs, quando is* (Pontifex) *intrat ad expiandum in sancto, donec egreditur.* Non etiam cum Traditionibus Ecclesiæ Judaicæ. *Tractatus Joma*, qui plenius Jura Diei Expiationum recenset, ne verbum quidem habet hac de re. Quin contrarium reperimus, veluti apud Bartenoram ad *Tr. Tamid* C. VI. 3. בשעת הקטרת קטרת של יום הכפורי' לא היו פורשים אלא מן ההיכל בלבד לפי שהקטר של י"ה לא היה בחוץ בהיכל על מזבח הזהב אלא לפני ולפנים בבית קדש הקדשים הלכך אין צריך שיפרשו מבין האולם ולמזבח אלא מן ההיכל בלבד *Eo tempore, quo pulvis aromaticus Diei Expiationis incendebatur, non recedebant* (*Sacerdotes*) *nisi ab æde sacra tantum, nam suffitus non exterius in æde* (sive prima ejus parte) *in ara aurea peragebatur, sed interius in loco sanctissimo. Quare non necesse erat, ut recederent à spatio illo inter vestibulum & altare, sed ab æde tantum.* Non eum juvat Textus Mischnicus *Tr. Tamid* C. VII. 1. כיון ששמע הממונה קול רגליו של כהן גדול שהוא יוצא הגביה לו את הפרוכת נכנס והשתחוה ויצא *Postquam audivisset præfectus strepitum pedum Sacerdotis M. quando egrediebatur, elevabat ipsi velum, ingrediebatur & incurvans se exibat.* Etenim Textus loquitur תלוי בפתחו של אולם *de velo suspenso in ostio vestibuli*, ut glossa habet, non de velo aut velis inter sanctum & sanctissimum. Agit de communi incensione per Pontificem in sancto, non de extraordinaria in sanctissimo, unde meminit Pontificis strepitum pedum facientis, quod factum, quando gestaverat pallium cum tintinnabulis, quo vero caruerat adolens in adyto.

§. 214.

§. 214. Confideranda denique incenfio aromatum ipfa, in verbis: *Et imponet fuffitum illum igni coram facie Jehovæ.* v. 13. Συνάφεια ergo poftulat, ut ftatuamus aromata demum in fanctiffimo incenfa fuiffe. Lex enim clare loquitur; *Et inferet intra velum & imponet fuffitum illum igni illi in confpectu Jehovæ.* Alias invertendus effet Legis ordo. Dabit fuffitum fupra ignem, & inferet intra velum. Rabbanitæ, ut diftinguuntur à Sadducæis & Karræis, conftanter & cum zelo ftant pro ordine in Lege. Quo pertinet Teftimonium *Maimonidis in Tr. de Solennitate Diei Expiationis* Cap. I. 7. מפי השמועה למדו חכמים שאין נותן הקטרת אלא בקודש הקדשים לפני הארון שנ׳ ונתן את הקטרת על האש לפני ה׳ *Sapientes ex πατϱοπαϱαδόσεσι audiverunt fuffitum nonnifi in fanctiffimo ante arcam igni imponendum effe, ficuti fcriptum eft,* & imponet fuffitum illum fuper ignem in confpectu Jehovæ.

§. 215. At *Sadducæi*, vel, ut in Gemara Hierofolymitana legitur, Baithotæi (Cel. *Triglandius in Differt. de Karræis* p. 30. intelligit de *Karræis*, ceu quos Rabbanitæ ex invidia Sadducæos appellare folent) contrario acceperant modo, dixerantque fuffitum jam in fanctuario fuiffe accendendum, & poftea demum in fanctiffimum inferendum, de quo idem Magifter *l. cit.* teftatur בימי בית שני צץ המינו׳ בישראל ויצאו הצדוקין מהר׳ יאבדו שאינן מאמינין בתורה שבעל פה והיו אומרין שקטורת של י״ה מניחין אותה לפנים לקדש הקדשים הטעם זה שכתוב בתורה כי בענן אראה על הכפורה אמרו כי הוא ענן הקטרת L. Comp. de Veil interprete, *ftante Templo fecundo nata eft hæresis apud Ifraelitas. Sadducæi (cito pereant!) exftitere, qui Legi fine fcripto traditæ fidem derogarunt: Hi contendebant fuffimentum Diei Expiationum fuper igni ponendum intra fpatium illud, quod erat ante velum, idemque, cum fumum exhalaret, introferendum effe intra fanctum fanctorum: Et rationem fubijciebant, quod in Lege fit:* Quia in Nube apparebo fuper Oraculum: *Nempe volebant iftam effe Nubem fuffimenti.* Auctis vero non folum Sadducæis, fed & Pontificibus hac hærefi infectis neceffe habebat Synedrium Legatos ad Pontifices intraturos adytum eo fine mittere, ut hos juramento obftringerent ad adolendum ex fententia Pharifæorum. Quoniam enim Pontifices foli ingreffi erant, nemo aderat teftans de Loco

Incen-

Incensionis. Egregium prostat hac de re Testimonium Mischnicum in *Tr. Joma* C. I. 5. השביעוהו ונפטרו והלכו להם ואומרים לו אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחינו ושליח בית דין משביעין אנו עליך במי ששיכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו לך הוא פורש ובוכה והן פורשין ובוכים *Adjurabant eum & dimittebantur & abibant. Ita autem ad illum dicebant. Domine Sacerdos Magne! Nos sumus Legati Synedrii: Tu autem Legatus noster & Legatus Synedrii: Adjuramus Te per eum, qui nomen suum hac in Domo fixit, ne quidquam de eo, quod tibi diximus, immutes. Tum ille discedebat atque flebat; Recedebant quoque Legati & flebant:* Ille quidem, quia Legati ipsum Sadducæum suspicabantur; Hi vero, quod in suspicionem vocare debeant hominem, cujus mens incognita. Sed nequidem gravissimum hoc remedium suffecerat testante *Talmude Babyl. Tr. Joma* f. XIX. 2. & *Jalkut* fol. CLXIV. 4. quippe memorat extitisse è Pontificibus, Legis hujus divinæ transgressoribus, qui extraordinarias numinis pœnas dedere.

§. 216. Nec desunt Sadducæis apparentes rationes. Prima est: Lev. XVI. 2. legi, *nam* בענן *in nube videbor supra propitiatorio.* Ergo inferunt nubes sive fumus ascensione aromatum prius in sancto excirandus est. Altera: Nisi fumus jam in sanctuario excitatus fuisset, Pontifex potuisset thronum Dei, & quæ in sanctissimo latere debebant, oculis suis obire. Quod *ad Primam*: Plenius supra de sensu horum verborum actum est §. 22. ad 28. Quod vero *ad alteram*: Quia Pontifex ex præscripto ita ingressus est, non peccavit. Peccat is, qui audax ex curiositate contra voluntatem Dei ingressus est.

§. 217. Incensio aromatum itaque non prius facta, quam Pontifex in sanctissimo erat. Facta autem juxta Legem sequentem circiter in modum: Pontifex πυρεῖον in pavimentum reposuerat. Tum pulverem tenuissimum in πυρεῖον immiserat. Non enim incensio commode concipitur ita acta, ut utrumque vas in manibus tenuerit. Stabat autem Pontifex facie directa ad symbolum nubis supra alas Cherubinorum, utpote lex postulat incensionem לפני יהוה *coram facie Jehovæ.* Non ergo stabat ad latus vel meridionale vel septentrionale adyti. Evacuatione aromatum finita cum acerra rur-

ſum devote egreſſus erat thuribulo, ut videtur, ibi relicto. Non enim probabile, quod tam diu in ſanctiſſimo moratus fuerit, donec uterque pugillus aromatum igne conſumtus fuerit.

§. 218. Merito quæritur, an Pontifex in ſanctiſſimo ſuffiens nullas fuderit preces? Reſp. Nulla in Lege diſerta fit mentio, multo minus proſtat formula precum dicenda. Nihilominus arbitror dicendam fuiſſe. Non enim conveniens, ut aromata absque conſecratione per preces incenſa fuerint. Elementa fiunt Sacramenta, ſi verbum Dei accedit. Suffitus ſymbolice ſiſtit preces juxta Pſal. CXLI. 2. *Diſpoſita ſit precatio* קטורת *ſuffitus*, vel *ſicut ſuffitus coram facie tua.* Recte igitur ad Symbolum acceſſerat Pontificis oratio. Iſrael preces junxerat cum ſuffitu quotidiano: Quare non cum hoc extraordinario v. Luc. I. 10. *Tota multitudo populi erat extra precans* τῇ ὥρᾳ τῦ θυμιάματος. Non miror, nullam expreſſam fieri mentionem, nec proſtare formulam precum. Ejusmodi officia neceſſaria & moralia non indigent ſpeciali mandato. Recte libera relinquebatur fundenda ex animo Pontificis, quali delectatur is, qui preces exaudit. Cujus erat populum ſanguine typice expiare, largam habuerat materiam rogandi Deum, ut propter ſanguinem Meſſiæ fundendum populo ſit gratioſus.

§. 219. Ipſi Traditionarii referunt oratiunculam, ſed in ſanctuario dictam fuiſſe. Tr. Joma C. V. 1. מתפלל תפלה קצרה בבירת החיצון ולא היה מאריך בתפילתו שלא להבעית את ישראל *Brevem orationem in Domo exteriori recitabat, nec diu orationi inſiſtebat, ne Israeli metum incuteret.* Hæc poſteriora Gloſſa Maimonidiana ita explicat שאלו היה מתאחר היו מפחדין שמא אירעו מיתה כי הרבה כהנים גדולים היו מתים בקדש הקדשים אם לא היו ראוין או אם ישנה דבר במשה הקטרת שלא תראה אמר יתעלה לאהרן ולא ימות כי בענן אראה על הכפורת *Illo enim cunctante reliqui timebant Pontificem in mortem incurriſſe, quia plures Sacerdotes magni in ſanctiſſimo mortui ſunt, quando vel inepti erant, vel in ſuffitu aliquid, quod non conveniebat mutaverant. Ita dixit Deus ſummus ad Aharonem* v. 2. Ne moriatur, quia ego in nube ſuper propitiatorium conſpiciar. Huc præprimis facit exemplum *in Talm. Babyl. Tr.* יומא f. LIII. 2. m. ת"ר מעשה בב"ג

בב"ג אחד שהאריך בתפלתו ונמנו אחיו הכהנים ליכנס ואחריו והתחילו הם נכנסין והוא יוצא אמרו לו מפני מה הארכת בתפלתך אמר להם קשה בעיניכם שהתפללתי עליכם ועל בית המקדש שלא יחרב אמר (Lege אמרו) לו אל תהי רגיל לעשות כן שהרי שנינו לא היה מאריך בתפלתו כדי שלא להבעית את ישראל *Tradiderunt Magistri de Sacerdote quodam M.* (qui juxta famam *in Talmude Hierosolym. ejusdem Tr.* fol. XLIII. 2. apud *Ligtfoot* Op. T. II. p. m. 492. Simeon justus fuit) *qui produxit orationem suam. Tum fratres ejus Sacerdotes destinati fuerunt, ut ingrediantur*, (videantque, quid illi contigerit) *quando vero ingredi incipiebant, ille interea egrediebatur, ex quo quærebant : Quare orationem tuam produxisti ? Ille ita : An grave vobis, quod vestri causa supplices preces fuderim, rogaverimque ut Deus templum perennet ? Tum illi : Noli in posterum ita facere : Docemus enim orationi non insistendum esse, ne Israeli metus incuteretur.* Hoc probe notandum ob Luc. I. 21. Καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν καὶ ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν αὐτὸν ἐν τῷ Ναῷ. Etiam Zacharias in sancto suffiens ultra tempus morabatur, quare populus illum exspectabat, imo ἐθαύμαζον non solum *admirabantur*, quia res insolita & institutis contraria, sed & percellebantur, ne forsan infortunium aliquod illi obtigerit. Quomodo θαυμάζειν, uti etiam תמה Hebræorum, à quo græcum probabiliter ortum est, admirationem cum metu conjunctam alibi notat. Apoc. XIII. 3. &c.

§. 220. Imo exemplar formulæ ejusmodi precatoriæ etiam hodie reperitur in Judæorum monumentis. Est vero sequens יהי רצון מלפניך ה' אלהי שאם שנה זו שחונה פי' חמה שתהא גשומה ולא יעדי עבר שולטן מדבית יהודה ולא יהיו עמך ישראל צריכים פרנסה זה מזה ולא מעם אחר ולא תכנס לפניך תפלת עוברי דרכים *Sit voluntas tua, Domine Deus, ut annus hic, si debuisset calidus esse, pluviosus fiat : Neque potestas è Domo Judæ recedat, neque populus tuus fame prematur, ut unus ab altero aut ab alio populo cibum petere cogatur, neve preces iter facientium (qui cœlum serenum semper optant) exaudiantur.* Vide *Maimonidem in Tr. de solenni Die Expiationum* Cap. IV. Quam ingens discrimen inter orationem Pontificis Filii Dei, quæ exstat Joh. XVII. & inter allatam. Non tamen possum credere

 reci-

recitatam fuisse à Pontificibus Spiritu Dei actis, Aharone, Eleasare, & similibus. Ad dedecus Pontificum carnalium, terrestrium servata est hæc formula.

§. 221. Supra §. 217. scripsi, quæ fuerit aromata incendendi ratio juxta Legem Mosaicam. Nunc subjicio, quæ juxta παραδόσεις exstiterit, in quibus quædam probanda, alia vero improbanda.

§. 222. Probo παράδοσιν, quæ exstat in *Tr. Joma* Cap. V. 1.
הגיע לארון נותן את המחתה בין שני הבדים צבר את הקטורות על גבי גחלים ונתמלא כל הבית כולו עשן יצא ובא לו בדרך בית כניסתו *Cum pervenisset versus Arcam, πυρεῖον inter duos ejus vectes collocaverat ac congesserat suffimenta super prunas, unde tota Domus fumo replebatur. Exiverat per viam, per quam intraverat.* Commode hæc dicuntur de tempore, quo steterat Tabernaculum & Templum primum. Tum enim arca vectibus instructa in adyto existebat v. Exod. XXV. 13 - 16. XL. 20. 21. 1. Reg. VIII. 8. Qui steterat inter vectes, ἐν δυνάμει erat coram facie Jehovæ. Probo etiam Glossam Bartenorianam ad verba ultima cit. יוצא דרך אחוריו ופניו לארון *Pontifex egressus erat retrorsum facie ad arcam conversa.*

§. 223. At quia sub Templo II. nulla erat arca, πυρεῖον inter vectes reponi haud poterat. Arcam defuisse Judæi constanter tradunt. Cito Testimonium ex *Talm. Babyl. Tr. Joma* f. XXI. 2. c. m.
אמר רב שמואל בר איניא מאי דכתיב וארצה בו ואכבד וקרינן ואכבדה מאי שנא ומחוסר הי אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני אלו הן ארון וכפורת וכרובים אש ושכינה ורוח הקודש ואורים ותומים *Dixit R. Samuel filius Eniæ: Quid sibi vult Hag. I. 8. & delectabor in ea, & glorificabor* (in Textu est ואכבד sine ה) *legendum* ואכבדה: *Quæ ratio defectus literæ* ה? *Indigitantur quinque illæ res, quæ sub Templo primo erant, sed sub secundo deficiebant, scil. arca cum operculo propitiatorio & Cherubinis, Ignis, Symbolum Præsentiæ Divinæ, Spiritus Sanctus & etiam responsio divina per Urim & Thummim.* Judæo proprium dedecus recensenti facile credimus; Tanto magis, quod sacræ literæ nullam faciant mentionem aræ restitutæ. Si quis plura hoc de themate nosse desiderat, consulat *Joh. Bened. Carpzovii Disput. secundam in Volum. Dissert.*

§. 224.

§. 224. Sed arca licet ſub Templo II. abfuerit, ſuffitus nihilominus in ſanctiſſimo peragendus erat. De hoc audiendus eſt Textus Miſchnicus Tr. יומא C. V. 2. משניטל הארון אבן היתה שם מימות נביאים הראשונים ושתייה היתה נקראת גביהה מן הארץ שלש אצבעות ועליה היה נותן Sheringhamio interprete. *Ex quo abducta eſt arca, lapis ibi erat à diebus priorum Prophetarum & Lapis fundationis fuit vocatus; Altus è terra tribus digitis & ſuper ipſum thuribulum collocavit.* conf. *Maim. Tr.* עבודת י"ה C. IV. & *Abarbanel Comment. in Leg.* fol. CCXLIX. Jam ab ætate Samuelis Lapidis, cui impoſita erat arca, mentio fit 1. Sam. VI. 15. & probabiliter ſubſequente tempore idem obtinuit. Hinc Lapidem in adyto paſſim Scriptores Hebræi memorant. Dicebatur autem שתייה *Lapis fundationis* in cujus demonſtrationis ratione danda diverſæ feruntur ſententiæ. Bartenora ad h. l. על שם שממנה נשתת העולם שבה יסד הקדוש ברוך הוא את עולמו *Quia ex eo mundus eſt fundatus: In eo Deus* εὐλογητὸς *mundum ſuum fundavit.* Quam rationem *ex Textu Gemarico Talm. Babyl. Tr.* יומא fol. LIV. 2. deſumſit. Ubi inſuper opinio R. Iſaaci Fabri exprimitur: אבן ירה הק"בה בים ממנו נשתת העולם *Deus ſanctus & benedictus ille Lapidem in mare projecit, ex quo mundus fundabatur.* Sed hæc Doctiſſimo Anglo interpreti *Tractatus Joma* ridicula, ficta, imo à putido græcorum figmento orta videntur, uti poſt illum quoque ſentit modo laudatus *Carpzovius.* Verum quod his ridiculum videtur, Celeberrimus Theologus *Joh. van der Wayen* graviſſimum judicat, ceu quod priſcam κατήχησιν manifeſte redolet, atque Meſſiam primogenitum omnis creaturæ refert: Vide illum *in Diſſert. de Hirco Azazel Miſcell.* s. p. 153. &c. Profecto, quæ affert ex Judæis, Chriſtianus facile ad Lapidem angularem Eccleſiæ transferre poterit. Si veteres Judæi eodem intellexerunt modo, probe fundata erat eorum in petra immobili fides. Optandum tamen fuiſſet, ut alio ſimpliciori & cum dictamine Spiritus ſancti convenientiori modo hac de materia locuti fuiſſent, quo prudens Lector iis tuto credere valeret. Aliter cauſam denominationis refert Maimonides. Lapis fundationis dicitur, *quia Locus Cultus hujus* כי מקום העבודה יסוד העולם. *divini fundamentum mundi eſt.* Sanior hic mihi contribulibus ſuis videtur.

§. 225. Improbo vero, quæ Judæi tradunt de difficillima arte suffiendi, adeo ut Pontifex necesse habuerit peculiari Institutione *Tr. Joma* C. I. 5. מסרוהו זקני בית דין לזקני כהונה והעלוהו לעליית בית אבטינס *Seniores Synedrii tradiderunt Pontificem Senioribus Sacerdotii, qui eum in Locum excelsum Domus Abtines evehebant*, scil. ut Glossa Bartenoriana habet ללמדו חפינת הקטרת *ad docendum rationem aromata pugillis capiendi*, quippe differt à communi, notante *Abarbanele in Comment. in Leg.* fol. CCXLIX. 2. i. m. אמרו חז"ל שהקטורת הזאת בזה היום היתה העבודה היותר קשה שבמקדש כי בשאר הימים לא היו מקטירין באותו האופן *Sapientes nostri dixerunt suffitionem, quæ hac die in Templo peragitur, longe difficiliorem esse illis, quæ aliis diebus. Nec enim reliquis diebus ad hunc modum suffiebant.* Ut vero discrimen cognoscatur, afferam modum suffiendi jugem Tr. תמיד C. VI. 2. מי שזכה במחתה צבר את הגחלים על גב מזבח מרדדן בשולי המחתה *Cui obtigerat thuribulum, colligebat prunas super altari, expandebat eas extremitate thuribuli.* Tum ille, qui designabatur ad suffitum, hunc evacuabat in prunas super altari expansas. Ubi Glossa Bartenoriana על מזבח הזהב היה מקטיר ולא בתוך המחתה אבל בקטורת של יום הכפורים היה מניח הגחלים בתוך המחתה ועליה היה מקטיר ולא היה שם רדוד גחלים (Sacerdos) *in ara aurea non in thuribulo adolebat. At quando suffiebat Die Expiationis prunas in ipso relinquebat thuribulo, atque super eo suffiebat, neque etiam expansione indigebat.*

§. 226. Quod porro constat ex superstitiosa eaque iterata aromatum evacuatione in pugillos, de qua Abarbanel אוחז שפת הכף בראשי אצבעותיו או בשיניו ומערה הקטורת מהכף בתוך חפניו באופן שלא ישאר כלום בכף ויחזרו חפניו להמלא מהקטורת כבר אשונה כי לא היה הכ"ג מערה הקטורת מכף אל המחתה אלא מהכף אל חפניו ומחפניו אל המחתה *Pontifex oram acerræ extremis digitis aut dentibus tenebat, atque suffitum aromaticum ex acerra in pugillos suos evacuabat, ita ut nihil in acerra remaneret. Qua ratione pugillos suos denuo implet. Neque enim Sacerdos M. suffitum ex acerra in thuribulum effundendi potestatem habet, sed ex acerra in pugillos & ex pugillis in thuribulum.* Addo Maim.

Tr.

Tr. de Minist. Diei Exp. C. IV. 3. אוחז שפת הכף בראשי אצבעותיו א״י בשיניו ומערה הקטורת בגודלו לתוך חפניו עד שמחזיר׳ למלא חופניו כשהיתה Interprete Lud. Comp. de Veil *Oram acerræ vel extremis digitis vel etiam dentibus apprehendebat atque pollice suffimentum ex acerra deducebat in pugnum, usque dum rursum expleretur itidem, ut erat ab initio.* Supervacanea erat altera hæc pugillis capiendi ratio, ceu in Lege non præcepta.

§. 227. Quod vero sequitur, magis olet rationem reperiundam apud *Maimonidem in Tract. de solenni Die Expiationum* Cap. IV. צובר את הקטרת על גבי הגחלים בידו לפנים במחתה כדי שתהיה הקטורת קרובה לארון רחוקה מפניו שלא יכוה *Suffitum super prunas versus interiorem thuribuli partem ita coacervabat, ut ille arcæ propinquior sed à facie sua remotior esset, ne alias adureretur.* Consimile est, quod in adolitione suffitus jugis Mischnici Tr. תמיד annotant C. VI. 3. מלמדים אותו הוי זהיר שמא תתחיל לפניך שלא תכוה *Informarunt (suffientem) cave tibi ne coram facie tua (prope te suffire) incipias, ne aduraris.*

§. 228. Denique effectus incensionis considerandus, de quo Moses in Lege nostra וכסה ענן הקטרת את הכפרת אשר על העדות *Et obtegat nubes suffitus operculum propitiatorium, quod super testimonium.* Levit. XVI. 13. b. Ex aromatibus incensis naturaliter ascendit fumus. Quo major eorum copia, eo major fumus.

§. 229. Fumus hic vocatur *nubes suffitus.* Habes hanc phrasin quoque Ezech. VIII. 11. LXX. vertunt ἀτμὶς τȣ̃ θυμιάματος. Vulgatus citra rationem multiplicat: *Nebula eorum & vapor.* ענן *Nubes* dicitur ob similitudinem cum nube cœli, quæ vi solis in altum ascendit, cœlum tegit, ejusque aspectum, quando crassior, adimit. Sed distinctionis gratia *nubes suffimenti*, quod ex variis odoriferis constans igne sacro incensum solvitur, attenuatur, ascenditque in altum, fitque nubes artificialis sanctissimum tegens, de quo effectu in sequentibus.

§. 230. Id quod fumo obtegendum, exprimitur *operculum propitiatorium, quod supra testimonium.* Sine dubio verum, quod jam supra ex Mischna Tr. Joma C. V. 1. observatur *totam domum fumo imple-*

impletam fuisse. Duo enim integri pugilli aromatum pertenuium accendebantur. Nec spatium sanctissimi adeo amplum. Tabernaculi quaquaversum nonnisi X. Cubitorum, Templi I. Longitudo & latitudo XX. sed altitudo XXX. Cubitorum. At Herodiani altitudo ad XL. Cubitos assurrexisse habetur. Verum lex nonnisi meminit *operculi propitiatorii, quod supra testimonium.* Deus Israelis habitabat supra propitiatorium. Hic honorandus suffitu suavissimo precibus innumeris (quot pulvisculi odoriferi erant) igne divino incensis rogandus, ut populo suo gratiosus sit, nec memor Legis accusantis eum ob transgressiones. Hæc videtur ratio disertæ mentionis, tum כפורת *operculi propitiatorii*, tum *super testimonium*, non super arcam. Testimonium hoc potestatem habet testandi contra populum, sed tegebatur operculo propitiatorio v. Exod. XXV. 21. 22.

§. 231. Ultimo considerandus est specialis finis ולא ימות *& non moriatur* Legem hanc curate observans. Mors intelligenda est præternaturalis, violenta, quam ipsa manus Dei zelo mota infert. Jonathan B. Uziel hinc transfert לא ימות באשא מצלהבא קדם י״י *Ne moriatur igne inflammante à facie Adonai.* Liquet quam clarissime Aharoni hæc dicta fuisse, ut exemplo filiorum sapiat. v. *supra dicta* v. 1. & 2. Summi quique, præprimis etiam in statu ecclesiastico, soliciti esse tenentur de cultu numinis præscripto curate observando. Alias in manus Dei vivi incidunt.

§. 232. Porismata ex versibus 12. & 13.

I. *Hilastica non prius ad actu expiandum & sanctificandum Die Expiationum adferenda erant, valebantque, quam gratia Dei per humiles, devotas, fideles, à Spiritu S. dictatas preces, intercessione Pontificis quæsita.* Aharon præmittere tenebatur suffitum aspersioni sacrificiorum piacularium, etiam proprii, licet jam mactati & sanguinis patera excepti. Ἀξιομνημονευτον quod oratio Pontificis Jesu Christi etiam antecesserit mortem & effusionem sanguinis sui Joh. XVII. XVIII. XIX. XX.

II. *Datur convenientia inter suffitum Sacerdotum gregariorum & magni, datur quoque disconvenientia. Illa:* Et illi & hic tenebantur ad ignem sacrum ab ara; Dein ad aromata sacra minutim contusa; Ad locum sacrum; Denique incensionem aromatum, ut fumi instar

instar ascenderet ad εὐωδίαν Dei. *Hæc vero :* Solus Pontifex tenebatur ad πυρεῖον *plenum* prunis ignitis, *plenos* pugillos aromatum minutissime contusorum, *remoto velo*, ingressum in sanctissimum & incensionem immediate coram Deo nube εὐωδίας honorando.

III. *At quanta disparitas inter Pontificem Aharonicum & Pontificem Jesum Christum suffientem.* Ille usus vase terrestri, aureo licet, ad prunas ex lignis combustis in summitate aræ visibilis promendum. At hic utitur igne divino mente æterna comprehenso. Ille sumserat plura & varia aromata naturaliter suaveolentia in mortario probe contusa, sed hic sumit aromata supernaturalia sive preces suas suorumque plurimas, ex corde comminuto profectas, vere in naribus Dei gratas. Ille nudis pedibus post velum manu hominum contextum in sanctissimum consimilis naturæ intrat incenditque aromata naturalia fumum ad tegendum symbolicam Numinis præsentiam causantia. Verum hic rupto carnis suæ velo manibus Spiritus S. texto in ipsum cœlum intrat causam nostram apud patrem acturus, varias benedictiones cœlestes in nos collaturus. ille ingrediebatur, mox egrediebatur, vertente anno denuo ingrediebatur egrediebaturque. At hic πάντοτε in Throno Majestatis sedet εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν, unica oblatione & expiatione peracta.

IV. *Periculosæ sunt preces, intercessiones etiam Pontificum in terris, si ἀνόμως & carnis motu funduntur, ipsis precantibus mortem arcessunt.* Judæi non negant, publicos gentis suæ oratores, quando videbantur gratiam Dei pro populo flagitare, horribiliter flagellatos esse à Deo.

§. 233. Nonum, quod ordine sequitur, mandatum Pontifici datum de spargendo sanguine juvenci his verbis constat v. 14. ולקח מדם הפר והזה באצבעו על פני הכפורת קדמה ולפני הכפורת יזה שבע פעמים מן הדם באצבעו *Tum sumet de sanguine juvenci illius & sparget digito suo super operculum propitiatorium ortum versus; verum ante propitiatorium septem vicibus de sanguine illo sparget.* A Textu originali recedit Vulgatus, confundendo & tollendo ea, quæ

 ad

ad rem faciunt. *Tollet quoque de ſanguine vituli & aſperget digito ſepties contra propitiatorium ad orientem ;* ut è dicendis liquebit.

§. 234. Moſes conſuetæ brevitatis ſtudioſus quædam, quæ citra dubium facta ſunt, ſilentio tranſit, facile ſupplenda ex nexu & ſubſtrata materia. Ex his ſunt (1.) quod poſt incenſionem aromatum Pontifex rurſum ſanctiſſimo egreſſus fuerit (2.) ut videtur, relicto thuribulo (3.) quod ſanguinem juvenci pro ſe & domo ſua mactati è manu agitantis acceperit v. §. 164. quod recte tradit *Miſchna Joma* Cap. V. 3. נטל את הדם ממי שהיה ממרס בו *Pontifex ſumebat ſanguinem ab illo, qui miſcebat eum.* (4.) Quod eadem Miſchna l. cit. teſtante נכנס למקום שנכנס ועמד במקום שעמד *Intraverit in locum in quem* (antea ſcil. & eodem modo, quo ſuffiturus in ſanctiſſimum) *intraverat ac ſteterat in loco, in quo* (antea) *ſteterat,* puta inter duos vectes, arca nondum ablata.

§. 235. Verſans Pontifex altera vice in ſanctiſſimo duo egerat, ut Textus habet : *Tum ſumet de ſanguine juvenci illius & ſparget.* Primo ex pelvi, in qua ſanguis juvenci contentus erat, exiguam ſanguinis copiam ſumſerat, tum eum ſparſerat. Tres ſunt voces Aharonicæ Hebraicæ, quæ de ſanguine prædicantur שפך, זרק & הזה à ſe invicem diſtinguendæ. *Illa* adhibetur de majori copia ſanguinis, quæ effunditur, veluti ad fundamentum altaris Levit. IV. 18. 25. 30. 34. *Iſta* de minori ſanguinis copia à Sacerdotibus aræ Holocauſti aſperſa Levit. I. 5. 11. *Hæc* de minori adhuc ſanguinis copia ſpargenda. Vulgo eadem notio *ſpargendi* tribuitur & זרק & הזה. Judico tamen quoddam obtinere diſcrimen. Prius vocabulum quoque dicitur de ſparſione rerum liquidarum & aridarum Ezech. X. 2. Exod. IX. ſed poſterius de liquidis nonniſi. Sub priori major, ſub poſteriori minor copia ſpargenda ſiſtitur, unde LXX. amant illud per προσχύειν, ſed hoc per ῥαίνειν, προσραίνειν transferre. Prius communiter de ſparſione ſanguinis ad aram Holocauſti, ſed poſterius ad aram ſuffitus, velum, arcam (quæ parum ſanguinis admittere videntur) prædicatur. Vide quæ olim notavi in *Diſſert. de duabus avibus leproſi purgandi* §. 7.

§. 236. Hæc ſpecialior notio robur quoque accipit ex medio ſpargendi, quod dicitur *digitus. Digito ſuo* ſparget. Intelligitur ergo exigua copia, ceu digito tantum, accipienda. Digitus ſimul medi-

medium & fumendi sanguinem è pelvi, & eum spargendi. Commode h. l. *Et sumet de sanguine juvenci illius & sparget digito suo.* Non solum digitus referendus ad sparsionem sed & acceptionem. conf. Lev. IX. 9. *Intinget digitum suum in sanguinem.* Sæpius præmittitur τὸ טבל *intingere* τῷ הזה *spargere* veluti Lev. IV. 6. 17. XIV. 6. 7. 16. Num. XIX. 18. Quare colligimus, quod h. l. ולקח *& sumet* idem sit ac וטבל *& intinget.* Digitus vero recte habetur *dexter*, uti vertitur in *Targum Jonathanis* באדבעית ימינא *digito suo dextro.* Nec dubium est, dextrum intelligi, licet non exprimatur, nam usitate dextra in functionibus manuariis utimur. Hic notandus est Canon Judæorum, uti illum profert *R. Obad. de Bart. ad Tr.* זבחים Cap. II. 1. כל מקום שנ׳ יד או אצבע אינו אלא בימין *Ubicunque simpliciter dicitur* manus *aut* digitus, *dexter intelligitur.* Hinc functiones manu sinistra factæ illegitimæ, uti exceptio sanguinis. ibid.

237. Sparsio sanguinis faciunda præcipitur his verbis: *Sparget digito suo* על פני הכפרת קדמה *super faciem propitiatorii versus ortum* ולפני הכפרת *& coram facie propitiatorii septem vicibus de sanguine digito suo.* Verba Textus sunt paulo difficiliora & magis intricata apparent, si versiones veteres & recentiores consulimus. Affundemus Lucem quantum licet, quæstionibus, quæ sequuntur.

§. 238. Prima hæc: *An duplex mandatum spargendi detur? An simplex & unum?* Posterius probat Vulgatus. Eodem propendet Lutherus vertens: **Und soll mit seinem Finger gegen den Gnaden-Stuhl sprengen vornen an. Siebenmahl soll er also vor dem Gnaden-Stuhl mit seinem Finger vom Blut sprengen.** Cum quo faciunt Tigurini. Membrum secundum sumunt pro exegesi prioris. At Oncelos, LXX. Samaritanus, Syrus, Arabs, S. Schmidius & alii primum. Ad hos & nos accedimus. Rationes sunt 1. Textus Originalis duarum meminit aspersionum, unius in primo, alterius in sequente membro. Bis præcipit: *asperget, asperget,* non semel, ut Vulgatus. 2. Prior à posteriori differt vicibus aspersionum. Posterior enim septies faciunda, non item prior. 3. Differt speciali termino. Prior faciunda dicitur על פני *super faciem,* sed posterior לפני *coram facie.*

§. 239. Altera: *An terminus ſparſionis differat phraſi* על פני & לפני? Reſp. Differt. Si eſſet eadem notio, tum Moſes non duplicem phraſin adhibuiſſet. Maxime probatur è v. 15. *ſparget ſanguinem* על הכפרת ולפני הכפרת *ſuper propitiatorium & coram facie propitiatorii.* Quomodo etiam diſtinguunt LXX. prius vertentes ἐπὶ τὸ ἱλαστήριον ſed poſterius κατὰ πρόσωπον τοῦ ἱλαστηρίου. Quare non probandi illi ſunt, qui utrumque vertunt *coram propitiatorio.* Particula על communiter notionem *ſupra*, quam recte tenemus, habet; Tum vero maxime, quod bis v. 14. & 15. diſtinguitur à *coram.* Confirmatur Traditione Judæorum, qui referunt priorem ſparſionem factam fuiſſe למעלה *ſupra*, ſed poſteriorem למטה *infra* v. *Joma* Cap. V. 4.

§. 240. Hinc tertia ſurgit quæſtio: An ſanguis *ſupra & coram propitiatorio* ſparſus, ipſam arcam vel operculum tetigerit? Vel an ſaltem prior? Aut prorſus non? Reſp. Negant Judæi, quantum ſcio, omnes. Nomino *Bartenoram* ad Jom. Cap. V. 3. הרי לא על הכפורת נגעים אלא לארץ נופלים *Ecce ſanguines propitiatorium* (male in Syrenhuſiana translatione transfertur *velum*, quaſi eſſet פרוכת) *non attigerant, ſed in terram prolapſi erant.* Conſentientes à *Seringhamio* l. cit. etiam allegantur *Gemarici*, *Joſephus.* Dein conſentientes citantur LXX. *Vulgatus*, *Lutherus*, *Tigurini*, cum quibus quoque facit *Joach. Langius* ad h. l. Inſuper commaculata & conſpurcata fuiſſet (ita ratiocinantur) arca cum operculo ac ſplendorem ſuum amiſiſſet, ſi annis ſingulis tot ſanguinis aſperſiones arcam cum operculo attigiſſent. Denique non ſolum particula לפני *coram* hunc ſenſum non poſtulat, ſed nequidem על *ſupra*, ceu quæ variæ notionis eſt, obſervante *Noldio in Concord. Particularum* ad על. Sed alii affirmant, maxime ratione ſparſionis על *propitiatorium* faciundæ, quo primo pertinent omnes verſiones, quæ vertunt *ſupra*, ut Oncelos, Samaritanus, Angli, Belgæ, S. Schmidius. Secundo (argumentatur *Relandus Antiquit.* Lib. IV. C. VI. §. 11.) Sparſio hæc על *ſupra* diſtinguitur à reliquis ſeptem, quæ לפני *coram operculo* faciendæ erant. Tertio (pergit *Relandus* l. c. argumentari) eadem loquendi ratione dicitur Lev. XVI. 19. de ſparſione ſanguinis ſuper altare interius הזה עליו מן הדם *ſparget ſuper illud ſanguinem*,

guinem, qua commate 15. dicitur הזה אותה על הכפרת *sparget eum super operculum.* At dubium non est, quin sanguis ipsum altare tetigerit: Adeoque quum idem sit loquendi modus, nil vetat credere etiam ad operculum aræ sanguinem pertigisse.

§. 241. Idem & ego cum *Relando* judico, quem in finem sequentes rationes superaddo: (1.) Notio particulæ על *supra* ex origine & usu ordinaria est: Recte ordinaria aliis notionibus præfertur, si gravia non obstant. (2.) Hæc ipsa particula in hoc ipso Capite v. 2. 4. 8. 12. 13. 19. 21. 22. exstat & certo notat *supra* indicatque objectum, quod tangitur. (3.) Quod plus est, sæpius adhibetur על cum הזה hoc sensu. Præter locum à Relando citatum noto Lev. VI. 20. *Quidquid tetigerit carnem illius, sanctum erit & spargetur de sanguine* על הבגד *super* quamcunque *vestem*, (*super* עליה quamcunque inquam) *spargetur, lavabis eam in loco sancto.* Dein Lev. V. 9. *asperget de sanguine sacrificii pro peccato*, על קיר *super parietem altaris.* Insuper Lev. XIV. 7. *& sparget* על המטהר *super mundandum* Præterea Num. XIX. 18. & sparget על *supra tentorium* ועל *& supra omnia illa vasa* ועל *& supra omnes animas, quæ ibi fuerunt* ועל *& supra tangentem os aut confossum, aut mortuum aut sepulchrum.* conf. denique Exod. XXIX. 21. Lev. VIII. 11. 30. Quando igitur totius particula על in constructione cum הזה *sparsit supra* notat ac objectum, quod tangitur, docet, recte etiam hoc in loco. (4.) Phrasis Pauli, quæ exstat Rom. III. 25. ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι huc quoque satis clare nos ducit. Haud difficulter respondemus ad rationes §. 240. allatas. Judæorum auctoritas nulla est, quando sacro Codici non convenit. Tum maxime, quando concernit historiam sub Tabernaculo & Templo I. Præsens vero quæstio ex historia sub Templo II. Lucem non accipit. Arca enim posteriori tempore deerat. Idem judicandum de versionibus. Quod in specie attinet LXX. illi commode referuntur ad nostram sententiam vertentes ἐπὶ. Vulgatus contrariæ favere minime dici potest, nam prorsus omisit translationem particulæ על. Nec stringit allegata ratio contra sensum ex Textu originali probatum. Si quis objicit conspurcatum ita fuisse arcæ operculum, consimili premitur incommodo, si quis oggereret pavimentum sanctissimi ita commaculatum fuisse Aspersus sanguis, qui purgat, non habetur macula

 in

§. 239. Altera: *An terminus ſparſionis differat phraſi* על פני & לפני? Reſp. Differt. Si eſſet eadem notio, tum Moſes non duplicem phraſin adhibuiſſet. Maxime probatur è v. 15. *ſparget ſanguinem* על הכפרת ולפני הכפרת *ſuper propitiatorium & coram facie propitiatorii.* Quomodo etiam diſtinguunt LXX. prius vertentes ἐπὶ τὸ ἱλαστήριον ſed poſterius κατὰ πρόσωπον τȣ͂ ἱλαστηρίȣ. Quare non probandi illi ſunt, qui utrumque vertunt *coram propitiatorio.* Particula על communiter notionem *ſupra*, quam recte tenemus, habet; Tum vero maxime, quod bis v. 14. & 15. diſtinguitur à *coram.* Confirmatur Traditione Judæorum, qui referunt priorem ſparſionem factam fuiſſe למעלה *ſupra*, ſed poſteriorem למטה *infra* v. *Joma* Cap. V. 4.

§. 240. Hinc tertia ſurgit quæſtio: An ſanguis *ſupra & coram propitiatorio* ſparſus, ipſam arcam vel operculum tetigerit? Vel an ſaltem prior? Aut prorſus non? Reſp. Negant Judæi, quantum ſcio, omnes. Nomino *Bartenoram* ad Jom. Cap. V. 3. הרי לא על הכפורת נגעים אלא לארץ נופלים *Ecce ſanguines propitiatorium* (male in Syrenhuſiana translatione transfertur *velum*, quaſi eſſet פרוכת) *non attigerant, ſed in terram prolapſi erant.* Conſentientes à *Seringhamio* l. cit. etiam allegantur *Gemarici*, *Joſephus.* Dein conſentientes citantur LXX. *Vulgatus*, *Lutherus*, *Tigurini*, cum quibus quoque facit *Joach. Langius* ad h. l. Inſuper commaculata & conſpurcata fuiſſet (ita ratiocinantur) arca cum operculo ac ſplendorem ſuum amiſiſſet, ſi annis ſingulis tot ſanguinis aſperſiones arcam cum operculo attigiſſent. Denique non ſolum particula לפני *coram* hunc ſenſum non poſtulat, ſed nequidem על *ſupra*, ceu quæ variæ notionis eſt, obſervante *Noldio in Concord. Particularum* ad על. Sed alii affirmant, maxime ratione ſparſionis על *propitiatorium* faciundæ, quo primo pertinent omnes verſiones, quæ vertunt *ſupra*, ut Oncelos, Samaritanus, Angli, Belgæ, S. Schmidius. Secundo (argumentatur *Relandus Antiquit.* Lib. IV. C. VI. §. 11.) Sparſio hæc על *ſupra* diſtinguitur à reliquis ſeptem, quæ לפני *coram operculo* faciendæ erant. Tertio (pergit *Relandus* l. c. argumentari) eadem loquendi ratione dicitur Lev. XVI. 19. de ſparſione ſanguinis ſuper altare interius הזה עליו מן הדם *ſparget ſuper illud ſanguinem*,

guinem, qua commate 15. dicitur הזה אותה על הכפרת *sparget eum super operculum.* At dubium non est, quin sanguis ipsum altare tetigerit: Adeoque quum idem sit loquendi modus, nil vetat credere etiam ad operculum aræ sanguinem pertigisse.

§. 241. Idem & ego cum *Relando* judico, quem in finem sequentes rationes superaddo: (1.) Notio particulæ על *supra* ex origine & usu ordinaria est: Recte ordinaria aliis notionibus præfertur, si gravia non obstant. (2.) Hæc ipsa particula in hoc ipso Capite v. 2. 4. 8. 12. 13. 19. 21. 22. exstat & certo notat *supra* indicatque objectum, quod tangitur. (3.) Quod plus est, sæpius adhibetur על cum הזה hoc sensu. Præter locum à Relando citatum noto Lev. VI. 20. *Quidquid tetigerit carnem illius, sanctum erit & spargetur de sanguine* על הבגד *super* quamcunque *vestem*, (*super* עליה quamcunque inquam) *spargetur, lavabis eam in loco sancto.* Dein Lev. V. 9. *asperget de sanguine sacrificii pro peccato*, על קיר *super parietem altaris.* Insuper Lev. XIV. 7. & *sparget* על המטהר *super mundandum* Præterea Num. XIX. 18. & sparget על *supra tentorium* ועל & *supra omnia illa vasa* ועל & *supra omnes animas, quæ ibi fuerunt* ועל & *supra tangentem os aut confossum, aut mortuum aut sepulchrum.* conf. denique Exod. XXIX. 21. Lev. VIII. 11. 30. Quando igitur totius particula על in constructione cum הזה *sparsit supra* notat ac objectum, quod tangitur, docet, recte etiam hoc in loco. (4.) Phrasis Pauli, quæ exstat Rom. III. 25. ἱλαστήριον ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι huc quoque satis clare nos ducit. Haud difficulter respondemus ad rationes §. 240. allatas. Judæorum auctoritas nulla est, quando sacro Codici non convenit. Tum maxime, quando concernit historiam sub Tabernaculo & Templo I. Præsens vero quæstio ex historia sub Templo II. Lucem non accipit. Arca enim posteriori tempore deerat. Idem judicandum de versionibus. Quod in specie attinet LXX. illi commode referuntur ad nostram sententiam vertentes ἐπὶ. Vulgatus contrariæ favere minime dici potest, nam prorsus omisit translationem particulæ על. Nec stringit allegata ratio contra sensum ex Textu originali probatum. Si quis objicit conspurcatum ita fuisse arcæ operculum, consimili premitur incommodo, si quis oggereret pavimentum sanctissimi ita commaculatum fuisse Aspersus sanguis, qui purgat, non habetur macula in

in loco, quem nemo adeundi copiam habuerat, excepto Pontifice illo die; quo suffitus densior tenebras adyto attulerat. Denique si vel maxime concedimus particulam על, de qua quæritur, tot habere varias notiones, quot *Glassius* & *Noldius* ei adscripserunt, semper communis & ordinaria reliquis præferenda: Nostra vero talis est.

§. 242. Quæstio quarta est: *Quid sibi velit vocula* קדמה *in præcepto de sparsione supra propitiatorium.* Resp. Vulgo vertitur *ad orientem.* Sed versio hæc est dubia. Plaga orientalis varie accipi posset. Determinamus itaque plagam arcæ orientalem, uti Lev. I. 16. *apud altare* קדמה, intelligitur plaga orientalis aræ, sic h. l. *supra propitiatorium ad orientem* scil. Arcæ. Atque ita Pontifex noverat, quam plagam arcæ aspergere debeat. Hæc plaga ad spargendum præ aliis erat commoda. Pontifex enim proximus huic lateri adstabat, atque ita facta sparsio in conspectu Dei arcæ insidentis. Progredior ad

§. 243. Quæstionem quintam: *Quot vicibus sparsiones sanguinis juvenci in sanctissimo repetitæ fuerint?* Resp. Illi, qui juxta §. 238. unicum spargendi mandatum h. l. existimant, necesse habent dicere, quod sanguis juvenci septies sparsus fuerit. Quando vero supra §. cit. duplex dari mandatum probavimus, sequitur, quod in numero sparsionum errent. Qui vero duplex mandatum statuunt, minimum octo numerant sparsiones. Septem membro secundo diserte exprimuntur. Ad has accedit una facta *supra propitiatorium*, juxta membrum commatis primum. Quam maxime probabile est, quod numerus à legislatore expressus fuisset, si bis aut ter &c. sparsio repetenda, sicut vices sparsionis coram propitiatorio expressæ sunt. Quando vero vices non exprimuntur, recte unica tantum intelligitur. Confirmatur clare v. 15. *Et faciet* (Pontifex) *cum sanguine* (hirci) *quemadmodum fecit cum sanguine juvenci & sparget illum supra propitiatorium & coram propitiatorio.* At hæc posterior sola constabat septem vicibus: Ergo prior minimum una vice acta fuit. Judæi constanter tradunt octo sparsiones. *Tr. Joma* C. V. §. 3. הזה ממנו אחת למעלה שבע למטה *Sparsit ex sanguine juvenci; semel sursum & septies deorsum.* Idem dicunt recentiores, veluti Raschius

ad

ad h. l. והזה באצבעו הזאה אחת במשמע ולפני הכפרת יזה שבע הרי א׳ למעלה ו׳ז למטה *Verbis* & asperget digito suo, *una sparsio subintelligitur*, & quia dein additur, & ante propitiatorium septies sparget, *novimus unam superius, septem inferius factas fuisse.* Et *Bartenora* ad Joma Cap. V. 3. אחת למעלה בהורה של כפורת העליון והשבע למטה בעוביה שהרי לא על הכפורת נוגעים אלא לארץ נופלים *Una sparsionum supra in extremitate propitiatorii superiori; At septem inferius in crassitie ejus. Neque tamen propitiatorium* (sanguis) *attingebat, sed in terram decidebat.* Conf. *Abarbanel* f. CCXLIX. 2. *Bechai* f. CXXXIX. 2.

§. 244. Specialiorem modum sparsionum vel numerationis lex non determinavit. Determinant traditiones, & legimus in Joma Cap. V. 3. לא היה מתכוין להזות לא למעלה ולא למטה אלא במצליף וכך היה מונה אחת אחת ואחת אחת ושתים אחת ושלש אחת וחמש אחת ושש אחת ושבע (Pontifex) *non intuebatur ad spargendum sursum aut deorsum, sed quasi flagellator: Et sic numerabat; Semel, semel & semel, semel & bis, semel & ter, semel & quater, semel & quinquies, semel & sexies, semel & septies.* Ex versione Sheringhamii. conf. quoque *Maimonides Tr.* עבודת י״ה C. III. qui insuper rationem hujusmodi numerationis refert שמא ישכח וימנה הזייה ראשונה מכלל השבע *ne alias obliviscatur & primam aspersionem numero septem comprehendat.* Quia enim prima alius speciei erat, sapientibus æquum videbatur, ut seorsim nominetur, neve confusio aliqua oriatur. Consimilis ἀκρίβεια in numerandis diebus & septimanis Pascha inter & Pentecosten v. *Not. 6. in Goodwin* L. III. Cap. V. 5. 6.

§. 245. Quando Mischnici modum spargendi illustrant sub persona flagellantis כמצליף *ut flagellator*, vel, ut Bartenora vertit, כמלקה *ut qui verberat*, modo *verberandi* posteriori tempore incognito nullam affundunt lucem. Ipsi magistri variant. Ex sententia *Raschii*, etiam *Bartenoræ* innuit Mischna non prospexisse Sacerdotem M. ut prima vice sursum spargeret, & secunda deorsum, & tertia sursum, denuo & sic deinceps sine ordine, sed ita sparsisse, ut lictor solet reos verberare, ut esset structa series & veluti textus ordo

ordo ſparſionum, ita ut ſecunda ſub prima, & tertia ſub ſecunda, & quarta ſub tertia, & ſic deinceps ſingulæ ordine fierent. In *Toſaphat* vero dicitur, non neceſſe eſſe, ut ſingulæ ſparſiones ordine fierent, ſed Sacerdotem M. inferne deorſum manus collocaſſe cum ſurſum ſpargeret & ſuperne elevaſſe cum deorſum, quemadmodum flagellator ſolet manum elevare & deprimere, cum ſontes plectit.

§. 246. Duplex hoc ſpargendi ſanguinem juvenci mandatum ceſſerat in uſum Sacerdotii, Pontificis & Sacerdotum gregariorum. Ut enim juvencus mactandus pro Aharone & Domo v. 6. ſic pro iisdem memoratæ ſparſiones. Nullum fuiſſet Aharoni jus ſanguinem pro populo ſpargendi, niſi antea ſparſiſſet pro ſe, uti nexus cum v. 15. docet. Et recte ſola mactatio nondum expiabat. Accedere debuerat ſparſio præcepta.

§. 247. Poriſmata ex v. 14.

I. *Suffitus antecedit, ſequitur ſanguinis ſparſio.* Ut propitiatio valeat, poſtulatur interceſſio. 1. Joh. II. 1. 2.

II. *Conjuncta ergo ſunt ſuffitus incenſio & ſparſio.* Rom. VIII. 34. Hebr. IX. 22. 24.

III *Qui ſuffit, ille etiam ſanguinem ſpargit.* Idem interceſſor, qui peccatorum expiator *loc. cit.*

IV. *Idem quoque Locus ſuffitus & ſparſionis.* In typo ſanctiſſimum; In Anti-Typo cœlum. Hebr. IX. 24.

V. *Sanguis ex præcepto Dei ſpargendus vere dicitur* αἷμα ῥαντισμȣ̃. 1. Petr. I. 2.

VI. *Propitiatorium, quod ſanguine aſpergendum, recte tale dicitur* ἐν ἀυτῷ αἵματι typicum in ſanguine juvenci; At Anti-Typicum ἐν τῷ ἀυτȣ̃ αἵματι.

VII. *Dantur ſparſiones ſanguinis ſupra & infra*; In cœlo & in terra.

VIII. *Sparſio, quæ ſupra, una tantum*, at infra plures, *ſeptem.*

IX. *Pontifex typicus indigebat ſparſione ſanguinis pro ſe. Anti-Typicus nonniſi pro Domo ſua & populo.*

X. Tra-

X. *Traditiones Ecclesiæ Judaicæ etiam circa sparsionem sanguinis juvenci sunt explorandæ. Bona tantum retinenda.* Ex dictis constat.

§. 248. Subsequitur mandatum decimum, præcipiens mactationem simul & sparsionem sanguinis hirci, quæ etiam in sanctissimo faciunda. v. 15. ושחט את שעיר החטאת אשר לעם והביא את דמו אל מבית לפרוכת ועשה את דמו כאשר עשה לדם הפר והזה אתו על הכפרת ולפני הכפרת *Postea mactabit hircum, sacrificium illud pro peccato (quod) pro populo; Inferet etiam sanguinem ejus intra velum & faciet cum sanguine ejus, quemadmodum fecit cum sanguine juvenci illius ac sparget eum supra propitiatorium & coram propitiatorio.* Permanet Vulgatus in errore suo; *Ut aspergat è regione oraculi.* Consimiliter errat Lutherus[r]: Und damit auch sprengen vornen gegen den Gnaden-Stuhl. Utraque versio Textui originali clare contrariatur omittendo sparsionem *supra propitiatorium* v. dicta ad §. 238.

§. 249. Mandatum hoc, ceu quod magnam partem cum antecedente coincidit, prolixa haud indiget explicatione. Quare brevis ero. Quando lex præcipit *postea mactabit*, duo silentio involvit; Primum, quod Pontifex sparsionibus absolutis gradu retrogrado venerationis testandæ gratia è sanctissimo in sanctum egressus sit. Alterum, quod reliquias sanguinis, ceu quæ ad alios sacros usus adhuc servandæ erant, credibiliter in sancto reposuerit. Moses hoc de repositorio silet; at loquuntur *Mischnici Joma* C. V. 3. יצא והניחו על כן הזהב שהיה בהיכל Pontifex *exibat & super columnam auream, quæ in sanctuario erat, collocabat sanguinem. Abarbanel* confirmat memorans כן מזהב *columnam*, vel si mavis *loculamentum ex auro* f. CCXLIX. 2. c. f. Quod quoque *Maimonides* probat *Tr. de Die Expiationis* C. IV. Ego facile consentio. Quando enim in sancto & sanctissimo, tum quæ fixa erant, tum quæ movebantur, auro splenduerant, quare columna ex viliori Materia? Πυρεῖον, acerra, pelves existebant aureæ. Quare nullam fidem *Sheringhamio* ad hunc Mischnæ locum habendam esse judico, quando opinatur *columnam auream* vocari, non quod ex auro constiterit, sed propter operis præstantiam, vel quia purpurea erat & auri speciem referebat. Speciem argumenti habet, quod provocet ad *R. Ascher* testantem pelvim cum sanguine repositam fuisse על אבן *super lapidem, qui erat*

in sanctuario, sed Rabbi Ascheris auctoritas non assurgit ad auctoritatem Mischnæ, quam quoque recentiores, ut dictum, probant. Nec opinio ejus probabilis est, ob modo dicta. Forsan tantum est error descriptoris, qui אבן *lapis* legit pro כן *loculamentum*. Vir doctissimus non meretur assensum dicens Hebræos, *quidquid pretiosum aut ad colorem vel similitudinem auri effictum*, aurum vocare. Tot vasa, quæ in Templo aurea dicuntur, ex auro erant. Quando Vir memoratus provocat ad vestes Pontificis בגדי זהב *vestes aureas*, quæ tamen haud erant aureæ; Facile respondemus: Non quidem erant ex toto aureæ, sed tamen ex parte, v. Exod. XXVIII. 20. 22. 23. 24. 26. 27. Alter Locus, quem citat ex Eccles. XII. 6. גלת הזהב nihil probat. Omnes sciunt improprium obtinere sensum, quando proprius impossibilis est. Certe nemo opinabitur, ex partibus corporis humani quasdam ex vero auro constare. Substrata materia determinat sensum proprium & improprium. Quando vero Traditionarii referunt sanguinem in sancto repositum fuisse, fidem merentur. Etenim, ut legimus v. 19. postea usus ejus in hoc sancto Loco Lege divina poscebatur.

§. 250. Sanguine ita reposito Pontifex exibat in atrium Sacerdotum mactaturus hircum. Victima hæc primo vocatur שְׂעִיר *hircus* (vide quæ dixi de hac animalis specie §. 78.) dein החטאת *illud sacrificium pro peccato.* Digito quasi monstrans v. 9. ut distinguat ab hirco vivo dimittendo v. 10. Ille speciali modo *sacrificium pro peccato* audit, ceu cui mors obeunda erat. Hinc insuper אשר לעם *quod pro populo*, populi ære emtum, loco & bono ejus mactandum. Aliter ac res se habuerat cum juvenco.

§. 251. Mactabat hircum hunc ipse Pontifex, Lege & Traditione affirmante. Quæ de modo mactationis supra §. 158. 159. dicta sunt, nolo repetere.

§. 252. Mactabat etiam eodem in loco, in quo juvencum v. dicta §. 160. quibus addo duo testimonia, *Abarbanelis in Comment. in Legem* fol. CCXLIX. מיד היה שוחט את שעיר יום הכפורים אשר לעם שהניח בבית שחיטתו *Statim* (ac egressus erat) *hircum Diei Expiationis, qui pro populo, eo in loco, in quo ipsum relinquebat, mactabat,* scil. *in loco mactationis*, qui est latus aræ septentrionale v. *Tr.* זבחים C. V. 1. de quo plenius cognoscendo legendus est Maimonides *Tr.* בית

מכותל צפוני של עזרה עד כותל המזבח ubi hæc leguntur : בית הבחירה שהוא רוחב ששים ומחצה וכנגדו מכותל האולם ׃ עד כותל מזרחי של עזרה שהוא אורך ששה ושבעים כל המרובע הזה הוא נקרא צפון והוא המקום ששוחטין בו קדש קדשים Interprete Lud. Comp. de Veil : *A pariete aquilonari ad altaris crepidinem erat latitudo LX. cubitorum & ſemiſſis & ex adverſo pariete veſtibuli ad parietem atrii in oriente ſitum, erat longitudo cubitorum ſeptuaginta ſex. Quadrum hoc totum aquilonare dicebatur. Hoc loco mactabantur victimæ ſanctiores.*

§. 253. Idem Pontifex, qui hircum mactavit, etiam ſanguinem ejus pelvi excepit, ut *Miſchna Tr. Joma* C. V. 4. tradit הביאו לו את השעיר שחטו וקבל במזרק את דמו *Hircum ei adducebant, mactabat eum, pateraque excipiebat ſanguinem.* v. alia §. 161 - 164.

§. 254. Sanguis hic exceptus ſtatim in ſanctiſſimum à Pontifice ferebatur. Eſt eadem phraſis מבית לפרכת *intra velum*, quæ jam ad v. 2. & 12. expoſita. Nunc nulla ratio committendi eum Sacerdoti ad agitandum v. ſupra §. 164. Intraverat autem Pontifex eo modo, quo antea ſuffiturus & ſparſurus ſanguinem juvenci v. §. 205 - 212.

§. 255. Sub Tabernaculo & Templo I. Pontifex inter vectes arcæ ſtans ſanguinem hirci quoque, ut prius juvenci, octies ſparſerat, ſemel ſupra, inſpergendo ipſum operculum propitiatorium, ſepties coram eo. Alia non addo, quam παράδοσιν ex *Miſchna Joma* C. V. 4. נכנס למקום שנכנס ועמד במקום שעמד והזה ממנו אחת למעלה ושבע למטה ולא היה מתכוין להזות לא למעלה ולא למטה כמצליף וכך היה מונה אחת אחת ואחת אחת *Intrabat per locum, per quem antea; Stabatque in loco, in quo antea ſtabat, & ſpargebat ex illo ſemel ſupra & ſepties infra; Nec attendebat in ſpargendo, non ſurſum & non deorſum, quaſi flagellator. Et ſic numerabat ſemel, ſemel; ſemel, ſemel, & bis &c.* Quando vero ſub Templo II. Arca deerat ſparſiones memoratæ ſpargebantur quidem, ſed neque operculum arcæ tangere, neque coram eo fieri poterant.

§. 256. His quoque ſanguinis hirci ſparſionibus finitis Pontifex teſtans venerationem erga Deum in ſanctum regreſſus erat, re-

poſueratque pelvim cum reſiduo ſanguine in ſecundam, quæ ibi erat, auream columnam, ut communiter Miſchnici tradunt, *Tr. Joma* C. V. 4. יצא והניחו על כן השני שבהיכל *Egreſſus eſt & collocaverat ſuper columnam ſecundam, quæ in Templo.* Aliter quidem opinatur R. Jehuda ſequentibus verbis לא היה שם אלא כן אחת בלבד נטל דם הפר והניח דם השעיר והזה ממנו על הפרוכת *Non erat ibi niſi unum loculamentum, ſumebat igitur ſanguinem juvenci & tum deponebat ſanguinem hirci atque ſpargebat ex eo juxta velum* Putat enim memoratus Rabbi unum nonniſi loculamentum neceſſarium fuiſſe, nam quando tertia vice Pontifex è ſanctiſſimo in ſanctum intraverat, ille prius pelvim, in qua ſanguis juvenci, acceperat, & tum in eundem collocaverat locum ſanguinem hirci. Sed juxta *R. Jehudam* res ſe non habet, unde *Bartenora* expreſſe negat הלכה *deciſionem* eſſe ſecundum *R. Jehudam.* Maimonides in ſuo, quem *de Miniſterio Diei Expiationis* reliquit, tractatu, duarum quoque meminit columnarum. C. IV.

§. 257. Ex dictis conſtat, quod Pontifex duabus vicibus per annum cum ſanguine ſcil. juvenci & hirci in ſanctiſſimum ingreſſus fuerit, nunquam cum alio ſanguine. Alius introitus cum ſanguine nulla in Lege Moſaica mentio. Hoc, quod explicamus, reſtringit ad duos hos caſus. Conſentiunt Traditiones Judæorum *Tr.* זבחים C. V. 1. דמן טעון הזיה על בין הבדים ועל הפרכת ועל מזבח הזהב *Sanguis* (juvenci & hirci) *poſcit ſparſionem inter duos vectes, ſuper velum & ſuper altare aureum.* At mox §. 2. traditur ſanguinem juvencorum & hircorum, qui comburendi, nonniſi poſtulare ſparſionem על הפרכת ועל מזבח הזהב *ſuper velum & ſuper altare aureum,* non vero inter vectes. Hoc ipſum confirmat auctor Epiſtolæ ad Hebræos Cap. IX. 7. Pontifex ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ *ſemel* vel una die in anno *ſolus in ſecundum Tabernaculum*, hoc eſt, ſanctiſſimum *ingreſſus eſt non ſine ſanguine, quem offerebat pro ſuis & populi aberrationibus.* Si vero ſanguis hircorum & juvencorum comburendorum, qui à noſtris Lev. XVI. diſtincti ſunt, etiam in ſanctiſſimum inferendus fuiſſet, verba Apoſtoli cum Moſe & Traditionibus Eccleſiæ Judaicæ ſtare haud poſſent.

§. 258.

§. 258. Porismata ex v. 15.

I. *Datur convenientia inter Pontificem Aharonicum & populum in Die Expiationis.* Et ille & hic indigebat hilasticis. Utriusque victimæ mactandæ, sanguis in sanctissimum inferendus, semel sursum, septies deorsum spargendus.

II. *Datur etiam disconvenientia.* Sacerdotii victima ex juvenco, sed populi ex hirco constabat. Mactatio & sparsio sanguinis juvenci antecesserat, sed sequebatur hirci. Pontifex copiam habuerat mactandi, spargendi; non item populus.

III. *Ingressus Pontificis in sanctissimum Die Expiationis, Mose teste, minimum ternis factus erat vicibus.* Scil. semel cum πυρείῳ & acerra thuris v. 12. 13. Altera vice cum sanguine juvenci v. 14. Tertia cum sanguine hirci v. 15. Unde sequitur, quod verba Hebr. IX. 7. *Solus Pontifex ἅπαξ in secundum Tabernaculum non sine sanguine ingressus est;* de una ingressus vice nequaquam exponi queant. Tria enim distincta intrandi præcepta exstant. Res quoque substrata poscit. Pontifex enim juxta v. 12. 13. primo intraverat cum duplici vase, scil. illo, quod prunas ignitas, altero quod in sanctissimo incendendum continuerat. v. supra §. 203. 204. utraque itaque manus erat onusta. Nemo vero copiam habuerat Pontifici ad manus ministrandi v. 17. Dein altera vice cum pelvi, in qua sanguis juvenci. Thure jam incenso v. 13. 14. Porro tertia cum sanguine hirci. De quo præterea tenendum, quod hircus tum demum mactatus fuerit, postquam sanguis juvenci jam sparsus erat v. 14. 15. Denique per naturam rei, de qua quæstio, nullatenus possibile, ut μόνος Ἀρχιερεὺς *solus Pontifex* ferens & πυρεῖον & acerram thuris & pelvim cum sanguine juvenci ac etiam aliam separatam cum sanguine hirci unica vice intrare potuerit. Sed dices: *Sufficit auctoritas Apostoli testantis, quod Pontifex ἅπαξ intraverit.* Particula ἅπαξ vero *unam vicem* notat. Resp. Veneramur & auctoritatem Mosis ac Apostoli. Salva utraque nobis est ac esse debet. Quando vero teste Mose Aharon unica vice sanctissimum neque ingredi debuerat, neque etiam poterat, videndum, annon vocula ἅπαξ alio sensu commode exponatur. Commode vero exponimus ex hoc ipso Capite Lev. XVI. 34. *Erit ergo hoc vobis in statutum æternum ad expiandum filios*

Israelis ab omnibus peccatis eorum אחת בשנה ubi LXX. ipsam Apostoli phrasin adhibent ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ. Expiatio vero facta est non una vice aut actu. Longe plures actus ad Expiationem poscebantur. Recte intelligo אחד יום *una* die *in anno*. Vel si etiam subintelligerem בפעם אחת *una vice*, haud necessaria esset restrictio *una vice* præcise, vel *unico ingressu*. Quin פעם *vice* collective accipiendum pro toto tempore, in quo res, de qua quæstio, agenda. Quomodo quoque אחת (quod Apostolus quoque per ἅπαξ transfert Hebr. XII. 27.) late accipitur ac majus tempus & plures actus includit.

Cum Mose quoque satis convenit constans Traditio Ecclesiæ Judaicæ referentis quod Aharon Die Expiationis in sanctissimum non intraverit una vice, sed quatuor. Constat ex ipsa *Mischna Tr. Joma*, ceu quæ memorat primum ingressum C. V. 1. secundum Cap cit. §. 3. Tertium §. 4. & quartum VII. 4. Pontifex sub Vesperam נכנס להוציא את הכף ואת המחתה *ingressus erat* (sanctissimum) *ad educendum acerram* & πυρεῖον. Oppones: Traditio hæc non convenit cum Mose, hic enim hujus ingressus prorsus non meminit. Resp. Attamen etiam contrarium penes eum non extat. Παράδοσις probabilis est. Lex enim diserte non memorat ingressum Pontificis in sanctissimum duobus cum vasis memoratis. Non vero memorat, quod ea statim exportaverit. Nec etiam credibile est. Non enim Pontifex mandatum acceperat cunctandi thure largioris mensuræ penitus incenso. Ad verum propius accedit, quod statim post accensionem aromatum egressus fuerit. Nulla quoque videtur ratio, quod Mischnici hunc ingressum effinxerint. Vel cui usui? Nec seminant nec demetunt hic in usum religionis contra Christianos. Noli dicere: Ita Apostolo obloquuntur, qui ingressum ad ἅπαξ restrinxit. Resp. Clare, ut judico, supra probatum, vocem ἅπαξ de una introitus vice salvo Textu Mosis accipi haud posse. An è re Christianorum est sensum verbi facere, qui Mosi contrariatur. Non puto. Quartus ingressus à Mose non narrabatur, quoniam nihil fecerat ad Expiationem. Rei natura postulaverat, ut vasa illata commodo tempore exportarentur. Cum Traditione hac, quæ in Mischna, concordant Magistri recentiores, *Maimonides*, *Bartenora*, *Abarbanel* & tot alii. Vener. AVUS meus ex Hebræis *de Leg. Hebræo-*

bræorum p. 273. obſervat, *quod ſi quis quinta vice ingreſſus fuiſſet, is reus mortis cœlitus illatæ.*

Novi in contrarium citari Judæos celebres, *Joſephum de Bello Jud.* Lib. VI. c. 15. & *Agrippam Regem apud Philonem in Legatione ad Gajum* p. 1035. *Edit. Francof.* Illum teſtantem, quod Pontifex ἅπαξ intraverit. At hunc, ſi ipſe Pontifex duobus diebus in anno *ἢ καὶ τῇ αὐτῇ τρίς καὶ τετράκις aut illa ipſa die ter quaterve intraverit, mortem indeprecabilem ſuſtinere debeat.* Joſephi Teſtimonium non contrariatur. Accipiendum eſt ἅπαξ ſenſu, qui juxta Moſen Apoſtolo Hebr. IX. 7. dandus. Tanto magis, quod ipſi Judæi pro quatuor ingreſſibus ſtantes ita ſcribant נכנס בו פעם אחת בשנה *Pontifex ſemel in anno intravit*, ut Relandus citat ex *Gem. Hier. Joma* XLIII. 1. *Gem. Peſachim* LXXXVI. 1. v. Antiq. P. IV. C. VI. §. 9. Qui quoque recte notat Gemaricos majorem mereri fidem, quam Agrippam Regem in illa ipſa oratione non νομίμως perorantem. Certiſſimum habeo pluribus doctis cum Moſe loquentibus rectius credi, quam regi contra Moſen teſtanti.

Accedit, quod hoc noſtro tempore, quo Antiquitates Judaicæ magis excoluntur, longe plurimi reperiantur, qui Miſchnicorum Traditiones probant, ut ex noſtris *Leideckerus, Braunius, Relandus, Ikenius;* Ex Lutheranis, *Frankius, Lundius, Quiſtorpius, Daſſovius, Deilingius, Joach. Langius, Danzius,* & tot alii. Qui poſteriori tempore contrarium aſſerunt, non ſolum numero pauciores, ſed & argumentis inferiores, inter quos *Joh. Friſchmuth, Andreas Adamus Hochſtetter, Joh. Jacobus Seiferheld,* cujus argumenta contraria, quæ exſtant in Diſſert. *de ingreſſu ſummi Pontificis in ſanctum ſanctorum* Vitembergæ A. 1713. habita, partim in antecedentibus deſtructa, partim haud adeo difficulter deſtruerentur, niſi metueremus nimiam prolixitatem. E diverticulo ad viam; ſequitur mandatum undecimum.

§. 259. Continens ſcopum effectumque ſalutarem præcedentium actuum v. 16. a. וכפר על הקדש מטמאות בני ישראל ומפשעיהם לכל חטאתם *Et expiabit ſanctum illud ab immunditiis Filiorum Iſrael & à defectionibus eorum, ab omnibus peccatis eorum.* Diſtinguimus id, quod expiandum, quare expiandum, & expiationem ipſam.

§. 260. Id, quod expiandum, dicitur הקדש *sanctum hoc*, dieses Heiligthum, quod alias audit *sanctissimum*. Verum est, quod alibi anterior Tabernaculi pars dicatur הקדש *sanctum*, sed posterior קדש קדשים *sanctum sanctorum* Exod XXVI. 33. At hic ob nexum *sanctissimum* intelligendum videtur. Illa enim pars Tabernaculi accipienda est, in qua antea sanguis ad expiandum sparsus erat. Quod ipsum indicat ה demonstrativum. Hoc ipsum vult Aben Esra monens: הוא קדש הקדשים *Hoc est ipsum sanctum sanctorum.*

§. 261. *Sanctissimum* hoc nomen jure fert. Est enim sanctissima Tabernaculi, quod מקדש *sanctuarium* audit, pars, Exod. XXV. 8. Pars, quam קדוש *sanctus Deus* modo singulari inhabitaverat, postulaveratque, ut Ministri & subditi tum ante illud, tum in illo sancti sint, quemadmodum ipse sanctus. Sanctitas postulabatur tum ritualis, tum moralis. Hæc sedem Numinis intimam glorificaverat, oculis ejus placuerat, ac gratiam & protectionem adferebat populo sanctitatis studioso. Ex adverso immundities cultorum habebatur ipsum sanctissimum polluere. Quare lex Pontifici data: *Expiabit sanctum illud ab immunditiis Filiorum Israel & à defectionibus eorum, ab omnibus peccatis eorum.*

§. 262. Sanctissimum expiandum *ob immundities, defectiones & peccata Filiorum Israel*, quibus illud maculatum erat. Spiritus S. peccatorum, ceu spiritualium fœditatum hostis, varie & graviter ea nominat, ut turpem eorum naturam sistat, odium adversus iila excitet, moveatque ad resipiscendum. Tria h. l. occurrunt nomina, scilicet טומאה *immunditia*, פשע *Apostasia*, חטאת *aberratio. Illud* ergo docet peccatum esse impurum quid, ac habere vim polluendi: *Istud* Apostasiam à legitimo Domino, ejusque mandatis (v. 2. Reg. III. 7. VIII. 2.) *Hoc* vero aberrationem à Lege, ceu via ad metam ducente & hinc ipsa felicitate. Tria hæc nomina conjuncta indicant varias peccatorum species, ut scias & Israelem varie coram Deo peccasse, & sanctissimam sedem polluisse, & Deum gratiosum omnes illas species sanguine ἐαντισμȣ̃ condonare velle. Hunc usum quoque alibi habent synonyma juncta. v. Exod. XXXIV. 7.

§. 263. Si notiones vocum curatius distinguere vellemus, duæ priores specialiori, tertia generaliori sensu accipiendæ videntur. Raschius ex parte hoc ipsum observat, quando ad hunc locum ita scri-

ſcribit מטומאות בני ישראל על הנכנסין למקדש בטומאה ולא נודע להם בסוף שנ׳ לכל חטאתם וחטאת היא שוגג פשעיהם אף הנכנסין מזיד בטומאה *Verba* ab immunditiis Filiorum Iſrael *referenda ad illos, qui immundi ſanctuarium intrant, neque id reſciſcunt, ſicuti in fine dicitur :* Secundum omnia peccata eorum. Atqui חטאת eſt שוגג *ignorantia*, ſed vocabulum ומפשעיהם *à defectionibus eorum ad illos, qui impuri animo deſtinato ingrediuntur.* Exiſtimo tamen verba ultima לכל חטאתם vim generis habere, & comprehendere utramque ſpeciem, leviorem & graviorem. Rationes ſunt (1.) Huic ſoli voci in Textu additur כל *omnia.* (2.) Differt particula ל. Antea legis מ *ab immunditiis, à defectionibus*, ſed in fine לכל Schmidius hinc vertit: *Quoad omnia peccata eorum.* (3.) Sive Originem vocis חטאת ſive uſum ejus reſpicias, notio generalis commoda eſt. Omnibus peccatis quippe ineſt aberratio à via & meta. Adhibetur non ſolum de peccatis levioribus Job. XXXIV. 37. 1. Sam. XIX. 4. ſed & gravioribus, ut ſceleribus Sodomitarum Thren. IV. 6. Idololatria 1. Reg. XIV. 6. Hoc generalius includit ſpecialiora ſcil. טומאות *ἀκαθαρσίας immunditias*, tum ceremoniales, quæ ortum habent ex cibis legaliter immundis Jud. XIII. 7. contrectatione cadaverum, aliarumque rerum immundarum Lev. V. 2. fluxu feminis, ſanguine menſtruo Lev. XV. tum morales Ezech. XXXVI. 25. conf. Matth. XXIII. 27. XV. 18. 19. Eph. V. 3. Ut & פשעים *apoſtaſias.* Oncelos & Jonathan מרדין *rebelliones*, ut ſunt actiones fraudulentæ, ſumme impiæ, uti in fratrem Gen. L. 17. conf. maxime Amos I. 3. 6. 9. 11. 13. Ex dictis conſtat Diem Expiationis vere gratioſam fuiſſe, populum divinam habuiſſe ſpem de venia omnium peccatorum non ſolum levium ſed & gravium cujuscunque ſpeciei conſequenda. Quæris; An ergo tum omnia ſine ulla exceptione peccata condonata fuerint? Inferius hæc quæſtio σὺν Θεῷ tractabitur. Quare nunc verbo tantum dico. Omnes reſipiſcentes & fideles univerſalem peccatorum remittendorum ſpem habuerant; Sed non irreſipiſcentes & infideles.

§. 264. Immunditiæ, defectiones, omnia peccata memorata dicuntur *Filiorum Iſrael*, qui tum populum Dei conſtituerant. Includuntur Sacerdotes, Levitæ. Nam & hi *Filii Iſrael*, ex Iſraele oriuntur. Etiam hi peccaverant, adeoque venia peccatorum indigue-

rant. Sanguis expians ſpeciatim etiam pro Aharone & Domo ejus ſparſus erat v. 14. Typica ergo expiatio reſtricta erat ad Filios Iſrael, non extenſa ad Philiſtæos, Edomitas, Ægyptios. Si qui tamen ex Idololatricis gentibus *Proſelyti fœderis* facti erant, illorum peccata ſimul expiabantur. Sunt & hi *Filii Iſrael* per fidem & profeſſionem facti, quanquam non carnaliter nati. Conf. infra v. 29.

§. 265. Immunditiæ, defectiones, omnia peccata Filiorum Iſrael *ſanctiſſimum* polluerant. Nam alias lex non poſtularet Expiationem על הקדש *ſuper illud ſanctum vel ſanctiſſimum.* Mirum poſſet videri, quomodo peccata extra ſanctiſſimum patrata, Hieroſolymæ & per totam terram Canaan, *ſanctiſſimum* polluerint. Impius hæc ceu impoſſibilia, efficta ridet. Vel cogitat, quod nequidem ſanctus Deus peccata ſciat. Verum lex hæc clare docet, peccata, ἀκαθαρσίας ad ſanctiſſimum vi, quam habent, ſumme venenata penetrare, quaſi maculas ſanctiſſimo aſpergere, teſtari contra delinquentes ac iram Dei excitare. Lucem adferunt loca, quæ ſequuntur Gen. IV. 10. Vox ſanguinum *fratris tui clamantium ad me ex terra*, XVIII. 21. Clamor peccatorum Sodomæ *venit ad me*, Pſal. LI. 6. *Malum hoc coram oculis tuis feci.* Conf. Luc. XV. 18. Jac. V. 4. Maxime huc facit caput octavum apud Ezechielem, qui ſpiritu abreptus plura nefanda & impia populi Iſrael in Templo patrata vidit, præprimis v. 3. 5. 7. 10. 14.

§. 266. Quare expiatio præcipitur faciunda על הקדש *ſuper illud ſanctum*, ſive *ſanctiſſimum.* Particula על indicat Expiationis objectum, ſive ſit homo Lev. IV. 20. ſive animal, ſupra v. 10. ſive domus Lev. XIV. 53. Quomodo h. l. quoque ſordes, quæ adyto adſperſæ, ſanguine quaſi oblinebantur & ita tegebantur, ut non amplius fuerint conſpectæ. Myſterium hujus ritus etiam alibi per *obtegere* vel *delere* exprimitur Pſal. XXXII, 1. *Beatus, cujus peccatum* כסוי *tectum.* Paulus Rom. IV. 7. *Beati, quorum peccata* ἐπεκαλύφθησαν *tecta ſunt.* Pſal. LI. 3. מחה *dele defectiones meas*, ceu turpes aſpectu in oculis Dei. Conf. 2. Reg. XXI. 13.

§. 267. Medium hujus Expiationis juxta nexum eſt ſanguis, tum juvenci, tum hirci, ſparſus ſupra propitiatorium, & coram eo, ut ſupra dictum. Non reſtringimus ad ſanguinem hirci immediate antecedentem; Comprehendimus quoque ſanguinem juvenci.

Nulla

Nulla ratio diversitatis. Juvencus æque ad expiandum Lege ordinatus erat ac hircus. Sacerdotium pariter indiguerat Expiatione ac populus. Sacerdotes recte cointelliguntur sub Filiis Israel, quorum impuritas expianda.

§. 268. Porismata ex v. 16. a.

I. *Noli leviter de peccatis, eorumque effectibus cogitare, loqui, quasi nihil essent, in auram abirent, aut Deus similis esset peccatoribus.* Judice Spiritu S. peccata sunt *Aberrationes* à via sanctitatis & hinc meta felicitatis; Sunt ἀποςασίαι à legitimo, justo, bono, sapiente Domino; Sunt ἀκαθαρσίαι, *sordes*, quæ polluunt peccantes & sordidos sistunt non solum coram facie Ecclesiæ militantis, sed & triumphantis, Angelorum, maxime ipsius Dei in cœlo, quæ maculas quasi cœlo aspergunt haud delebiles, nisi morte & sanguine sacrificii hilastici à sancto simul & gratioso Deo ordinati.

II. *Non puri quidem etiam sunt Filii Israel coram oculis Dei; Purificantur tamen gratiosa ejus ordinatione* αἵματι ῥαντισμȣ̃. Beneficium hoc *Filiis mundi*, Aegyptiorum &c. nullibi promittitur.

III. *Omnia peccata generatim conveniunt in aberratione, sed differunt speciatim.* Sunt *impuritates, defectiones, leviora, graviora.* Omnia tamen indigent *sanguine sparsionis*, omnia hinc fugienda, patrata intercedente resipiscentia & fide expianda.

IV. *Dies Expiationis generatim peccatorum veniam à parte Dei offert. Si particularis actu tantum est*, causa in dispositione hominum latet.

V. *Medium Expiationis rationi contemtum videtur*: Mors & sanguis victimæ. Qui rationem sequitur, cogitat: Quis naturalis est nexus? Quæ δύναμις Expiationis? Christus crucifixus est sapientibus mundi stultitia, Judæis scandalum.

VI. *Sub V. Testamento, qui medium Expiationis à Deo ordinatum* τῇ ἀπιςίᾳ *rejecerant, nullam habuerant spem remissionis peccatorum.* Quanto magis, qui sanguinem N. Testamenti κοινὸν habet. Hebr. IX. 29.

VII. *Sanguis juvenci & hirci* τυπικῶς & ἐν σκιᾷ *Peccata Filiorum Israel obtexerat.* At sanguis Jesu Christi Filii Dei ἐν ἀληθείᾳ καὶ πνεύματι καθαρίζει *purgat* ab omni peccato, tollit sordes & dat puritatem.

§. 269. Subsequitur mandatum duodecimum de sanguine juvenci & hirci ea ratione in tentorio Conventûs spargendo, qua spargebatur in sanctissimo. Verba mandati hæc sunt וכן יעשה לאהל מועד השכן אתם בתוך טמאתם *Et sic faciet tentorio Conventûs habitanti cum illis in medio immunditiarum eorum* v. 16. b. Distinguimus hic duo: Locum & sparsionem in eo.

§. 270. Locus hujus sparsionis exprimitur: *Tentorium Conventûs habitans cum iis in medio immunditiarum eorum.* Vocatur primo אהל מועד. LXX. transferunt σκηνὴ μαρτυρίου, quos Vulgatus & alii veteres sequuntur *Tabernaculum Testimonii.* Minus commode. Vox מועד non derivanda à ועד hiphil העיד *testari*, sed à יעד *indicare aliquid.* Ipsa scriptura clare hanc originem monstrat Exod. XXIX. 42. 43. Ostium אהל מועד *coram facie Jehovæ*, ubi אועד *conveniam vos ad loquendum tecum ibi*, ונעדתי *conveniam ibi Filios Israelis.* Recte itaque vertitur *tentorium Conventûs*; Die Hütte der Zusammenkunft. Locus adeoque destinatus populo ad conveniendum in rebus cultus divini.

§. 271. *Tentorium Conventûs* modo late accipitur & notat totum tentorium, sanctum simul & sanctissimum, veluti Exod. XXXI. 7. XXX. 16. XXXV. 21. XL. 34. Circumstantiæ poscunt extensionem ad utramque partem. Commode: Nam tegmina, quæ אהל *tentorium* faciunt, imponebantur utrique parti. Alibi accipitur stricte. Circumstantiis restringentibus vocem ad priorem tentorii partem, quæ alias *sanctum* dicitur, ut Exod. XXVIII. 44. *quando ingrediuntur tentorium Conventûs* scil. Sacerdotes ad ordinarias functiones obeundum, quæ vero nonnisi in sanctuario peragebantur. Hac notione hic accipimus. Distinguitur enim à sanctissimo, וכן *& sic faciet tentorio Conventûs.* &c. Quando igitur antecedentes sparsiones factæ erant in sanctissimo, sequitur, quod hæ in alio loco. Jam alius locus juxta circumstantias conveniens haud est, quam prior tentorii pars. Poscit significatus particulæ כן, qui ordinarius est *sic*, *similiter* v. Jos. II. 2. Psal. CXXVII. 4. Est. IV. 16. unde veteres & recentiores particulam vertunt per *sic*, *hoc modo*, *similiter*, Chaldæus LXX. Vulgatus, Syrus, Lutherus, Schmidius & alii.

§. 272. Hoc tentorium explicatur porro השכן אתם *habitans cum iis.* Verba duplicem admittunt expositionem. Vel prædicantur

tur de ipſo tentorio, vel de Deo inhabitante. Prior expoſitio communior eſt. Unde LXX. ἐκτισμένον *creatum* (conf. Hebr. IX. 11.) Vulg. *fixum.* Convenit cum uſu vocis Jos. XXII. 19. ubi שכן *habitat habitaculum Jehovæ.* Tentorium toties משכן *habitaculum* dicitur. Nec non cum re. Tentorium Conventûs enim erat penes tentoria Filiorum Iſrael. Poſterior ſatis quoque commoda. Tentorium Conventûs, השכן ejus, *qui habitat cum iis.* Toties Deus dicitur שכן, qui in populo habitat Num. XXXIV. 34. *Ego* שכן *habito in medio ejus; Nam ego Jehova habitans in medio Filiorum Iſrael.* conf. Num. V. 3. Nec non Exod. XXV. 8. & facient mihi ſanctuarium ושכנתי & *habitabo in medio eorum.* Utraque recte ſe habet, poſterior tamen magis emphatica videtur, ut ex ſequentibus cognoſcetur. At Lutheri verſio omni fundamento caret; Dann ſie ſind unrein, die umher liegen. Confundit quoque numeros, ſingularem cum plurali.

§. 273. Quod additur, maxime notandum *in medio immunditiarum eorum*, ſive referas ad tentorium, ſive ad Deum illud inhabitantem. Igitur expiatio ſparſione ſanguinis faciunda. In genere alluditur ad ſitum tentorii & ita ad Deum illud inhabitantem. *Circa tentorium Conventûs caſtrametabantur* Filii Iſrael Num. II. 2. Circumcirca cingebatur à caſtris Iſraelitarum à plaga orientali, occidentali, meridionali, ſeptentrionali. vide quæ *cap. cit.* ſequuntur. Unde toties ſiſtitur בתוך *in medio.* In ſpecie accuſantur Iſraelitæ *immunditiarum.* Immundi erant φύσει Job. XIV. 4. Pſal. LI. 7. Immundi in vita ſubſequente, tum immunditia legali externa, tum etiam mentali. Immunditiæ autem populi penetrant ad tentorium Conventûs, partem anteriorem. Non mirum. Penetrarunt enim etiam ad interiorem, ut ſupra obſervatum. Pollutio facta à Sacerdotibus, Levitis, Iſraelitis, illis qui comparuerunt coram facie ſancti Iſraelis, ut & illis, qui in caſtris vixerant. Qui res ex ſenſibus dignoſcimus, haud facile concipimus, quomodo immunditiæ extra tentorium hoc maculaverint, ſed cogitata Dei noſtris ſunt ſubtiliora. Immunditiæ mentales præ reliquis ſordidæ ſunt. Deus Spiritus præprimis ad mentalia attendit. Nihilominus legimus, quod etiam impuritates corporeæ polluant. vid. Levit. XII. XIII. XIV. XV. præprimis v. 31 - fin. Num. V. 2. 3.

§. 274. Immunditiæ ergo Filiorum Iſrael cauſa ſunt præcepti. *Et ſic faciet tentorio Conventûs, quod habitat penes illos (vel ejus, qui penes illos habitat) in medio immunditiarum eorum.* Verba, *ſic faciet* clare mandant, ſimiliter expiabit *tentorium Conventûs.* Sanguis juvenci primo ſpargebatur ſemel ſurſum, ſepties deorſum. Tum quoque ſanguis hirci ſpargebatur ſemel ſurſum, poſtea ſepties deorſum. Ergo pari modo & numero ſparſio peragenda erat in tentorio Conventûs.

§. 275. Quando vero anterior tentorii Conventûs pars plures habuerat partes, plura quoque vaſa, quæritur: Quo ſparſiones memoratæ dirigendæ fuerint? Termini enim non exprimuntur, uti in ſanctiſſimo *ſupra propitiatorium* & *ante propitiatorium.* Ex ſilentio recte colligimus, quod ſpecialis determinatio poteſtati Eccleſiæ relicta fuerit. Lex divina generalis determinatur à ſtatuto Eccleſiæ. Noli dicere aram ſuffitus intelligendam eſſe, ceu cujus mentio fit v. 18. 19. Reſp. Minime. Expiatio enim aræ ſuffitus clare diſtinguitur ab Expiatione tentorii Conventûs v. 20. quando abſolvit expiare ſanctum illud ואת אהל מועד ואת המזבח *& tentorium Conventûs & aram illam.* Dein expiatio aræ facienda ſeptem vicibus v. 19. At tentorii octo. Hæc enim peragenda conſimili modo, quo in ſanctiſſimo v. 16. Ergo eſt alia.

§. 276. Eccleſia Judaica vero determinavit ſparſiones has verſus פרכת *velum*, quod ſanctum inter & ſanctiſſimum ſuſpenſum erat (v. plura de hoc velo §. 19.) faciundas eſſe. Unde Raſchius ad h. l. *ſparget ſupra* vel verſus velum *extra de ambobus iſtis* (ſanguine juvenci & hirci) *ſemel ſupra & ſepties infra.* Plenius παράδοσις in Miſchna Tr. Joma Cap. V. 4. נטל דם הפר והניח דם השעיר והזה ממנו על הפרוכת שכנגד הארון מבחוץ אחת למעלה ושבע למטה ולא היה מתכוין וכ"ו וכך היה מונה וכ'ו נטל דם השעיר והניח דם הפר והזה ממנו על הפרוכת שכנגד הארון מבחוץ אחת למעלה וז' למטה וכו' *Sumebat ſanguinem juvenci; Hircique ſanguinem demittebat: Spargebat ex illo juxta velum, quod contra arcam erat extrinſecus, ſemel ſurſum & ſepties deorſum, nec intuebatur. &c. & ſic numerabat. &c. ſumebat ſanguinem hirci & juvenci ſanguinem demittebat, ſpargebat ex illo juxta velum, quod contra arcam erat extrinſecus, ſemel ſurſum & ſepties deorſum.*

sum. &c. Nihil hac in Traditione invenio, quod Legi Mosaicæ repugnet. Sparsiones hæ in sanctuario agendæ erant. Jam factæ versus velum in sanctuario actæ sunt. Facies Pontificis ita spargentis erga arcam directa erat. Ἀξίως. Honorabat ita Deum, & testabatur se hunc quoque cultum ei exhibere ac petere ab eo expiationem. Velum hoc non ex minimis, quæ in sanctuario posita erant. Docuerat viam nondum ad adytum apertam esse, aperiri sanguinis sparsione. Denique quando dicitur v. 18. ויצא *& exibit ad altare*, commode intelligitur de continuato gradu Pontificis à velo ad aram, ut infra dicemus.

§. 277. Porismata ex parte posteriori v. 16.

I. *Pars tentorii anterior differt quidem à posteriori sive sanctum à sanctissimo. Attamen conjuncta sunt, velo nonnisi discrimen faciente & intuitum arcente.* Differt Ecclesia militans à triumphante & tamen conjunctæ sunt Hebr. XII. 22 - 25. Distinguit velum carnis, conjunctio haud est per visum, sed per fidem. 2. Cor. V. 7.

II. *Etiam sanctuarium habitaculum Dei, Deus quoque inhabitator sanctuarii.* Qui inhabitat מרום *altum* cœlum, is etiam inhabitat sanctuarium inferius, mentes humiles, ob peccata & miseriam tristes. Jes. LVII. 15.

III. *Mirum! Sanctus Deus inhabitat sanctuarium quod in medio impuritatum populi Israel.* An purus lucis instar in hominibus impuris habitat? Minime in impuris, qui in impuritate oblectamentum habent. 1. Joh. I. 5. 6. At in impuris, qui sordes odio habent atque purificationem à sanctificatore Israelis expetunt, intendunt. Corinthii, qui Templum Dei vivi, nondum erant τελείως puri 2. Cor. VI. 16. VII. 1. Insigne hinc solatium pro avidis purificationis.

IV. *Hinc illud solum habitaculum in medio impuritatum Deus inhabitat, quod sanguine expiatur.* Habitat in spiritualibus tentoriis, quæ communionem lucis æstimant, quærunt, ut purgentur à peccatis suis 1. Joh. I. 7. 9.

V. *Est eadem expiatio in sanctissimo & sancto.* כן *similiter* faciat tentorio Conventûs.

§. 278. Mandatum decimum tertium prohibens præsentiam ullius hominis in tentorio Conventûs toto, quo Pontifex intus expiat tempore וכל אדם לא יהיה באהל מועד בבאו לכפר בקדש עד צאתו וכפר בעדו ובעד ביתו ובעד כל קהל ישראל *Ullus autem homo non erit in tentorio Conventûs, quando ille intrat ad expiandum in ſancto, usque dum is exit, & expiaverit pro ſe & pro domo ſua & pro toto cœtu Iſrael.* Interdictum hoc docet Locum, ſubjectum & tempus excluſionis v. 17.

§. 279. Locus excluſionis eſt *tentorium Conventûs*, uti locum hunc ſenſu ſtrictiori acceperamus §. 270. ſic & hic accipimus pro parte anteriori, quæ alias *ſanctuarium* dicitur. Talis erat notio proxime antecedens v. 16. Nulla hoc in loco videtur ratio prohibendi introitum in ſanctiſſimum, quippe jam prohibitus v. 2. Nondum vero prohibitus introitus in ſanctum. Quare prohibendus.

§. 280. Subjectum proponitur abſolute: *Omnis homo non erit in tentorio Conventûs*, hoc eſt: Nullus erit. Hebraiſmum imitantur LXX. Πᾶς ἄνθρωπος οὐκ ἔςαι ἐν τῇ σκηνῇ. Etiam Scriptores Novi Teſtamenti, vide Matth. XXIV. 22. Luc. I. 37. Excluduntur hac Lege non ſolum Iſraelitæ gregarii, Levitæ, quibus nunquam copia ſanctum intrandi conceſſa erat, ſed & omnes Sacerdotes, ſolo Pontifice, vel in caſu neceſſitatis ejus vicario, excepto. Significationis intendendæ gratia lex habet: Nullus אדם *Adam* vel *homo* ex Adamo oriundus. Verba hæc Philoni occaſionem dederunt de Pontifice ſcribendi μεθόριος τις Θεοῦ φύσις, τοῦ μὲν ἐλάττων ἀνθρώπου δὲ κρείττων *contermina quædam Dei natura* (ei) *hoc quidem minor, homine autem potior. Lib. de ſomniis* p. 1134. ſcil. Nullus homo ingrediendi licentiam habuerat. At ingreſſus erat Pontifex. Ergo videtur Pontifex exemtus è numero hominum. *Philo* confert locum Exod. VII. 1. *Dedi te Deum Pharaonis.* Pontificem hominem fuiſſe citra controverſiam poſitum puto. Imo hoc in verſu proponitur non ſolum homo, ſed & peccator, utpote qui neceſſe habuerat, ut etiam expiaret *pro ſe.* Exceptio Pontificis non exprimitur. Circumſtantiæ, quæ in Lege, eum excipiunt; Singularis tamen apparet locutio: *Nullus Adam* ex Adami poſteris *ſit in tentorio Conventûs.*

§. 281. Tempus exclusionis: *Quando* (Pontifex) *intrat ad expiandum in sancto, usque dum is exit.* Terminus à quo est *introitus* Pontificis *ad expiandum in sancto.* Recte hinc colligitur, quod alio tempore sanctum intrandi licentiam habuerit, etiam אדם *homo.* Non quidem Israelita vel etiam Levita, sed Sacerdos gregarius Exod. XXVIII. 43. Sacerdotes gregarii in sancto suffitum incenderant, Lychnuchum pararant, panes propositionis mensæ imposuerant aut eos amoverant. Ergo sanctum intrarant. Hinc porro sequitur phrasi בקדש hoc loco *sanctum* intelligendum esse, non sanctissimum. LXX. ἐν τῷ ἁγίῳ, Vulg. *in Sanctuario.* Nam אדם *homo* Sacerdos semper à sanctissimo exclusus erat. Sed terminus ad quem, est: *Donec is exit* ex sanctuario atque ita solennem expiationem absolverit.

§. 282. Ut vero ratio Legis excludentis constaret, addidit lex: *Et expiaverit pro se & domo sua & pro toto cœtu Israel.* Hæc solennis & generalis expiatio sapientem legislatorem movit ad mandatum hoc ferendum. Tum enim non solum in sanctissimo sed & sancto expiatio facta & Pontificis & Sacerdotum & totius Israelis. Pontifex, cujus peccata quoque expiabantur, aderat. Aliter typica expiatio fieri haud potuisset. In typicis subinde ob impotentiam fit, quod alias non fieret. Quæ supra dicta sunt de voce כפר §. 95. nec non particula בעד §. 96. hic non repetimus.

§. 283. Juxta Legem nullus homo in sanctuario tempore hujus solennis expiationis erat: Ubi ergo? Copia erat standi & gratiam Numinis expetendi extra tentorium. Specialia, quæ in Traditionibus leguntur, habet *Maimonides in Tr. de solenni Expiatione in Die Expiationis* Cap. IV. בשעת הקטרת הקטורת בקודש הקדשים כל העם פורשין מן ההיכל בלבד ואינן פורשין מבין האולם למזבח שאין פורשין מבין האולם ולמזבח אלא בשעת הקטר׳ בהיכל בכל יום ובשעת מתן דמים בהיכל Interprete Lud. Comp. de Veil. *Interea dum suffimentum in sancto sanctorum incendebatur, omnino populus omnis recedebat è Templo; Non recedebat autem de spatio inter vestibulum & altare intermedio, neque enim quotidie loco inter vestibulum & altare intermedio cedendum erat, nisi interea temporis, quo aut intra Templum suffimentum incendebatur aut inspergeretur Templo sanguis.*

§. 284. Porismata ex v. 17.

I. אדם *omnis ex Adamo oriundus, etiam qui videtur præ aliis excellere ac jus ad Deum appropinquandi habere, per se indignus est. Unione & Communione cum Deo.* Sanctitas & Justitia arcent peccatorem à familiaritate Dei. Psal. V. 5. 1. Joh. I. 5. 6.

II. *Homo non solum non se ipsum non expiat, sed & nequidem spectator tam admirandi & ingentis operis divini esse valet.* Humilis procul à Deo stat, gratiam petit & exspectat dicens: *Magna fecisti tu, ô Jehova, Deus mi, mirabilia tua & cogitationes super nobis.* Psal. XL. 6. Luc. XVII. 13.

III. *Mors non solum sed & sanguis aspersionis in sanctissimo ac sancto divinum est medium reconciliationis cum Deo.* Typicæ typica; Antitypicæ antitypica.

IV. *Ob impotentiam typi unus Adam sive homo Pontifex scil. expiationi typicæ intererat; Ob excellentiam antitypi nullus.* Jesus Christus enim non ψιλὸς *nudus homo*, sed θεάνθρωπος, ut Pontifex Deus, ut victima homo consideratur Hebr. IV. 14. IX. 24.

V. *Expiatione typica dabatur Sacerdotibus aditus ad sanctum. Peracta antitypica datur omnibus fidelibus* ceu spiritualibus Sacerdotibus *ad Communionem cum Deo & sanctis.* 1. Joh. I. 3. Hebr. IX. 19-24.

§. 285. Mandatum speciale numero decimum & quartum, mandans impositionem & aspersionem utriusque sanguinis super altaris cornua & altare ipsum ad sanctificandum, exstat versibus 18. 19.

ויצא . אל המזבח אשר לפני יהוה וכפר עליו ולקח מדם הפר ומדם השעיר ונתן על קרנות המזבח סביב והזה עליו מן הדם באצבעו שבע פעמים וטהרו וקדשו מטמאת בני ישראל *Cum autem progressus fuerit ad illud altare, quod coram facie Jehovæ est, expiabit illud & accipiet de sanguine illius juvenci & de sanguine illius hirci & dabit super cornua altaris circumquaque. Sparget quoque super illud de illo sanguine digito suo septem vicibus & (ita) mundabit ac sanctificabit illud ab immunditiis Filiorum Israel.* Quatuor distincta notabimus. Primum, quodnam altare intelligendum sit. Alterum, sanguinis dationem super cornua altaris. Tertium, ejusdem aspersionem. Quartum, scopum & effectum.

§. 286.

§. 286. Lex hæc memorat מזבח *altare, quod coram facie Jehovæ.* Duo in Tabernaculo erant altaria à se invicem distincta specialibus nominibus, materia, loco & usu. Unum dicitur altare הקטורת *suffitus* Exod. XXX. 27. Lev. IV. 7. constabatque ex auro Exod. XXX. 3. Unde dici solet altare הזהב *aureum* Exod. XL. 26. erectum erat in sanctuario Exod. XXX. 6. XL. 26. ac communiter inserviverat suffitui incendendo Exod. XXX. 7. At alterum audit altare העולה *holocausti*, constabatque ex ære, unde dicitur altare נחשת *æneum* 2. Chron. IV. 1. stabatque in atrio Sacerdotum, serviveratque carnibus incendendis, similibusque.

§. 287. Quæritur igitur, quodnam hoc loco intelligendum sit altare? Paucissimi sunt, qui *altare Holocausti* intelligunt, ex Judæis *Aben Esra*, & ex Christianis *Piscator.* Rationes sunt: Dicitur passim altare. Dein recte dicitur *coram facie Jehovæ*, ut in toto hoc capite v. 12. maxime quia de Pontifice dicitur ויצא *quum exiverit* (puta ex sanctuario) *ad altare, quod coram facie Jehovæ.* Longe plurimi intelligunt *altare suffitus.* Si Aben Esram exceperis cuncti Judæi sequuntur *παράδοσιν* seniorum in *Tr. Joma* C. V. 15. ויצא אל המזבח אשר לפני ה' זה מזבח הזהב *Et exibat ad altare, quod erat coram facie Jehovæ. Hoc vero altare aureum.* Gemarici pariter de hoc altari exponunt f. LVIII. c. 2. s. m. *ad Tract. cit.* Ex recentioribus *Raschius in Commentario* ad Lev. XVI. זה מזבח הזהב שהוא לפני י"י בהיכל *Est altare aureum in palatio coram conspectu Domini situm*, & in *Glossa ad fol. citat.* addit ואלו מזבח החיצון לאו לפני ה' הוא *altare exterius intelligi nequit; Neque enim hoc in conspectu Domini est*, quod tamen non est verum. Idem *Maim. Tr.* עבודת י"ה & *Abarbanel Comment. in Leg.* f. CCXLIX. 3. init. Ex Christianis Ligtfootus, Ainsworthus ac reliqui hoc in studio exercitatissimi communem Judæorum sententiam sequuntur.

§. 288. Hanc & ego sequor fultus Lege divina, quæ exstat Exod. XXX. 10. *Expiabit autem semel in anno* על קרנתיו *cornua ejus* (*altaris suffitus*) *è sanguine* (*Sacrificii*) *pro peccato Expiationum. Semel in anno expiabit illud in generationes vestras.* Hic locus evidentissime probat verba Mosis Levit. XVI. 18. 19. de interiori ara sumenda

 esse.

esse. Nam parallelus est, quemadmodum autem in Exodo omnium consensu ara interior innuitur, ita pariter in Levitico. Ipse *Piscator* parallelum habet. vid. Scholia ejus ad Exod. XXX. 10. Si comparationem constituimus, nulla supererit difficultas. Convenit enim א *tempus*, quod est *Dies Expiationis*, quo solo hoc altare ejusque cornua sanguine sacrificii pro peccato ad expiationem peculiariter destinati expianda. conf. phrasin *expiabit* אחת בשנה *semel in anno* cum Lev. XVI. 34. Convenit ב *sanguis*, qui vocatur *sanguis sacrificii pro peccato* הכפרים *expiationum*, qualis est sanguis juvenci & hirci v. 11. & 15. Convenit ג *expiationis objectum*, quod est altare, ejusque cornua, *expiabit cornua ejus & expiavit illud* scil. Altare, modo, quem lex posterior clarius præscripsit, *imponet* de sanguine juvenci & hirci, *cornibus altaris circumquaque atque insperget illud septem vicibus.* Quo alias verba Exod. XXX. referenda? Non possunt ad aliam, quam hanc nostram Legem referri.

§. 289. Rationes, quæ supra §. 287. pro opinione Aben Esræ prolatæ sunt, non stringunt. Etenim & altare suffitus altare dicitur, quod *coram facie Jehovæ.* v. Exod. XXX. 8. Lev. IV. 7. Species argumenti quædam latet in voce ויצא, ceu quæ solet adhiberi de egressu è sanctuario vid Exod. XXXIV. 34. XXVIII. 34. verum vox יצא generalem tantum habet notionem *exeundi* aut *progrediendi.* Specialior determinatur à terminis, qui vel relinquuntur vel adeuntur, petenda. Terminus à quo non diserte memoratur. Unde *Ainsworthus*, *Joach. Langius* eum faciunt sanctissimum. Cum his tamen facere non possum, quia Pontifex jam sistitur egressus è sanctissimo, quando sanguinem in tentorio Conventus sparserat versus velum v. 16. vide supra §. 276. Nec facere possum cum Aben Esra, quia terminus ad quem dicit, *altare, quod coram facie Jehovæ.* Hoc vero altare est altare suffitus, quod stabat in sanctuario. Ergo exitus è sanctuario accipi nequit v. §. 288. Aliam explicationem locum habere non video, quam quod Pontifex hactenus stans versus velum nunc magis progressus fuerit ad altare suffitus. Ita accipit Raschius ad hunc locum מה תלמוד לומר׃ ויצא לפי שהזה ההזאו׳ על הפרכת ועמד מן המזבח ולפנים והזה וכמתנות המזבח הזקיקו לצאת מן המזבח ולחוץ ויתחיל מקרן מזרחית צפונית *Quid Textus vult, quando habet* ויצא *cum egressus fuerit? Hoc, quod sparserit versus velum ste-*

terit-

teritque remotus ab altari (aureo) quod introrsum spectabat. Quando vero sanguinem altari indebat , tum tenebatur (Aharon) exire de altari hoc & extra , atque incipiebat à cornu altaris orientali septentrionali. Quod ex situ ejus quoque colligi potest. De quo vero Maimonides C. III. 17. Tr. בית הבחירה sive *domo selecta* מזבח הקטור' היה מרובע אמה על אמה והוא נתון בהיכל מכוון בין הצפון לדרום משוך בין השולחן והמנורה לחוץ *Altare suffitus quadratum & in longitudine & latitudine cubitale erat : Positum in Templo septentrionem inter & meridiem , præ mensa & Lychnucho extrorsum tendens.* Contrario itaque modo situs se habet , quam illum Doctissimus Anglus *Ligtfootus* collocat *in Op. Tom. I.* pag. 586. ed. MDCXCIX. *Candelabrum erat ad latus unum ædis , mensa ad alterum. Altare in medio, non exacte quidem inter mensam & candelabrum sed paulo propius adyto , quam illa ;* scribendum illi fuisset *paulo remotius ab adyto* &c. Quare si ara hæc atrio propior , quam adyto , Pontificis erat à velo ad altare exterius prodire.

§. 290. Altare ergo suffitus intelligendum, quod expiandum præcipit וכפר עליו *& expiabit illud.* De phrasi hac jam dictum §. 95. quia pollutum , ut infra dicemus , ejus expiatio mandatur. Quando vero Expiationes Aharonicæ communiter sanguine fiebant, hæc quoque sanguine faciunda. Modus tamen differt ab antecedentibus, ut ex collatione constabit. Etiam expiatio altaris diversimode agenda erat.

§. 291. Prior continetur his verbis : *Et sumet* (Aharon) *de sanguine juvenci illius & de sanguine hirci illius & dabit super cornua altaris circumquaque.* Ille ipse igitur sanguis juvenci & hirci, quo antea expiatio fiebat, adhibendus. Non tamen præcipitur successivus, ut primo sanguis juvenci, tum hirci indendus, ut exstat v. 14 - 17. Nec etiam præcipitur , à quo cornu incipere debeat. Hæc & consimilia potestati Ecclesiæ relicta sunt.

§. 292. Unde in Traditionibus Judæorum legimus talia fuisse statutis ecclesiasticis determinata. Constat ex Tr. Joma Cap. V. 4. עירה דם הפר לתוך דם השעיר ונתן את המלא בריקן Interprete Sheringhamio : *Sanguinem juvenci in sanguinem hirci effundebat & pa-*

 teram

teram plenam in vacuam remittebat. conf. *Maimonid. Tr.* עבודת י"ה Cap. IV. & Abarbanel *Comment. Leg.* f. CCXLIX. 3. pr. Quare autem hoc? Quare ſanguis in expiatione altaris commiſcetur? Bartenora præeuntibus aliis Magiſtris id ex Textu noſtro eruere conatur, in quo dicitur *& accipiet de ſanguine juvenci illius & ſanguine hirci illius.* Ergo colligit מדם שניהם יחד *ex utroque ſanguine illius.*

§. 293. Conſtat dein ex alia Traditione de modo ſanguinem juvenci & hirci cornibus altaris imponendi Tr. cit. cap. cit. §. 5. התחיל מחטא ויורד מהיכן הוא מתחיל מקרן מזרחית צפונית צפונית מערבית מערבית דרומית מזרחית מקום שהוא מתחיל בחטאת על מזבח החיצון משם היה גומר על מזבח הפנימי רבי אליעזר אומר במקומו היה עומר ומחטא ועל כולן היה נתן מלמטה למעלה חוץ מזו שהיתה לפניו שעליה היה נותן מלמעלה למטה Quæ idem interpres his verbis: *Incipiebat, mundabat & deſcendebat; unde incipiebat? A cornu orientali aquilonari, aquilonari occidentali, occidentali meridionali, meridionali orientali. Loco, quo incipiebat, cum hoſtiam pro peccato offerebat in altari exteriori, eodem in altari interiore finiebat. R. Elieſer dixit: In loco ſuo ſtabat, & mundabat & dabat ſuper ſingula manum ſuperne elevans, excepto eo ſolo, quod ei à fronte erat, quia ſuper illud dabat manum inferne collocans.* Hæc quia intellectu difficilia ſunt & alias lectorem dubium relinquunt, illuſtrare conabimur.

§. 294. Statim ab initio מחטא, quod noſter interpres *mundabat* transfert, ab aliis vertitur *deſcendebat* ſeu *placide* vel *leviter deſcendebat.* Raſchius f. LVIII. 2. ad *Talm. Babyl. Tr. Joma* & de illo *Toſaph. Jom Tobh.* לשון רשי מחטא לשון ירידה הוא כדאמרינן במנחורת *Juxta Raſchium* מחטא *ſignificatum* deſcenſus *habet, quemadmodum in Tr. de fertis* in Verbis: נושא עולה ומתחטא: Qua ratione ſtylus Miſchnæ h. l. conſtaret verbis ſono diverſis, ſed ſenſu iisdem, uti idem habet. Niſi malis illud חטא à ירד ita diſtinguere, ut prius non ſimpliciter *deſcendere* ſed *leviter deſcendere* notet. Hic ſignificatus ſcopo haud inconveniens. Licet veriſſimum ſit ſignificatum *Sheringhamii* longe frequentiorem eſſe, ac reperiri in ſacris Lev. XIV. 52. Dein deductionem illam ſanguinis revera ad mundationem pertinere. Ex Magiſtris Judæorum idem velle auctorem *Joſaphat Jom. Tobh.*

§. 295.

§. 295. Ex mente primi Doctoris Pontifex priori, quo sanguinem versus velum spargebat, loco relicto altare circuibat, accedebatque ad cornu orientale septentrionale (duarum autem plagarum meminerunt, quo in loco determinando certiores sint) quod sanctum ingredienti ad latus dextrum erat: Tum illi sanguinem imponebat מלמעלה למטה *à parte altaris superiori versus inferiorem* ducendo, ne si opposita ritum hunc perficeret ratione sanguis defluens manum vestesque contaminaret. Postea ibat ad cornu septentrionale occidentale, quod ad dextram ejus situm (cujus uti jam dictum in functionibus sacris ratio habebatur) atque eundem sanguinem imponendi ritum observabat. Similiter in duobus reliquis cornibus.

§. 296. Ab hoc autem dissentit R. Elieser (α) tum quia putat Pontificem uno semper in loco stetisse, non vero ad singula cornua ivisse (β) tum etiam, quia statuit cornibus remotioribus sanguinem à parte altaris inferiore versus superiorem inductum fuisse. Sed Judæi solent potius secundum primum doctorem pronunciare, quemadmodum Maimonides & Bartenora in Glossis annotarunt.

§. 297. Idem tamen Maimonides, qui in Commentario Mischnæ expresse ait, decisionem juris haud esse juxta R. Elieseris sententiam in præclaro opere, quod יד חזקה appellat, hanc solam profert Tr. עבודת יום הכפורים Cap. IV. על כולן הוא נותן מלמטן מלמטלן (Lege למעלן) חוץ מן האחרונה שהיתה לפניו שהוא נותן מלמעלן למטן כדי שלא יתלכלכו כלי׳ *Sanguinem illum, quem cornibus indebat, ab infra ad supra digito ducebat: Ultima ἐπιθέσει, quæ ante se facta est, excepta, quam à superiori ad inferiorem deducebat partem, ne vestes inquinarentur.* Idem tradit *Abarbanel Comment. in Leg. l. cit.*

§. 298. Libertatem relinquo hæc, quæ Judæi habent, vel probandi vel rejiciendi. Me quod attinet, non video, quod Mosi contrarietur. Leges Mosaicæ concisis verbis prolatæ, quando postea observandæ erant, indigebant specialiori determinatione ob εὐταξίαν & ad materiam contentionum præscindendum. Miror, unde versio Arabica habeat v. 18. *accipiendo de sanguine vituli & de sanguine hœdi simul junctis.* Convenit cum speciali παραδόσει, de qua §. 291. 292.

291. 292. Et quanquam lex non diserte mentionem faciat omnium quatuor cornuum sanguine tingendorum, recte Judæi de omnibus explicarunt. Additur enim סביב *circumquaque.* Nullum ergo cornu absque sanguine linquendum.

§. 299. Posterior vero v. 19. *Et sparget super illud de sanguine illo digito suo septem vicibus.* הדם *ille ipse sanguis* juvenci & hirci nunc commixtus spargendus dicitur והזה *& sparget* vel faciat ut sanguis spargatur. vide quæ supra §. 235. de הזיה *sparsione* dicta sunt. Nonnisi hic noto, quod differat ab antecedente: *Sumet* ונתן *& dabit* על *super cornua altaris.* Antea ergo videtur pontifex digitum in pelvim sanguinis immersisse & cornua attigisse illinendo sanguinem cornubus v. 18. 19. quod LXX. vertunt ἐπιθήσει, minus recte Vulgatus *fundat.* Nunc vero digito eoque dextro sanguinem altari aspersit, id non attingendo.

§. 300. Altare variis constabat partibus, quare quæritur, quænam aspergenda fuerit? An latus aliquod vel superior ejus pars sive tectum? Resp. Tectum. Lex enim habet עליו *supra illud,* puta altare. Ordinaria notio Particulæ על est *supra.* Quomodo quoque accipiebatur supra v. 14. Ita quoque intelligunt Judæi, tum prisci Mischnici *Tr. Joma* C. V. 6. הזה על טהרו של מזבח Pontifex *super locum mundum altaris spargebat.* Gemaricis explicantibus, *locus purus* altaris est superior ejus pars à cinere purgata vid. *Sheringham. ad l. cit.* Tum recentiores, ex quibus Raschius ad h. l. אחר שנתן מתנות באצבעו על קרנתיו מזה שבע הזאות על גגו *postquam dederat digito suo dationes super cornua altaris, spargebat (Pontifex) septem sparsiones super tectum.* Etiam Maimonides Tr. & l. cit. חותה הנחלים והאפר שבמזבח הזהב הילך והילך עד שמגלה זהבו ומזה מדם התערובת על טהרו של מזבח שבע פעמים בצד הדרום במקום ששלמו מתנות קרנותיו Pontifex *prunas & cinerem altaris huc illuc removebat, usque dum aurum revelabatur: Tum puram ejus partem sanguine illo commixto septies aspergebat ad latus meridionale eo in loco, in quo prius ἐπιθέσεις sanguinis in cornibus absolverat.* Quotidie enim aromata hoc in altari incendebantur & quidem illa ipsa suffitus matutinus ordinarius jam incensus erat. Quare scopis pars superior sive tectum purgandum erat. Minime enim conveniens videbatur, ut sanguis spargeretur super cinerem.

§. 301. Vices ſparſionis hujus Lege determinatæ ſunt. *Septem vicibus.* Pro libertate legislatoris vices variant. Jam octies, jam ſepties, jam quater ſanguis juvenci & hirci ſpargendus aut dandus dicitur, uti conſtat è XLIII. ſparſionis vicibus in Die Expiationis ſcil. ſanguis juvenci octies ſupra

Propitiatorium & ante illud v. 14. - - - - - - -	8.
Conſimiliter ſanguis hirci v. 15. - - - - - - - -	8.
Denuo octies ſanguis juvenci coram velo v. 16. -	8.
Pariter ſanguis hirci v. 16. - - - - - - - - - - -	8.
Quater dabatur ſanguis mixtus ſuper cornua v. 18. -	4.
Septies idem mixtus ſpargebatur ſupra altare. - -	7.
	Summa 43.

Quem numerum quoque *Maimonides in Tr. de ſolenni Expiatione* Cap. III. tenet.

§. 302. Sed cui uſui reliquiæ ſanguinis? Non dubium, quin reliquiæ fuerint. Licet concedamus XLIII. vicibus ſanguinem hunc digito jam ſparſum, jam datum fuiſſe, redundaverat. Lex divina diſerta hac de re non exſtat, Judæi, quæ ſequuntur, tradunt in Miſchna Tr. Joma C. V. 6. שירי הדם היה שופך על יסוד מערבי של מזבח החיצון ושל מזבח החיצון היה שופך אל יסוד דרומי אלו ואלו מתערבין באמה ויוצאין לנחל קדרון ונמכרין לגננין לזבל ומועלין בהן Pontifex *reliquias hujus ſanguinis in fundamentum altaris exterioris occidentale* (quod ſanctiſſimum habetur) *effundebat, ſed reliquiæ ſanguinis, qui ſpargebatur in altari exteriori, effundebantur in fundamentum meridionale* (quod minus ſanctum) *in foſſa* (*ſubterranea*) *miſcebantur & in Torrentem Kidron effluebant. Hinc hortulanis ad ſtercorandum vendebantur.* Aliter, ſi quis reliquiis ſanguinis pecunia non emtis uteretur, *rem Deo ſacram in uſum communem converteret.*

§. 303. Traditio hæc mihi videtur ἀξιόπιστος. Reliquiæ effundendæ erant. At quo? Non ſcio locum convenientiorem, quam fundamentum altaris exterioris. Aliæ ſanguinis Reliquiæ in id effuſæ ſunt v. Exod. XXIX. 12. *Omnem* (reliquum) *ſanguinem effundes ad fundamentum altaris.* conf. Levit. IV. 7. 18. 25. 30. 34. VIII. 15.

IX. 9. Sequente tempore effusio hæc commoda erat. Altare exterius enim in fundamento erat perforatum, sicuti exstat in *Tr. Middoth* C. III. 2. בקרן מערבית דרומית היו שני נקבים כמין שני חוטמין דקים שהדמים הניתנין על יסוד מערבי ושל יסוד דרומי יורדין בהן ומתערבין באמה ויוצאין לנחל קדרון Interprete Const. L'Empereur: *Cornu inter occidentem & austrum habebat duo foramina instar duarum narium exilium, per quæ sanguis sparsus, cum super pulvinum sive fundamentum occidentale, tum super fundamentum australe descendebat & miscebatur uterque sanguis in canali, ac effluebat in torrentem Kidron.*

§. 304. Sed dices: Transeat hæc παράδοσις in genere. Verum quo fundamento statuunt reliquias sanguinis, de quibus quæstio, effundendas in fundamentum altaris occidentale. Resp. Fundamentum latet, fateor. Si vero Legem Mosaicam scrutamur, aliquod Judæi proferunt. Scil. Judæi observant phrasin circa effusionem sanguinis variare. Jam simpliciter legitur *effundes ad fundamentum altaris* veluti Exod. XXIX. 12. conf. Lev. IV. 25. 30. 34. VIII. 15. IX. 4. Jam vero cum nobili additamento, ut Lev. IV. 7. *Et omnem* (reliquum) *sanguinem hujus juvenci effundet ad fundamentum altaris Holocausti, quod* (*versus*) *ostium tentorii Conventus.* Pariter v. 18. Quæ ratio diversæ phrasis? In Lege divina nulla vocula frustra scripta est. Diversitas tanto magis notanda, quia phrasis in uno eodemque capite variat, scil. Lev. IV. Quando sermo de sanguine sparso in altare Holocausti, tum simpliciter exstat; *Ad fundamentum altaris Holocausti.* Quando vero sermo de sanguine dato super cornua altaris suffitus, adeoque sanctiore, reliquiæ effundendæ *ad fundamentum altaris, quod versus ostium tentorii Conventûs.* Quod propius tentorio Conventûs, etiam sanctius. Jam fundamentum altaris occidentale propius tentorio Conventûs, ergo etiam sanctius. Recte igitur sanguis juvenci & hirci in Die Expiationis citra controversiam sanctissimus effunditur in locum altaris Holocausti sanctiorem alio.

§. 305. Huic παραδόσει addo aliam, quam Mischnici cum antecedente conjungunt in *Tr. Joma* C. V. 7. כל מעשה יום הכפורים האמור על הסדר. אם הקדים מעשה לחבירו לא עשה כלום הקדים דם

דם השעיר לדם הפר יחזור ויזה מדם השעיר לאחר דם הפר ואם עד שלא גמר את המתנות מפנים נשפך הדם יביא דם אחר ויחזור ויזה בתחלה שבפנים וכן בהיכל וכן במזבח הזהב שכולן כפרה בפני עצמן *In omni opere, quod ordine dicto in Die Expiationis fiebat, si quod socium suum anteverterit, nihil fecit. Si sanguis hirci sanguinem juvenci anteverterit, redibit & sanguinem hirci sparget post sanguinem juvenci. Et si funditur sanguis, antequam finem spargendi interius fecerit, adducet alium sanguinem & redibit spargetque de novo interius. Et sic in sanctuario & sic in altari aureo; quia singulis seorsim expiatio facienda est.* conf. *Tr.* זבחים C. V. 1. Verosimillimum esse puto functiones hoc ordine esse ferendas, quo in Lege exaratæ exstant. Nec scio alia scripturæ loca, quæ ordinis inversionem docent. Literæ tuto inhæremus. Maxime quod attinet functiones circa juvencum, quæ omnino juxta Legem præmittendæ functionibus circa hircos. Illæ enim tutam parant viam ad sequentes.

§. 306. Denique attendimus ad scopum effectumque. *Et* (ita) *mundabit illud & sanctificabit illud ab immunditiis Filiorum Israel* v. 19. Filii Israel (quales non solum gregarii Israelitæ sed & Levitæ ac Sacerdotes incluso quoque Pontifice) ergo polluerant altare suffitus. Quomodo? Non contrectando. Non suffitu physice aut ritualiter considerato illegitimo. Nihil de hoc legimus. Nares Dei suavibus odoribus haud capiuntur Jer. VI. 20. Odor physice delicatissimus potest esse תועבה *detestatio* Deo Jes. I. 13. Igitur altare suffitus pollutum erat ab Israele peccatis, speciatim precibus, oralibus tantum, absque fide, hypocrisi, & amore peccatorum, quæ is confitebatur.

§. 307. Medium purificationis & sanctificationis proponitur hoc loco sanguis juvenci, hirci, isque sparsus in sanctissimo & in sancto, coram velo. Non alius sanguis legitimus erat. Et quidem sanguis tum datus super IV. cornua, tum septies sparsus super memoratum altare. Sanguis ex sapiente & gratiosa ordinatione Dei habuerat vim expiandi, purificandi, sanctificandi. Typicus typicam, antitypicus antitypicam sive veram Hebr. IX. 14.

§. 308. Lex memorat duplicem effectum: *Et mundabit illud, & sanctificabit illud.* Quæ est differitas? Raschius ad h. loc. וטהרו ממה

 שעבר

שעבר וקדשו לעתיד לבא *Et mundabit illud, puto de eo, quod prateierat: Et sanctificabit illud in futurum.* Vulgatus omittit prius, dum nonnisi transfert *& sanctificet illud:* Habet ergo pro pleonasmo. Neutrum placet. Præsentis & futuri nullum vestigium. Si unum indicandum, unum aliquod verbum adhibitum fuisset. Recte itaque reliqui translatores utrumque *mundabit & sanctificabit* retinent. Sacræ Literæ distinguunt inter טהר & קדש, illi opponunt טמא *impurum:* At huic חול *commune*, quomodo scriptores N. Testamenti inter *lavari* & *sanctificari* 1. Cor. VI. 11. conf. 2. Cor. VII. 1. Atque ita *mundabit* respicit purgationem à sordibus, sed *sanctificabit* puritatem, sanctitatem, quæ purgationem sequitur. LXX. quoque vulgo טהר per καθαρίζειν sed קדש per ἁγιάζειν vertunt.

§. 309. Porismata ex v. 18. 19.

I. *Quanta impuritatis spiritualis vis sit, luculento constat ex polluto altari suffitus.* Ipsæ enim preces Ecclesiæ expiatione, purificatione & sanctificatione indigent. Quando preces fundimus, rogandus est Deus, ut haud memor sit defectionum, quæ iis insunt.

II. Si *igitur vis recte precari, tinge preces tuas sanguine Jesu Christi, nec semel, sed iteratis vicibus.*

III. *Effectus sanguinis; qui hic notantur, probe tenendi sunt; Expiare, purificare & sanctificare.* Nullus omittendus est.

IV. *Deus, qui Deus ordinis, recte colendus est.* Functiones sacras sapienti præscripsit ordine. Quare haud invertendæ sunt. Hinc Pontifex πρότερον *prius* pro suis peccatis offerre tenebatur, ἔπειτα *deinceps* pro peccatis populi. Irrita fuisset oblatio inversa. Pariter antecedit expiatio; Sequitur purificatio; Tandem sanctificatio.

V. Quis dabit rationes sanguinum datorum super cornua? Sanguinis septies sparsi super tegumentum aræ suffitus? Vel etiam sanguinum XLIII. vicibus sparsorum? Et tamen quis jure negabit, Deo quoque constare harum Legum rationes? Nemo nisi qui opinatur sapientissimum sapientibus ex rationibus aliquando non agere.

§. 310. Mandatum decimum quintum, quod agit de dimissione hirci vivi, sequentibus verbis latum est וכלה מכפר את הקדש

ואת

ואת אהל מועד ואת המזבח והקריב את השעיר החי וסמך אהרן את שתי ידו על ראש השעיר החי והתודה עליו את כל עונת בני ישראל ואת כל פשעיהם לכל חטאתם ונתן אתם על ראש השעיר ושלח ביד איש עתי המדברה ונשא השעיר עליו את כל עונתם אל ארץ גזרה ושלח את השעיר במדבר *Postquam absolverit expiare sanctum illud & tentorium Conventûs atque altare illud, hircum vivum adducet. Tum Aharon ambas manus suas super caput hirci illius vivi imponet, atque confitebitur super illum omnes perversitates Filiorum Israel & omnes defectiones eorum, quoad omnia peccata eorum ac dabit illa super caput hirci illius & dimittet per manum viri, qui opportunus, in desertum, ut ferat hircus ille super se omnes perversitates eorum ad terram excisionis & dimittet hircum illum in desertum* v. 20. 21. 22. Continet mandatum hoc jura posteriora hirci vivi. Distincte notamus illa, quæ dimissionem ejus antecedunt, & dein ipsam dimissionem.

§. 311. Jura, quæ dimissionem antecedunt, sunt: *Adductio hirci, ejusque tempus; Tum* Χειροθεσία; *Postea confessio; Denique impositio peccatorum in caput hirci.*

§. 312. Primum, quod antecedit, est *hirci vivi adductio, ejusque tempus: Postquam absolverit expiare sanctum illud & tentorium Conventûs, atque altare ejus, hircum illum vivum adducet.* v. 20. Jura anteriora hujus hirci jam supra descripta & exposita sunt, vid. quæ supra ad v. 5. 7. 8. 9. 10. Dicitur notanter *hircus ille vivus ille*, respiciendo ad v. 10. ut sciamus non simpliciter hircum vivum intelligi, sed illum ipsum, de quo dicitur *vivus constituetur coram facie Jehovæ*, ceu qui per sortem divinam jus vitæ accepit, socius vero mori debebat. Si Israel alium hircum vivum priori illi substituisset, ἀνόμως egisset. Neque prior, neque posterior Deo acceptus extitisset. Ἀκρίβεια hæc docet, quod multum referat, ut *ille vivus* adduceretur. Ratio gravis latet in Mysterio, de quo vero suo loco.

§. 313. Hujus hirci adductio poscitur: *Adducet*, sed quid sibi vult hæc adductio? Piscator in Anal. ad h. l. *debet illum admovere, sive jubetur ut adducatur ad ipsum.* Vulgatus vertit per *offerre.* LXX. καὶ προσάξει. Mischna Tr. Joma C. VI. 3. בא לו אצל שעיר המשתלח

 Pon-

Pontifex *ibat ad hircum emissarium.* Vox והקריב h. l. nequit plene accipi, ut aliis in locis pro victima, quæ Deo *offertur*, ut mactetur. Quæ enim sequuntur contrarium postulant. Quare nonnisi accipio de adductione coram Deo, qua Pontifex cum hirco directe coram facie Dei, symbolice sanctissimum inhabitantis, stabat ut publicum exstaret Testimonium actus sequentes coram Deo agi.

§. 314. Tempus adductionis indicatur: *Postquam* (Pontifex) *absolverit expiare sanctum illud & tentorium Conventûs & altare illud*, tum adducet. Codex Hebræus non quidem diserte legit אחרי *postquam*, sed וכלה & *absolvit.* Nihilominus cum multis aliis verto *postquam*, admittente particula ו (vid. *Nold.*) & sensu poscente. Vox כלה vero notat *absolvere*, rei colophonem imponere, quare ut oppositum τȣ̃ החל in sacris exstat Gen. XLIV. 12. *à maximo* החל & *in minimo* כלה *finiebat* 1. Chron. XXVII. 24. *Joab Filius Zerujæ* החל למנות *cœperat numerare & non* כלה *finiit.* conf. Ruth. III. 18. unde LXX. per συντελεῖν. Oncelos: שצי· Jonathan פסק transferunt. Cavet ergo lex de ordine functionum harum curate observando. Hircum vivum non prius adducendum, quam Pontifex absolverit Expiationem, ut & mundationem & sanctificationem, quæ duæ priori comprehenduntur; Et quidem Expiationem הקדש *sancti illius* sive sanctissimi (v. 16. §. 260. 261.) Dein *tentorii Conventûs* facta sparsione versus velum, & denique *altaris suffitus* indendo sanguinem cornubus & tegumento altaris. Ex hoc ordine recte colligitur dimissionem hujus hirci dependere ab Expiatione, tum in typo, tum & maxime antitypo.

§. 315. Alterum, quod antecedit est χειροθεσία. *Tum Aharon ambas manus suas super caput hirci illius vivi ponet.* v. 21. Aharonis diserta fit mentio, quia manuum impositio haud est ex functionibus Sacerdotalibus circa victimam. Laici quoque jus habuerant manus victimis imponendi. (vid. *Differt.* à me publicatam *de functionibus laicorum circa vict.*) Excipitur etiam hoc maxime solenne publicum Sacrificium. Solius Pontificis erat manus hirco illi, vivo illi (denuo ad subjectum determinandum lex præcise illud determinat) manus imponere. Vox originalis סמך significans est & notat non simpliciter *ponere*, sed *inniti*, *fulcire* manus, intensis manuum viribus inniti, quo affectus mentis exprimatur. conf. Jud. XVI. 29.

ubi

ubi Simson dicitur נסמך *innitens* columnis domus. Hebræi duplici ex scopo manus imponere soliti erant, tum ad conferendum bonum, Spiritum Dei. Num. XXVII. 18. Deut. XXXIV. 9. Unde in N. Testamento mos manavit manus imponendi ad ordinandum, benedicendum 2. Tim. I. 6. Tum ad imprecandum mala Lev. XXIV. 14. Quo scopo manus hilasticis impónebantur ad indicandum devoveri illa & tradi ad iram Numinis ferendam. Quem in finem imponenda quoque erat utraque manus. Nisus itaque longe fortior erat. Accedit, quod manus imponenda *super caput* hirci. Caput animalis pars corporis præstantissima & in qua vita consistit. Unde *Bochartus in Hieroz.* T. I. L. II. C. LIV. p. 657. observavit similem morem ad Ægyptios dimanasse, ceu qui, teste Herodoto, execrabantur victimarum capita in hæc verba: *Ut si quid mali aut ipsis immolantibus aut toti Ægypto futurum sit, id in hoc caput convertatur.*

§. 316. Tertium, quod cum antecedente conjunctissimum, est *confessio peccatorum* populi. *Et confitebitur super illum omnes perversitates Filiorum Israel & omnes defectiones eorum, quoad omnia peccata eorum.* Ritus externi in sacris postulant verba, quæ declarant eorum intentionem. Sola χειροθεσία, minime sufficeret, essetque actio ἄλογος ac Deo ingrata. Vim illa accipit à confessione peccatorum, qua Pontifex testabatur se capiti hirci populi peccata, quæ confitetur, imponere. Probabile est, quod *Joach. Langius ad h. l.* observat, etiam tum, quando lex solius χειροθεσίας meminit, confessionem fuisse prolatam omnium, maxime quando victima peculiaris erat, veluti Lev. IV. 4.. 29.

§. 317. Vox התודה communiter vertitur per *confiteri.* Conveniunt, quotquot legi, versiones & interpretes, tum prisci, tum recentiores, si excipis translationem, quæ reperitur apud *Polum* ad h. l. *projicere faciet* super ipsum pœnam iniquitatum. Malo hic multitudinem sequi cum sufficientibus rationibus, quam unum alterumve absque illis. Ex inductione locorum constat vocabulum hoc notionem *confitendi peccata* tenere Lev. V. 5. XXVI. 40. Dan. IX. 20. Neh. IX. 3. Circumstantiæ dein significatum probant. Legislator agit de χειροθεσία facienda in caput hirci, de peccatis tollendis. Quam convenientissimum igitur, ut populi peccata coram Deo confitenda transferantur in sacrificium piaculare. Objicitur (a) radicem ידה notare *projicere.* Verum, sed nunquam התודה.

Qui

Qui confitetur, ille quoque peccata projicit, vel rogat Deum, ut à peccatore auferantur. (b) In significatu *confiteri* indicari confessionem *laudis*, non *peccati*. Falsum. Nam Hithpahel התודה semper notat *confessionem peccatorum*. Inductio probat. Etiam Hiphil subinde hanc notionem tenet v. Psal. XXXII. 5. Prov. XXVIII. 13. Veteres videntur elegisse τὸ Hitpahel indicaturi fervorem confitentium, ut gratiam apud Deum inveniant. Notatu quoque dignum, quod lex postulet confessionem עליו *super illum* scil. Hircum, ut clarius sciamus hircum esse, cui peccata Filiorum Israel imputentur, hircus ipse peccatum non noverat, at sapientia & gratia Dei destinatus, ut Pontifex peccata populi ita confiteatur, quo clare constet data illa esse huic hirco, *super illum*.

§. 318. Confessio peccatorum extenditur ad *perversitates*, *defectiones*, *peccata* Filiorum Israel, & quidem, quod notandem, ad כל *omnia*. Tertia vice lex repetit כל *omnia*. Convenit cum lege v. 16. Quædam tamen est differentia. Hic fit mentio עונות, sed ibi טומאות. Hic ternis vicibus repetitur כל, at ibi semel tantum. Vox עון vi originis notat perversam actionem legi rectæ contrariam. Legislator præcepit: *Vive secundum Legem*, sed peccator vivit contra Legem. Ergo peccatum est עון *actio perversa*. Quanquam alibi dicatur de peccatis gravioribus, ut Num. XV. 31. Circumstantiæ h. l. & in aliis potius poscunt notionem peccatorum minus gravium v. Exod. XXXIV. 7. Quomodo distinguitur à פשע *apostasia*, peccato gravi. Distinguerem has tres voces ita, ut עון peccata *minus gravia*, פשע *gravia*, חטאת peccata *in genere* indicet; Quomodo Exod. XXXIV. 7. conf. quæ dicta sunt ad §. 263. 264. Trina repetitio voculæ כל docet omnia peccata esse confitenda, expiarique hirco emissario. Memoranda est traditio in Tr. שבועו׳. C. I. 6. ועל שאר עבירות שבתורה הקלות והחמרות הזדנות והשגגות הודע ולא הודע עשה ולא תעשה כריתות ומיתות בית דין שעיר המשתלח מכפר *Tandem pro reliquis transgressionibus, de quibus in Lege, tum levibus, tum gravibus, tam peccatis studio commissis, quam ex errore, tam quæ nota facta, quam quæ non nota facta, tam quæ contra præceptum affirmativum, quam quæ contra negativum sunt, tam quæ excisionem, quam quæ pœnam capitalem forensem merentur hircus emissarius expiat.* Ex ordinaria trans-

translatione *Maimon. ad h. l.* notatur, hircum hunc expiare, etsi peccatorum levium nulla agatur pœnitentia; Modo gravium agatur, qua de re alibi.

§. 319. Lex divina nullam confitendi formulam præscripsit, liberam adeoque reliquit pontificibus. Confessionis formulæ in sacris exstant variæ. Ex iis tantum cito Danielis Cap. IX. 4. Confessus sum, dixique: *Peccavimus & perverse egimus, impii fuimus & rebellavimus & recedendo (recessimus) à præceptis tuis & judiciis tuis.* Dein Davidis Psal. CVI. 6. *Peccavimus cum patribus nostris, perverse egimus, impii fuimus.* Tum Nehemiæ Cap. I. 6. *Confiteor peccata Filiorum Israel, quæ peccavimus tibi, & quæ ego & Domus Patris mei peccavimus.* Confessiones hæ erant privatorum, à spiritu cordis actorum ad confitendum. Confessus itaque erat unusquisque, prout Spiritus dictabat. Nonnihil aliter comparatum cum publicis & solennibus, qualis hæc erat. Omnino plures Pontifices erant spiritu confessionis destituti, vel qui haud ex mente Ecclesiæ confessi fuissent. Unde factum, saltem sequente tempore, ut formula dicenda præscripta fuerit. Formula hæc traditur אנא השם עוו פשעו חטאו לפניך עמך בית ישראל אנא השם כפר נא לעונות ולפשעים ולחטאים שעוו ושפשעו ושחטאו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורת משה עבדך לאמר כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו *Obsecro Domine! perverse egerunt, defecerunt, peccarunt coram te populus tuus, Domus Israel. Quæso expia perversitates, defectiones & peccata, quibus perverse egerunt, defecerunt & peccarunt coram te populus tuus, Domus Israel, quemadmodum scriptum est in Lege Mosis servi tui, dicendo: Quia in hoc die expiabit super vos ad mundandum vos ab omnibus peccatis vestris coram Domino & mundi eritis. Tr. Joma* Cap. VI. 2. Paucis tantum immutatis convenit cum illa §. 97. Instituta ad Legem, quam explicamus. Valde brevis est. Brevitati, ut videtur, studendum ob plurimas, speciales functiones, quæ illa die Pontifici agendæ incubuerant. Specialium delictorum recensio in publica formula minus est commoda. Privati, qui adstiterant, recte in cordibus singulorum, quantum licuerat, memores exstiterant.

§. 320. Sunt, qui alium peccatorum recensendorum ordinem observant, scil. primo חטאים *peccatorum*; dein עונות *perversitatum*,

 postea

postea פשעים *defectionum. Bart. ad Tr. Joma* Cap. IV. 2. חכמים פליגי ואמרי עונות אלו זדונות פשעים אלו מרדים חטאים אלו שגגות לאחר שהתודה על הזדונות ועל המרדים חוזר ומתודה על השגגות בתמיה אלא אומר חטאתי עויתי פשעתי וכן בדוד הוא אומר חטאנו עם אבותינו העוינו והרשענו *Dissident Sapientes, atque dicunt sub voce* עונות *delicta animo protervo commissa, sub* פשעים *rebelliones & sub* חטאים *peccata ignorantiæ intelligi. At mirum videri, ut quis postquam confessus fuerat scelera animo protervo & seditioso perpetrata demum enarret peccata ignorantiæ. Potius Aharon dixit, peccavi, perverse egi & rebellis fui, quomodo* Psal. CVI. 6. *peccavimus cum patribus nostris, perverse egimus, improbe fecimus.* Verum hæc recentiorum commenta sunt. Illum peccatorum ordinem, qui in antecedente §. 319. observatur, genuinum esse probant (α) Codices Mischnici, quorum Auctoritas Gemaricorum major. (β) Præceptum Dei & *confitebitur omnes perversitates, omnes defectiones, quoad omnia peccata eorum*, ad quem modum prisci formulam confessionis composuisse videntur. (γ) Quamvis עון *delictum ex protervia commissum* aliquando indicet, non tamen sequitur eandem semper docere, vide dicta in §. 318. &c. Ordo juxta explicationem meam commodus, scil. enarratis specialioribus tum minus gravioribus, tum gravibus, vocabulum generale, quod levia ac gravia peccata comprehendit, commode subjicit.

§. 321. Dein circa formulam hoc quoque notandum, quod quidam Codices non legant: אנא השם כפר *Obsecro Domine expia perversitates*, verum אנא בשם כפר נא *obsecro in Domino*, aut *propter Dominum expia* perversitates &c. vid. *Tosaphat Jom. Tobh*, qui lectionem probat. Eandem lectionem habet Mischna Amstelod. in 4. Anno 1675. Utraque conveniens est. Prior convenit cum voce confitentium & veniam implorantium Dan. IX. 4. אנא אדני *obsecro Domine Deus magne* Neh. I. 5. אנא יהוה *obsecro Jehova* &c. conf. v. 11. Altera exprimit rationem remissionis peccatorum *in Jehova* aut *propter Jehovam dele perversitates*. In *Tosaphot Jom. Tobh* דבראשונה כשמתחיל צריך שיאמר בה"א הקריאה שקורא להש"י בשמו שיתודה לפניו ובשניה שמבקש הכפרה אומר בשם שר"ל שבשם הזה יכפר כי הוא המקור לכל השמורת *Ego judico tum, quando confessionem incipiebat*,

piebat, adhibuisse ה *notam casus vocativi. Invocabat enim Deum benedictum, coram quo confiteri volebat: Altera vice, quando expiationem implorabat, dicebat* בשם. *Animus erat dicere in nomine hoc, quod reliquorum omnium origo exstitit, expiationem futuram.*

§. 322. Pontifice peccata populi alta voce confitente & intercedente multitudo adstantium summam testabatur reverentiam, laudabatque Deum, Traditione Ecclesiæ recte docente *in Tr. Joma* Cap. VI. 2. והכהנים והעם העומדים בעזרה כשהיו שומעים שם המפורש שהוא יוצא מפי כהן גדול היו בורעים ומשתחוים ונופלים על פניהם ואומרים ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Et Sacerdotes & populus, qui in atrio stabant, cum primum nomen explicatum (scil. Jehovæ) ex ore Sacerdotis magni egressum audirent, incurvabant se, & adorabant, & in facie decidui procumbebant, & dicebant; Benedictum sit nomen gloriosum in secula seculorum.* Ex interpretatione ordinaria. Licet enim altum in Lege Mosaica silentium de hac populi devotione sit, vera quam maxime & laudabilis habenda est. Poscit enim rei, de qua agitur, natura. Quando enim Pontifex pro populo intercesserat, recte hic, nonnihil eminus, ceu nondum reconciliatus, steterat ac *Amen* dixerat. Ex hac Traditione liquet; Quo honore Gens Judaica nomen *Jehova* prosecuta fuerit. Merito: Testanda est reverentia erga singula Numinis nomina; At hoc reliqua significantissima sua notione superat. Est שם מיוחד *nomen appropriatum* Deo. Certo Judæi confundunt longe plurimos Christianos leviter tantum nomen Dei exprimentes & audientes. A Captivitate Babylonica non solum à communi sed & sacro ejus usu abstinendum decreverant, ejus pronunciationem ad Templum restringentes. *Tamid.* Cap. VII. 2. במקדש היו אומרים את השם ככתבו ובמדינה בכינוי *In Templo pronuntiabatur nomen τετραγράμματον, sicut scribitur, sed in Provinciis (substituebatur) cognomen.* Ad hæc *Glossa Bartenoriana* את השם ככתבו בי״וד ה״א ובמדינה בכנויו באל״ף דל״ת *Per illud intelligitur nomen, quod incipit Jod, He,* scil. יהוה *sed per hoc Aleph, Daleth* scil. אדני, licet causa, quam hic Magister ex Exod. XX. 24. citat, valde levis sit, conf. *Tr.* סוטה C. VII. 6. *Wagenseil. Annot.* p. 671. & *Carpzovii Disp. de Legit.* יהוה *Lectione.*

§. 323. Quartum, quod dimissioni hirci præmittit lex, exstat his verbis: *Et dabit illa* (Peccata) *super caput hujus hirci.* Probe tenenda est hæc Phrasis *dabit peccata* Filiorum Israel &c. Quomodo peccata dantur super caput hirci? Ipsi actus peccaminosi capiti imponi haud poterant. Naturam hirci physice non penetrarant. Transierunt. Reatus, culpa, effectus Judicio Dei ponebatur super caput hirci, modo adeoque judiciali, quo culpa debitoris adjudicatur vel imputatur substituto aut sponsori, eo tamen modo, qui convenit cum hirco hoc expiato, ut exstat §. 325. 340. 351. & alibi. Hircus hic loco populi Israel substituebatur. Quare reatus omnium peccatorum per symbolicam χειροθεσίαν & confessionem gratioso Judicio Dei ad hircum transibat. Pontifex ita dabat peccata super hircum. Sensus clarioris gratia quidam vertunt *ita*, vel & (*ita*) *dabit*, ut Ezech. IV. 7. ונבאת עליה & (*ita*) *prophetabis contra eam*, scil. juxta vaticinium statim subsequens. Et καὶ Matth. XV. 6. Καὶ ἠκυρώσατε & *ita irritum reddidistis præceptum Dei*, puta docendo filium, qui dixerat ad progenitorem *Korban esto, quo tibi utilis esse potero*, à sustentatione ejus liberum esse.

§. 324. Hæc dimissionem hirci antecesserant. Sequitur *dimissio.* Circa quam notamus *ipsam dimissionem, locum, Virum cujus opera dimissus, finem ac confirmationem dimissionis.*

§. 325. *Dimissio* exprimitur voce שלח. *Et dimittet vel mittet in libertatem.* Non socii instar mactandus, sed vita ei relinquenda est. v. Supra quæ ad §. 128. 129. Mirum videtur mandatum. Hircus, qui ab initio cum socio *in sacrificium pro peccato* destinatus v. 5. cui quoque peccata populi Israel χειροθεσίᾳ imposita v. 21. erant, vivus dimittendus præcipitur, quum alia omnia hilastica morti devota fuerint. Singularis prorsus hæc lex est. Lucem accipit ex v. 9. 10. Sorte divina dabatur ei vita, socio ad mortem ita damnato, ut hunc expiaverit. Tam diu tamen *quasi captivus* coram facie Domini detinebatur, donec alter mactatus, sanguis ejus ad purificationem & sanctificationem sparsus erat. His juxta Legem peractis vivus in libertatem mittebatur, non obstante manuum impositione & peccatorum confessione super illo facta.. Liquet, quod peccata Israelitarum capiti hujus hirci haud imposita fuerint, ut Hilasticis, ad luendum, (nam alias moriundum ei fuisset) sed peccata jam expiata suscipiundum & auferendum.

§. 326.

§. 326. Locum quod attinet, hircus hic dicitur mittendus המדברה *in desertum*, locum vastum, incultum, pecoribus pascendis aptum. Libertate donatus recte ducendus in loca, quæ genti pecorum, maxime hircorum, qui prærupta amant, commoda. Mosis gregem in deserto pascentis fit mentio Exod. III. 1. Desertum hinc improprie notat animalia, quæ ibi pascuntur Psal. XXIX. 8. Desertorum tum in Canaan, tum in vicinia ingens datur numerus, unde, si certa sunt intelligenda, requiruntur voces determinantes, ut desertum *Sin* Exod. XVI. 1. *Sinai* XIX. 1. *Paran Kadesch* Num. XIII. 27. &c. Quando vero lex nullum determinat, constat electionem deserti, in quod emissarius ducendus, liberam fuisse; imo libera esse debuerat. Tabernaculum portatile jam hic, jam illic figebatur Si vero unum aliquod definitum exstitisset desertum, quanta molestia hircus in illud missus fuisset? Si idem desertum petendum stante Tabernaculo in deserto, stante postea Templo in Canaan, quantum onus Ecclesiæ impositum fuisset? Legi jam satisfactum puto ductu hujus hirci in quoddam desertum, prout commodum videbatur, salvis tamen duobus specialibus deserti hujus nominibus, de quibus nunc ordine dicendum.

§. 327. Hæc vero duo nomina sunt hoc v. 22. ארץ גזרה *terra excisionis* & v. 10. ac 26. עזאזל, *Locus, in quo gens caprarum pascitur* (Geißweid) v. supra §. 141. 142. Nomen מדבר *desertum* magis generale, per duo hæc specialia nonnihil limitatur.

§. 328. Nomen speciale prius est *terra excisionis,* quod semel tantum occurrit. More talium vocum difficile est. LXX. vertunt εἰς γῆν ἄβατον. Oncel. ארע לא יתבא *terram inhabitabilem.* Jonath. אתר צדיא *locum desolatum.* Vulg. *in terram solitariam.* Jun. *in regionem inhabitabilem.* Schmid. *in terram excisionis.* Luth. Wildniß. Belgæ een afgesondert Land. Jud. Germ. ווילנים. Illi non male sentiunt, qui terram excisam intelligunt, quæ natura sive rupibus, aut montibus ab alia, quasi securi, separata est, quæ adeo non tam hominibus quam animalibus locum præbet. Sic enim גזר usurpatur de rebus abscissis Psal. CXXXVI. 13. 2. Reg. VI. 4. Unde גזרה in ædificio *separatum quid* innuere videtur Ezech. XLI. 12. 15. Voluit autem Deus, ut emissarius in ejusmodi terram mitteretur, quo scil. clarius ob oculos sisteretur plena peccatorum remissio;

quo insuper hircus libertati restitutus cum congrege liber vagaretur. Ad prius nonnihil respicit *Rab. Moses Alscheich*, quem Cel. *Frischmuth de Azazel Disp. I.* citat. *Terra abscissa terram extraneam notat, oppositam terræ vitæ. Est illa abscissa, ut ibi submergantur, ne memorentur & ne visitentur* (Jer. III. 25.) *Atque ita hoc est, quod Propheta dixit* Michæ VII. 29. *& projiciet in profundum maris.*

§. 329. Nisi, ut videtur, commodius ארץ גזרה vertatur per *terram gregis* sive pecudis minutæ, in qua pecus minuta, ex cujus numero hirci, capræ, pascitur. Significatum hunc facile & sine minima detorsione probabo. Nomen גזרה semel in sacris exstat, adeoque aliunde ex scriptura illustrari nequit. In ejusmodi autem vocabulis *ἅπαξ λεγομένοις* exponendis peregrinæ linguæ plurimum juvant. Quod si nunc ad Chaldæos deflectimus & quærimus, quid illis sit גִזְרָא? Cognoscemus denotari *gregem pecorum minutorum*, veluti 1. Reg. XX. 27. ubi Jonathan Hebræorum חשיפי עזים vertit גִזְרֵי עִזִים *greges caprarum.* Ex Syris idem intelliges. Jis גזרא idem significat v. Gen. XXXII. 16. pro Hebræorum עדר & Deut. VII. 13. pro עַשְׁתְּרוֹת. Imo vestigia quoque in Arabismo deprehendes, ceu in quo consimilis vox *ovis pinguis* aut *quæ mactata*, quod comeditur *pecus*. Vides ergo usum vocis apud Chaldæos, Syros, Arabes. An inconsultum ab illis significatum convenientissimum mutuo petere? Nec abnuit constructio ארץ גזרה *terra pecudis minutæ.* Eandem habes Num. XXXII. 4. ארץ מקנה *terra pecoris*, in qua pecora pascuntur. Unde vulg. *regio uberrima est ad pastum animalium.* LXX. γῆ κτηνοτρόφος 1. Sam. XIII. 17. ארץ שועל *terra vulpium*, in qua vulpes reperiuntur. Ita *terra pecudis minutæ*, quæ pecudi minutæ pascuum præbet. Hic quoque significatus communi longe simplicior & ad materiam præsentem accommodatior est. Nam primo גזר vel derivatum aliquod de terra prærupta aut divulsa nunquam in sacris prædicatur. Dein quando desertum aut deserti pars, terra excisa vel divulsa dicitur, valde coactum est.

§. 330. Nomen speciale alterum עזאזל *pascuum caprarum*, in quo capræ, & quæ hujus gentis sunt, eunt. Secundum alteram explicationem cum priori optime convenit, ut convenire debet. Idem enim sub utroque nomine intelligendus est locus. Recte igitur

igitur locus dicitur & *desertum* & *terra pecudis minutæ* & *pascuum caprarum.*

§. 331. Si Judæis credimus, locus dicitur צוק *Tr. Joma* Cap. VI. 4. quod *Sheringhamius*, *Bochartus*, ac si nomen proprium esset, in versione retinent, *scribentes Zuck* vel *Tsuck.* Forsan auctoritate Maimonidiana moti; *Maimonides* enim in *Comment. ad h. l.* מקום ששמו צוק *locum nomine Tsuck* appellat. Huic autem opponimus *R. Obad. de Bart.* כל הר גבוה וזקוף קרוי צוק *Omnis mons altus & erectus dicitur* צוק. Dein loca Talmudis apud Celebrem Lexicographum Libri Aruc habes, ubi ראשי צוקין exponuntur ראשי ההרים הגבוהים והאבנים והצורים *Vertices montium altorum, lapidum atque petrarum.* Est ergo nomen locis altis & præruptis commune. conf. *Ligtfoot Op. T. II.* p. 210.

§. 332. Si nosse cupis spatium, quo hic locus ab Hierosolyma disterminatus erat, accipe verba Mischnicorum *Tr. Joma* Cap. VI. 4. מירושלים ועד צוק תשעים ריס שבעה ומחצה לכל מיל *Ab Hierosolyma usque ad locum illum præruptum sunt XC. stadia. Septem stadia & dimidium faciunt unum milliare.* Quia vero Hebræis non eadem mensurandi ratio, quæ vel olim Romanis aut hodienum nobis est, spatium dissitum plene assequi nequimus, nisi ex iis instruamur. Tenendum autem ריס, quod cum Sheringhamio *stadium* converti, continere 266. passus (minime 226. uti *Castellus* habet sub radice רוס) unde alii judicant legendum רוס cujus literæ juxta gematriam sumtæ totidem faciunt. Hinc *Bartenora ad h. l.* אני שמעתי דרוס גרסינן בויו והם מאתים וס"ו פסיעות כחשבון רוס *Audivi legendum esse* רוס *cum* ו. *Facit autem 266. passus juxta numerum Literarum* רוס. At septem stadia cum dimidio milliare Judaicum constituunt, uti supra citatum Mischnæ Testimonium habet. Addo Testimonium ex *Bava Metzia* fol. 33. אחד מז׳ ומחצה במיל *Est unum de septem & dimidio, quæ milliare faciunt.* Juxta hunc modum milliare Judaicum, sive dimidium & septem stadia passibus 1995. constant. Nonaginta stadia, quæ hic memorantur, conficiunt XII. Milliaria; Hæc vero Passus 23940. qui distabant Hierosolymam inter & Locum præruptum, ex quo recentiori ævo hircus præceps

ceps dabatur. Eadem *Glossa Bartenoriana* ז"ריסין ומחצה אלפים פסיעות פחות ה' קרוב למדת תחום שבת וצ' ריס הם י"ב מיל *Dimidium & septem Milliaria sunt 2000. passus, deficientibus quinque, qui prope ad mensuram itineris Sabbathici accedunt. Nonaginta autem stadia sunt XII. Milliaria.*

§. 333. Longe aliter Romani & Græci stadia & milliaria metiebantur. Stadia, quæ à Græcis ad Romanos pervenerunt, efficiebant CXXV. Romanos passus. *Vide Testimonia apud Eisenschmidium de Ponderib. & Mensuris* p. 107. 113. Quorum octo Milliare ex mille, ut origo vocis clare ostendit, passibus constans, reddunt. Quomodo memorati 23940. constituerunt milliaria Romana XXIII. & passus 940. Sed valde dubito passum Romanorum eundem esse cum פסיעה *passu* Hebræorum. Hic longe brevior mihi videtur. Atque hoc elucet partim ex præsenti exemplo. Quis enim credet hircum spatio XXIII. Milliarium Italicorum & ultra aut sex ferme germanicorum ab Hierosolyma deductum fuisse, & ea quidem Lege, ut Pontifici, donec de Rupe præcipitatus fuerit, à tempore emissionis ad aliam functionem transire non licuerit, uti Judæi referunt? Minime. Tum ex Testimonio *Tr. Pesach* fol. 93. 2. *Dicit R. Johanan. Quantum est iter hominis die uno? Decem Parsarum* (quarum una IV. Milliaria Judaica facit) *à prodeunte primum aurora ad ortum solis quinque Milliaria, ab occasu solis donec appareant stellæ, quinque Milliaria. Restant triginta: Quindecim à mane ad meridiem: Quindecim à meridie ad vesperam*, quod ex *Cl. Ligtfooto* desumsi. Ineptissime autem iter diurnum finiretur spatio X. Parsarum aut XL. Milliarium Judaicorum, quod alii pro spatio XXIV. vel XXV. Milliariorum Romanorum tantum habent.

§. 334. Putem cubitum Hebræorum à פסיעה *passu* parum discrepare. Elucet ex modo citatis *R. Obadiæ* verbis: Quando ait; *Passus 1995. prope accedere ad iter Sabbathicum*, quod spatium MM. cubitorum dicitur *Maim. Schabb.* C. XXVII. Cubitus vero facit duas Spithamas aut sex Palmos vel quatuor & viginti digitos. Unde ingens discrimen surgit. Nam passus Romanus habet 80. digitos, sed Hebræus, qui ferme convenit cum cubitu, nonnisi 24. Ille itaque hunc superat digitis 56. Quemadmodum autem 2000. passus, sive 80000. digiti Milliare Italicum conficiunt, ita cubiti

2000.

2000. vel 48000. digiti Milliare Hebræorum. Unde tandem patebit ſpatium ab Hieroſolyma ad rupem, ex qua hircus præcipitabatur, fuiſſe XII. Milliariorum Hebraicorum vel 7. Romanorum, & quintæ adhuc partis ſive 16000. digitorum. Quale ſpatium vero ſimile eſt, & cum aliis Traditionibus conſiſtere poteſt, non idem prius.

§. 335. Ut & hæc facilius percipiantur, & communes quosdam errores, qui circa hoc Thema committuntur, detegam, placet ſequentes menſurarum tabulas adjicere

Unum Milliare Hebraicum facit	Stadia - - - - - - -	7 $\frac{1}{2}$.
	Paſſus - - - - - - -	2000.
	Spithamas - - - -	4000.
	Palmos - - - - - -	12000.
	Digitos - - - - - -	48000.

Ergo

Milliaria XII. faciunt	Stadia - - - - - -	90.
	Paſſus - - - - - -	24000.
	Spithamas - - - -	48000.
	Palmos - - - -	144000.
	Digitos - - - - - -	576000.

Menſuræ Intervallorum Romanæ

Unum Milliare Romanum facit	Stadia - - - - - - -	8.
	Paſſus - - - - - - - -	1000.
	Palmos - - - - - -	20000.
	Digitos - - - - - -	80000.

§. 336. Locus hic à ſapientibus poſteriori ævo demum deſignabatur. Nihil de illo in ſacris. Deſertum nonniſi, in quo paſcua pecorum, præſcribitur. Alius procul dubio erat vagantibus cis Jordanem. Alius credibiliter, quando Tabernaculum in Gilgal, Silo, Nob, Gibeon, fixum ſtabat. Si conjectare licet, tum demum hic eligebatur, quando à ritu in Lege Moſaica præſcripto Judæi receſſerant, hoc eſt, quando hircum, qui ex voluntate legislatoris liber dimittendus & congregi in deſerto paſcenti addendus, de Rupe præcipitem dederant: Tum enim terra valde petroſa eligenda, Rupes, quæ incidentem hircum medium diſſecaret, uti id debito

bito loco ex Judæis oſtendam. Hanc vero immutationem ante captivitatem babylonicam contigiſſe non puto. Sed ſatis de loco.

§. 337. Nunc dicendum de Viro, cujus opera hircus ad Locum præſcriptum ducendus erat. Hircus neſcit ire, quo eundum, adeoque duce indiget. Lex hunc deſignat : *Et dimittet per manum Viri* עתי. Varie vocabulum hoc, quod *ἅπαξ λεγόμενον* eſt, & ideo explicatu difficile, accipitur. LXX. *ἕτοιμος.* Vulgat. *Paratus.* Onc. גבר דזמן quod idem. Jonathan גבר די מזמן מן אשתקד *Vir præparatus ab anno præcedenti.* Junius *commodus.* *Schmid. deſtinatus.* Lutherus **der fürhanden iſt.** Belgæ die voorhanden is. Jud. Germ. **der anbereit iſt.** Raſchius המוכן לכך מיום אתמול *deſtinatus hunc in finem à die heſterno.* Aben Eſra כנהגו ללכת בכל עת בכפורים וה"יוד להתיחס לעת כמו פנימי *hic quovis expiationis feſto ire ſolebat. Ideo Jod in fine additur ad deſignandum illum huic ſolennitati deſtinatum eſſe, uti* פנימי 1. Reg. VI. 27. *de ſanctiſſimo dicitur.* Miclal Jophi איש מזומן ללכת שם שהולך שם עתים הרבת *Vir deſtinatus ad eundum illuc, qui ſæpius eo ibat.* Marpergerus **durch einen Mann von derſelben Zeit.** Alii aliter. Sed hæc ad difficultatem vocabuli & interpretum diſſenſum oſtendendum ſufficiunt.

§. 338. Ipſe quid dicam, hæſito ; Certum eſt עתי non eſſe nomen proprium. Non etiam eſſe nomen Loci vel Religionis aut nationis ſive tribus. Verbotenus vertendum ; *Vir temporis mei*, vel *opportuni temporis mei.* Quodnam hoc tempus ? Ex circumſtantiis ſolennitas Diei Expiationis. Nam non בכל עת *omni tempore* juxta v. 2. ſolennis hæc expiatio faciunda. Una tantum die in anno. Eſt hæc dies εὐκαιρία Θεοῦ. Vir ille, cujus erat hircum libertati dare, vocatur *Vir εὐκαιρίας Dei.* Exſpectandum an gratia Dei, quando ex profeſſo de myſterio agendum, major affulſura ſit Lux.

§. 339. Statim ſubjicio, quæ Traditionarii hoc de duce reliquerunt. Tr. Joma C. VI. 3. מסרו למי שהיה מוליכו הכל כשרין להוליכו אלא שעשו הכהנים גדולים קבע ולא היו מניחין את ישראל להוליכו אמר רבי יוסי מעשה והליכו ערסלא מצפורי וישראל היה *Tradebant eum, qui ducturus erat. Omnes legitimi erant ad ducendum ; Sed quod faciebant Sacerdotes magni* (ſimilis phraſis quæ in T. N. ἀρχιερεῖς)

χιερεῖς) ratum erat, nec permittebant ut Israelita duceret. Dicit R. Josse, factum est, ut Arsela Zipporensis duceret & Israelita fuit. Gemarici hæc explicant, sed quam solide, judicent lectores. ת"ר איש להכשיר את חזר עתי שיהא מזומן עתי ואפילו בשבת עתי ואפילו בטומאה *Tradiderunt Magistri : vocatur* איש, *ut edoceamur, extraneum* (qui non Sacerdos est) *quoque legitimum esse. Vocatur* עתי, *nam debebat ad hoc præparari. Dein ut sciamus etiam in Sabbatho, imo etiam in impuritate hircum ducere posse.*

§. 340. Legislator insuper dimissionis finem & effectum indicat : *Et portabit hircus hic super se omnes perversitates eorum.* Digito quasi monstrat *hircus hic*, ut clare distinguas à socio. Huic peccata populi imponebantur ad mortem ferendam v. 9. 15. Etiam nostro imponebantur, verum cum donatione vitæ. Haud æquum habebatur ut duæ victimæ pro peccatis morerentur. Una mactata altera viva dimittenda judicabatur. Hac tamen Lege, ut peccata expiata è Templo & quasi è conspectu Dei deportaret, ferretque in solitudinem, quo nulla eorum amplius recordatio existeret. Portare debebat hircus hic עליו *supra se.*

§. 341. Phrasis *& portabit hircus hic supra se omnes perversitates eorum* investigatione indiget. Quæritur enim, an inferat hirci mortem pro peccatis, quæ portat, obeundam, aut saltem pœnam ? Resp. Negatur. Verum quidem, quod sæpius adhibeatur de iis, qui Leges morales & ceremoniales transgressi sunt, quique hinc rei mortis vel alterius pœnæ, uti de maledicente Deo Lev. XXIV. 15. Scelus, de quo sibi constat, & indicandum esset, non indicante Lev. V. 1. Præceptum aliquod Dei ex ignorantia transgrediente v. 17. incestuoso Lev. XX. 17. Pascha negligente Num. IX. 13. Sacrificium præstituto comestionis tempore jam elapso comedente Lev. XIX. 8. conf. Num. XXX. 16. Lev. XVII. 16. Quando hi *peccata ferre* dicuntur, sensus est, illis peccatum, ut grave onus, imponi, imputari, illos propter id ad pœnam obligari, unde cum excidio ob antecedens peccatum inflicto conjungi solet Num. IX. 13. *Exscindetur anima hæc è medio populi sui, quia oblationem Jehovæ non obtulit* עונו ישא *perversitatem suam feret Vir hic.* conf. Lev. XX. 17. XIX. 8. Sed & verum adhiberi quoque de iis, quibus peccatum ad reatum & pœnam non imputatur. Toties de Deo dicitur, quod sit

נשא *peccata* Exod. XXXIV. 7. Jos. XXIV. 19. Psal. XXV. 18. Mich. VII. 18. Dicitur quoque de hominibus, ut Josepho Gen. L. 17. Pontifice Exod. XXVIII. 38. Aharon nullam subibat pœnam, sed auferebat Israelis peccata & pœnas munere suo pontificiali. Hoc posteriore sensu hic sumimus. Rationes. 1. Hircus Socius jam pœnam & mortem vicariam subiverat. Altera non requirebatur. 2. Si peccata Filiorum Israel ab hoc hirco luenda, tum non libertati datus fuisset. 3. Nec hircus è Templo deducendus. Sacrificia, quæ peccatoribus surrogabantur, in Templo mactabantur. Quare phrasis: *Et portabit omnia peccata*, hic notat auferet peccata, pro quibus Socius juxta Legem oblatus erat. Ob imperfectionem, quæ typis inest, hircus mactatus peccata quidem susceperat, tulerat, sed non abstulerat. Quare nunc alter priori simillimus, quasi unus cum priori, peccata suscepta & lata rursum susceperat, ut auferret, & peccata condonata typice sisterentur.

§. 342. Portaverat autem hircus hic peccata *ad terram excisionis* v. §. 328. vel potius *terram pecudis minutæ* §. 329. ut ibi in libertate pasceretur.

§. 343. Sub finem mandati hujus additur: *Et dimittet hircum hunc in desertum.* Tertia vice repetitur *dimissio* v. 10. 22. Recte hinc concluditur actum hunc maximi esse momenti; curate ex voluntate legislatoris observandum illum esse, gravem adeoque subesse dimissionis causam, quam Mysterium exponet. Nolo repetere Traditionarios nullam prorsus in Lege ostendere speciem hirci hujus occidendi v. supra §. 129 - 132. Sane si Legifer cogitasset de morte inferenda, Lege hac ternis vicibus repetita vestigium hujus voluntatis aliquod reliquisset. Veteres, quotquot legi, translatores stant pro vita & libertate hirci hujus. LXX. Oncelos, Vulgatus, Samaritanus, Arabs, Syrus, licet in aliis, quæ hoc comma concernunt, dissentiant. Ne dicam de recentioribus.

§. 344. Etiam Locus repetitur *desertum* conf. v. 21. & §. 326. Locus incultus, ab hominibus communiter non habitatus, qualis commodus ad indicandum plenam peccatorum remissionem, omnimodam eorum oblivionem conf. Mich. VII. 19. Psalm CIII. 12. Jer. XXXI. 34. Jes. XLIII. 25. XLIV. 22. Hircus hic ergo, quando pervenit ad desertum aliquod, jam Legem implevit. Non necess-

necesse, ut mitteretur in hoc vel illud, aut extimam ejus partem. Quod etiam intendisse videtur *R. Jehuda Joma* C. VI. 8. dissentiens à multitudine doctorum, judicans Legi jam fuisse satisfactum hirco ad initium deserti veniente, de quo vero inferius agendum erit.

§. 345. Finitis iis, quæ explicationem mandati hujus specialis juxta Legem à v. 20 - 23. concernunt, subjungo alia ex Traditione Ecclesiæ Judaicæ deprompta huc referenda, addita tamen censura nostra, quando illa opus. Hæc vero commode dispescuntur in ea, quæ spectant eductionem hirci è Templo, dein viam per quam deductio faciunda; Denique terminum, ad quem ille ducendus; Tandem ultima hirci fata.

§. 346. Lex nihil definit de certa via ad hircum educendum paranda. Prophetæ, qui Mosen secuti sunt, silent quoque. Quare quam certissimum videtur, hircum per tritam viam, quæ deserto proxima erat, eductum fuisse; Ante excessum Prophetarum pontem peculiarem exstructum haud fuisse. Ex definitionibus recentioribus itaque est, quæ exstat in Tr. Joma Cap. VI. 4. כבש עשו *gradum fecerunt* vel clarius *pontem*, explicante *Glossa Bartenoriana. Pontem fecerunt* גבוה ויוצא דרך הכבש חוץ לעזרה וחוץ לעיר *altum, per quem extra atrium & urbem exibat.*

§. 347. Causa pontis hujus ibidem hæc traditur: מפני הבבליים שהיו מתלשים בשערו ואמרים לו טול וצא טול וצא *Propter Babylonios, qui ei crines vellicabant & dicebant: Vade & exi: Vade & exi.* Bartenora ad h. l. addente ואל תשהא עונתינו אצלינו עוד & *noli peccata nostra diutius penes nos detinere.* Si hæc Traditio fidem meretur, luculento testatur de corruptis gentis Judaicæ moribus, nec non imminuta synedrii potestate, quæ alias populi petulantiam acriter coërcuisset. Hircus, qui ex misericordia Dei peccata populi in desertum deportaverat, cum omni devotione dimittendus fuisset.

§. 348. Duo circa memoratam Traditionem quæruntur. *Primum:* Quinam illi Babylonii? Si Gemaræ credimus non erant Babylonii, sed אלכסנדריים היו ומתוך ששנאים את הבבליים היו קורין אותן על שמן *Alexandrini, nam propterea quod oderunt eos, vocabant Babylonios.* Studium partium, quod frequentissime mutat nomina

 impo-

imponitque exosa. Prorsus ut Karræi, inviso Sadducæorum nomine in Historia Judæorum notari solent. Aliter Cl. le Moyne: *Nec erant Babylonii nec Alexandrini. Vox* הבבליים *non est nomen proprium, quod notat Babylonios, vel Alexandrinos, sed est nomen appellativum, quod notat* ὄχλον *turbas petulantes, plebis manipulos*, uti eum citat *Marperger* im Sühn- und Sünd-Opffer pag. 1002. Circumstantiæ hanc notionem probant. Quemadmodum & nos *Babel*, *Babylonios* vocamus, quorum status est confusus. Sed nescio usum hujus vocis penes Judæos. *Alterum: An Babylonii crines hirci vellicaverint.* Prius asserunt *Spencerus*, *le Moyne*, *Marperger*, imo citant quoque Patres consentientes, Barnabam & Tertullianum, quorum ille: *Sumite duos hircos, bonos & similes, & offerte. Et accipiat Sacerdos unum in Holocaustum, & alterum in maledictum.* Καὶ ἐκπτύσατε πάντες καὶ κατακεντήσατε *& conspuite illum omnes ac lancinate*, uti allegat *Spencerus de Leg. Hebr.* p. m. 470. Hic vero adversus Judæos: *Unus hircorum circumdatus coccino, maledictus & consputatus & convulsus & compunctus.* Quem hinc plures manifestis insignibus Passionis Christi notatum habent. *Vel an crines Ducis vellicaverint?* Mischna citata nullam expressam facit mentionem hirci vellicati. Bartenora vellicationem refert ad Ducem. Pontem fecerant כדי שלא יוכלו הבבליים ליגע במשלח לפי שהיו רגילין לתלשו בשערו *Ne Babylonii eum, qui ducit, attingere queant, quippe soliti erant crines ejus evellere.* Acclamatio: *Vade & exi* rectius quoque refertur ad hominem, quam animal, quod nihil intelligit. Si res ita se habet, actum est de mysterio, quod veteres & recentiores Judæi in consputatione & vellicatione hirci quærunt. Nec propendeo ad mysterium, de quo in Lege altum silentium, imo quod Legi divinæ contrarium, uti hæc hirci vexatio. Denique hic ἀποπομπαῖος potius refert statum exaltationis, quam Passionis, de quo tamen ex professo in scrutinio mysterii. Patres hoc in studio parum curo. Barnabas clare scribit ἀνόμως imo ἀντινόμως. Ex hircis nullus Holocaustum erat. Lex nulla neque divina neque ecclesiastica habet: *Conspuite omnes & lancinate.* Vel quæ illæ? Magnates, qui auctores erant Jesu Christi vexandi, conspuendi, petulantiam Babyloniorum reprehenderunt, coërcuerunt. Hircum emissarium vero honorarunt, ut clarissime constabit è dicendis.

§. 349.

§. 349. Eadem enim Miſchna tradit מיקרי ירושלים היו מלוין אותו עד סוכה הראשנה *Ex Nobilibus Hieroſolymæ comitabantur eum ad Tabernaculum primum.* Ἀπ' ἀρχῆς nullum comitum veſtigium. Nullum quoque Tabernaculi vel Tabernaculorum. Ultimis temporibus hæc demum erant excogitata. Si recte conjecto, ex ſola formidine hoſtium Eccleſiæ Judaicæ, qui ſacerrimum hunc ritum contemſerant & gentem Judaicam hac occaſione vexare cogitarant. Quando rerum ſumma penes Judæos erat, nemo quoque auſus erat, ejusmodi ritum publico exponere ludibrio. Quando vero devicti erant, Ethnicis partim ſubjecti, partim immixti vixerant, plures & acerbas illuſiones experiebantur. Syri, Samaritani, Romani graviſſime iis obſtiterant, ut monumenta abunde docent. Sicuti exſtat in Libris ultimis V. Teſtamenti, Maccabæorum, Judæorum, quæ vero brevitatis ſtudio tranſeo.

§. 350. Huic formidini adſcribo plura, quæ in via fixa erant, Tuguria. De numero & diſtantia hæc habet Miſchna *Tr. Joma* Cap. VI. 4. עשר סוכות מירושלים ועד צוק תשעים ריס שבעה ומחצה לכל מיל *Decem erant Tuguria ab Hieroſolyma usque Zuck, nonaginta ſtadia, ſeptem ſtadia cum dimidio Milliarium conſtituerant.* Si recte judico, nulla Tuguriorum horum ratio dari poteſt, ſi excipis formidinem hoſtium. Metuebant Judæi hoſtes Religionis, quam profitentur, vel hircum vel ducem vel utrumque in longiori itinere in ſuam redacturos eſſe poteſtatem & vexaturos ad publicam gentis ignominiam. Quare ordinarant de Tuguriis eum in finem erigendis, ut eſſent comites & protectores, tum hirci, tum ductoris teſtesque. Sed dices: Quæ ratio decem Tuguriorum? Comites comitari poterant usque ad terminum qui attingendus; Minime. Dies enim expiationis habuerat jura Sabbathi *vid. infra* v. 29. Judæus adſtrictus eſt ad Leges itineris ſabbathici. Solus dux liber erat ab hac Lege. Quia enim voluntate divina hircum in deſertum deducere tenebatur, haud violabat Sabbathum. Prorſus ut legimus Matth. XIII. 5. *Annon legiſtis in Lege, quod Sacerdotes diebus ſabbathicis Sabbathum profanent & tamen ſunt ſine crimine.* Comites non fuiſſent ſine crimine. Non enim gaviſi erant divina ab hac Lege diſpenſatione.

§. 351. Ut vero hæc rectius intelligas, ſcito Judæos communiter

niter iter ſabbathicum 2000. cubitis definire (explica hinc Actor. I. 12.) Longius iter facere Judæo die Sabbathi conceſſum haud erat. Diſtabat vero Hieroſolyma à termino, ad quem hircus ultimis diebus ducebatur, XC. ſtadiis, ut jam obſervatum ſupra §. 332.

§. 352. Ex dictis ergo liquet, commode & convenienter ſtatutis Eccleſiæ fixa fuiſſe X. Tuguria, quorum unum ab alio ſeptem ſtadiis cum dimidio diſtabat, ſive 1995. paſſibus. Hoc vero intervallum facit circiter iter ſabbathicum, quod absque violatione Legis die Sabbathi confici poterat, tum eundo, tum redeundo Actor. I. 12. Nobiles itaque Hieroſolymitani comites hirci & ducis exſtiterant ad Tugurium primum, redibantque in urbem. Qui vero in Tugurio primo exſpectaverant, comites erant ad alterum, revertebanturque & ſic deinceps, donec perventum ad X. Hircus cum duce nunquam erat ſine comitatu חוץ באחרונה שבהן שאינו מגיע עמו לצוק אלא עומד מרחוק וראה את מעשיו *Excepto ultimo, quia comes non ibat cum illo usque ad Zuck, ſed ſtabat è longinquo & obſervabat, quid factum erat.* *Tr. Joma* C. VI. 5. A decimo Tugurio enim usque ad Zuck duo reſtabant milliaria, quæ vero excedunt iter ſabbathicum. Quare comes nonniſi per unum milliarium in ſocietate iverat. Sciendum quoque eſt, comites Tuguria die ſolennitatem expiationis antecedente jam petiiſſe ac in iis præſtolatos fuiſſe ducem cum emiſſario, ut ad manus eſſent. In unoquoque Tugurio ſaltem unus extiterat. Poterant quoque plures eſſe.

§. 353. Iis, quæ ad deductionem referri poſſunt, annumero quoque Traditionem in Tr. Joma Cap. VI. 5. על כל סוכה וסוכה אומרים לו הרי מזון והרי מים *In ſingulis Tuguriis dicebant ei: Ecce cibum; Ecce aquas.* Tota alioquin gens quam curatiſſime jejunium obſervabat, ut pluribus dicemus ad v. 29. h. cap. At dux, qui liber erat ab obſervatione itineris ſabbathici, liber quoque habebatur ab Lege jejunii: Solus enim longius iter facere illa die tenebatur. Quare victus ad reficiendum vires & iter abſolvendum offerebatur. Quanquam, notante *Maimonide*, nunquam uſu venit, ut eo indiguerit. *v. Tr. de ſolenni die expiat.* Cap. III. 7.

§. 354.

§. 354. Ex Traditionibus, quæ huc pertinere videntur, duas præprimis adhuc memoro, fata circa hircum ultima narrantes. Ex his prima est, quæ exstat *Tr. Joma* Cap. VI. 6. חלק לשון של זהורית חציו קשר בסלע וחציו קשר בין קרניו *Ligulam coccineam dividebat; Partem dimidiam ad rupem, alteram inter cornua alligabat.* Intelligitur illa ligula, cujus supra ad v. 11. §. 145 - 151. prolixam feci mentionem. Non consultum judicabant proceres, si vel tota à cornibus hirci suspenderetur vel integra ad rupem alligaretur. Causam dat *R. Obad. de Barten. in Comment. ad* c. l. לא היה קושר כל הלשון של זהורית בסלע שמא תלבין מיד קודם דחיפת השעיר ומשמחת לבון הלשון של זהורית שמראה שכבר נתכפרו העונות ושכח מצות הדחיפה וידמה שכבר נשלמה המצוה מאחר שהלבין הלשון ולא היה קשור כולה בין קרניו שמא בשעת דחיפה יכוף השעיר ראשו תחת גופו בשיפול לאחוריו ולא יוכל לראות הלשון כשתלבין ויהיו כל ישראל עצבין לפיכך קשר חציה בסלע והיה לא תלבין לחצאין עד שתגמר מלאכת כולה וכשקושר באחרונה חציה בין קרניו אף על פי שתלבין מיד לא יניח מלדוחפו הואיל והוא עסוק בו *Totam linguam coccineam rupi non alligabat, ne antequam hircus detrusus esset, illa mox albesceret, neve ductor præ lætitia conspectæ linguæ albæ, qua perversitates expiatæ significabantur, hircum detrudere oblivisceretur, atque existimaret, lingua albefacta omne id, quod agendum, perfectum esse. Neque integram inter cornua ligabat. Potuisset enim accidere, ut hircus detrusus caput suum infra corpus inclinaret decidens retrorsum. Quomodo lingua in colorem album conversa videri neutiquam potuisset & Israelitas mœrore affecisset. Dimidium igitur rupi alligabatur, quod, antequam totum opus consummatum esset, non albicabat. Quando autem ultimo alterum dimidium cornua inter ligabat, etiamsi statim albesceret, hircum detrudere jam in re occupatus non negliget.*

§. 355. Antiqua dein penes Judæos est Traditio, ligulam hanc coccineam in albam fuisse commutatam, atque ita Israelitas de gratiosa peccatorum remissione persuasos redditos fuisse. Illam jam invenis in Textu Mischnico *Tr. Joma* Cap. VI. 8. ubi tanquam signum hirci desertum attingentis id refertur ברייתא רבי ישמעאל

אומר והלא סימן אחר היה להם לשון של זהורית היה קשור על פתחו של היכל וכשהגיע שעיר למדבר היה הלשון מלבין שנ' אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו *Traditio exotica; Dicit R. Ismael. Et annon illis signum aliud erat hoc? Lingua coccinea alligata erat ad portas Templi & cum hircus ad desertum accessisset, albescebat, quia dicitur* (scil. Jes. I. 18.) *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix albescent.* Ad hoc miraculum à vate respici ajunt. Cæterum quando alius alligatæ ligulæ Locus hic recensetur, hoc inde provenit, quia pro varietate temporis varius extitit. Vide *Sheringhamii Annot. ad Tr. Joma* Cap. VI. 6. & *Frischmuth Dissert. I. de Azaz.*

§. 356. Jam quædam hoc de Themate scripsi §. 150. Fidem tum datam liberabo & dignissimam quæstionem sub incudem revocabo. Ad unum omnes fatebuntur gloriosis & gratiosis miraculis merito accenseri mutationem coloris coccinei in album, si historia vere se habet. Quemadmodum autem recte nobis cavemus ab ἀπιςίᾳ, qua, quæ certis monumentis innituntur, ficta traducuntur, nullo intercedente examine ex sola ὑποθέσει, quod nulla dentur miracula, sic quoque cavendum esse judico, ne temere & sine sufficiente ratione narrationibus de rebus insolitis fidem habeamus. Quo vero magis hanc Judæorum παράδοσιν examino, tanto magis reperio illam incertam. Historia sacra tum V. tum. N. Testamenti silet. Nec exstant promissiones vel allusiones certo tales. Josephus historiæ Judaicæ scriptor diligentissimus ac etiam gloriæ gentis suæ studiosissimus hoc de gratioso miraculo nihil reliquit. Nec Philo eruditus Judæus. Suspectum valde est ratiocinium, quod Bartenora §. 354. habet. Vel quis credere valet, ducem hirci, qui communiter ethnicus habetur, ipsis Judæis tradentibus, conspecta lingua alba tam effusa affectum fuisse lætitia, ut facile oblitus fuerit detrusionis emissarii de Rupe. Certe infidelis ethnicus adeo effuse haud lætatur. Observandum præterea, quod miraculum hoc ferme habeatur annuum, exceptis quadraginta annis ante destructionem urbis Hierosolymitanæ. Si verum est, quod Traditio exotica refert, Esajæ ævo miraculum hoc jam erat in usu. Qua ratione vero factum est, ut Prophetarum nullus, scriptorum ecclesiasticorum nullus per tantum tempus illud memoret? Miracula quoque haud solent esse annua. Semel ac iterum vel breviore tempore

re specialibus ex causis patrantur. Postea vero rursus intermittuntur. Accedit, quod Traditio hæc de Lingua coccinea albescente maxime innitatur præcipitationi emissarii de Rupe. Hæc vero præcipitatio; ut statim probabo, Legi divinæ contrariatur. Tandem noto, quod Miraculorum gravissimæ dentur rationes, quales hic non video. Israel resipiscens & credens haud indiguerat miraculoso Testimonio Numinis de remissione peccatorum; Resipiscentia, fides, sincerum propositum fortissime probat gratiam Dei.

§. 357. Locus Jes. I. 18. Miraculum haud adstruit. Promittitur vere resipiscentibus plenaria remissio peccatorum & simul purgatio ab iis. Peccata sæpius sistuntur sub sordibus, speciatim sub sanguine Psal. LI. 16. in hoc ipso Cap. v. 15. *Manus vestræ sanguinibus plenæ sunt.* Jam pollicetur omnimodam mundationem: *Si peccata vestra fuerint* כשנים *Dibaphorum instar*, כשלג *sicut nix albescent*; *Si rubra fuerint* כתולע *instar coccini*, כצמר *instar lanæ albæ erunt.* Nemo his ex verbis solide colliget respici ad pannum coccineum Die Expiationis conversum in album. Vel quo fundamento? Nondum constat jam ævo Esajæ miraculum hoc obtinuisse, ac durasse per tot secula. Amant sacræ literæ remissionem peccatorum sub ejusmodi similitudinibus proponere, veluti Jes. XLIV. 22. Psalm CIII. 11. 12. Mich. VII. 19. Hæc non inferunt miraculum in natura. Perplacet Cel. *Frischmuth* judicium super hac re: *Nisi plane fallor unicum illud dictum Propheticum Judæo cupiam occasionem præbuit hoc comminiscendi, quod post modum, ut apud eos fieri solet, à reliquis vertis magno consensu est receptum, & se rem ita habuisse, sancte est creditum.* loc. cit.

§. 358. Altera Traditio effertur in *Tr. Joma* C. VI. 6. his verbis: דחפו לאחוריו והוא מתגלגל ויורד ולא היה מגיע לחצי ההר עד שנעשה אברים אברים *Impellebat hircum retrorsum & ipse volvebatur & descendebat, nec ad medium montem pervenit, donec membratim lacerabatur.* conf. *Maim. Tr. de* ע"יה C. III. 7. Sed Jonathan adscribit præcipitationem vento procelloso ויפטר גברא ית צפירא למדברא דצוק ויסוק צפירא על טווריא דבית הדורי ודחיניה רוח זיקא מן קדם י"י וימות *Dimittet Vir hircum in desertum præruptum & ascendet hircus super montes Beth Haddure & impellit ipsum ventus turbidus à facie Domini & morietur.*

§. 359. Certissimus sum, hanc, quam referunt, hirci præcipitationem contrariari Legi divinæ. Lex enim dabat hirco libertatem & vitam, ut sæpius dictum ac etiam probatum, maxime ad v. 11. §. 128 - 132. Nollem tamen negare hircum manu ducis (minime vento procelloso à facie Domini exeunte) recentiori ævo de rupe præcipitatum fuisse. Judæi habuerunt fortean causas (leviores tamen, quam ut institutum divinum adeo invertant) propter quas hircum libere dimittendum præcipitarunt. Qua alias ratione hircum vitæ destinatum morti destinassent? Licet certas in promtu non habeam, tamen probabiles desumo ex tempore & statu gentis Judaicæ. Præcipitatio hæc credibiliter ævo Prophetarum nondum exstitit, unde in illorum scriptis nullum vestigium. Neque etiam illi concessissent tantam ritus divini immutationem. Ergo si illa obtinuit, de temporibus subsequentibus intelligendum, quibus gens Judaica non solum alienæ potestati subjecta, sed & aliis gentibus immixta vivebat, altercationes fovebat. Præsertim Samaritani (quemadmodum ex Esra, N. Testamento & Josepho evidentissime patet) Judæos summo prosequebantur odio, atque iis, in cultu præprimis sacro, nocere annitebantur, Templum suum Hierosolymitano, ut *benedictum maledicto*, opponebant. Hæc & alia vide apud *Relandum in 2. Tom. Doctissimarum Dissertationum, quarum prima, quæ de Samaritanis cognoscenda sunt, exhibet.* Quia autem hircus hic Israelitas referebat, eorum peccata ferebat, in deserto liber vagabatur, metuebant Judæi illum in manus Samaritanorum aut aliarum gentium, quibus exosi erant, perventurum, ignominia, quæ in gentem Judaicam redundaret, affectum iri, vel etiam ipsi peccatorum expiationi obstare, si tale quid contingeret. Hoc omne vero evitari posse judicabant, si de Rupe in Locum inaccessum detruderetur. Hac in opinione confirmor, quod X. Tabernacula in via, quæ ad Rupem ducebat, ut jam notatum, exstruxerint, vitaturi, ne hircus cum ductore in impias manus transiret. Dabantur igitur custodes & comites. Saltem tale quid ab ingenio Samaritanorum non alienum esse, exemplum, quod hic appono, te docebit Tract. Rosch Haschana C. II. בראשונה היו משיאין משואות משקלקלו הכותים התקינו שיהיו שלוחין יוצאין Houtingio interprete: *Olim ad novilunium indicandum flammas elevarunt, at cum Cuthæi malitiose idem intempestivo tempore facerent, decretum est, ut nuntii ad illud significandum egrederentur. Maim.*

de

de Consecrat. Calend. Cap. III. בראשונה כשהיו בית דין מקדשין את החדש היו משיאין משואות בראשי ההרים כדי שידעו הרחוקין משקלקלו הכותיים שיהו משיאין משואות כדי להטעות את העם התקינו שיהו שלוחים יוצאים ומודיעים לרבים *Olim cum synedrium Calendas consecraret, faces extollebat, in cacumine montium, ut longe dissitis hoc signo Calendarum consecratio indicaretur; Postquam Cuthæorum perversitas eo venit, ut facibus similiter elatis plebem deducerent in errorem, à synedrio constitutum est, ut nuntii egrederentur, qui multitudini indicarent.* Cuthæi autem communi consensu sunt Samaritani. Conf. *Annot. eruditissimas Houtingii ad Tr. Mischnæ cit.*

§. 360. Mischnicis præeuntibus hic commode inserimus publicam Legis, quæ Ministerium solennis Expiationis concernit, per Pontificem prælectionem, ut videre licet in *Joma* Cap. VI. 8. & VII. 1. Non quidem Lex Mosaica officium hoc prælegendi diserte memorat; Attamen, quam maxime conveniens illud est habendum; Fundamentum enim solennis hujus Ministerii in mandato divino fundatum. Fides quoque, quæ mysterium respicit, gratiosam legislatoris voluntatem poscit; Magna quoque Israelis pars credibiliter non propendebat ad severiorem animæ castigationem, cessationemque ab omni prorsus labore. Itaque publicanda erat legislatoris voluntas. Munus hoc optime committebatur Pontifici, qui hinc sequiori tempore ante *Joma* in legendo exercebatur. Seniores ex Senioribus Synedrii M. ablegabantur ad Pontificem, dicebantque ei אשי כהן גדול קרא אתה בפיך שמא שכחת או שמא לא למדת *Domine Sacerdos magne, lege ore tuo; Forte oblitus es, aut forte non didicisti. Tr. Joma.* C. I. §. 3.

§. 361. Materia prælegenda sine dubio constabat Pericopis Legis, quæ hoc de Expiationis Mysterio agebant, quasque præmisimus. Mischnici specialiora habent, notantque Leges Exod. XXX. 10. & Lev. XXV. 9. 10. haud prælectas fuisse, sed tantum reliquas tres & quidem cum sequenti discrimine כהן גדול עומד ומקבל וקורא עומד וקורא אחרי מות ואך בעשור וגולל ספר תורה ומניחו בחיקו ואומר יותר ממה שקראתי לפניכם כתוב כאן ובעשור שבחומש הפקודים קורא על פה *Sacerdos magnus stabat, & accipie-*

bat & legebat. Stabat & legebat Sectionem Levit. XVI. 1. post mortem. *Etiam Sectionem* Lev. XXIII. verum die decima. *Tum volvebat Librum Legis, ponebatque eum in sinum suum, ac dicebat: Plus quam legi coram vobis scriptum hic scil.* Num. XXIX. 7. Die decima &c. *quæ ore recitaverat.*

§. 362. Ad illustrandum hæc juvat ex commentatoribus nosse Pontificem ante Prælectionem in atrio mulierum sedisse. Tum ad reverentiam erga Legem divinam testandum surrexisse, ac stantem prælegisse. Prælegerat vero memoratas Sectiones Levit. XVI. & XXIII. ceu sibi invicem conjunctiores. Non multum temporis poscebatur ad volumen evolvendum à Lev. XVI. ad XXIII. Interprete interea lingua hebraica prælecta chaldaice interpretando, ut in Synagogis solitum, lingua priori minus nota. Verum quia *Sectio Num.* XXIX. 7. &c. remotior & multum temporis postulatum ad volumen evolvendum, Pontifex posteriorem Sectionem è memoria recitaverat, monueratque Auditores suos plura esse scripta, quam publice lecta, ad amoliendum sinistram opinionem exemplaris defectu laborantis. Honori vero cœtus minus consultum habebatur, tam diu Auditores otiosos detinere, donec Pontifex evolvendo ad ultimam sectionem pervenerit. *vid. Bart. ad cit. Misch.*

§. 363. Notanda quoque pomposa Libri Legis in manus Pontificis Traditio, ut exstat *l. cit.* חזן הכנסת נוטל ספר תורה ונותנו לראש הכנסת וראש הכנסת נותנו לסגן והסגן נותנו לכהן הגדול *Minister publicus depromsit Librum Legis, tradiditque Archi-Synagogo; Hic vero tradiderat sagani; Sagan autem tradiderat ipsi Sacerdoti magno.* Consimilis ferme mos obtinebat Rege prælegente, ut exstat in *Tr. Sotah* C. VII. cum hoc tamen discrimine, quod Rex Librum acceperit è manu Pontificis. Major ergo Regis, quam Sacerdotis M. dignitas erat.

§. 364. Dicta nonnihil lucis dant Prælectioni Jesajæ, quæ à Christo in Synagoga Nazarethana facta Luc. IV. 16-21. Acceperat is Librum Jesajæ è manu Ministri, qui supra חזן appellatur (alias non posset dici ἀποδοὺς) tum (ἀναπτύξας) volumen clausum evolverat ad legendum, explicatione finita (πτύξας) revolverat clauseratque volumen, atque ita (ἀποδοὺς) reddiderat Ministro, à quo prius

prius acceperat, ad ſervandum. Etiam notandum, quod exſtat v. 16. ἀνέστη ἀναγνῶναι *ſurrexerat ad legendum.* Ergo Chriſtus ante in Synagoga Doctoris inſtar ſederat. Lecturus ſurrexerat, ſteteratque reverentiam erga Legem divinam teſtaturus. *Pontifex ſtabat & accipiebat & legebat, ſtabat & legebat.* Miror Celeberrimum Wagenſeilium in *Annot. ſuis doctiſſimis* ad *Sota* C. VII. 7. pag. 676. exiſtimare Pontificem ſedentem prælegiſſe ex judicio Maimonidis, atque eo delapſum quod ſecutus fuerit Talmudis Codices, qui וקורא habent omiſſo עומד, ſed aliquando etiam bonus Homerus dormitat. Verum Maimonides non ita arbitratur. Ille æque legit עומד וקורא ac Cl. Wagenſeilius. Suboleo tamen erroris occaſionem, quæ inde orta, quod principium Paragraphi tantum legerit, ſicuti ſi integrum appoſuero, unusquisque facile cognoſcere poteſt: Dabo autem illum ex interpretatione *Lud. de Comp. de Veil. Erat iſte legendi modus :* יושב בעזרת הנשים וכל העם עומדים לפניו· *Sedebat in atrio mulierum Pontifex, cujus in conſpectu populus omnis ſtabat in Pedes. Aedituus volumen Legis depromebat & idem hoc tradebat Principi Synagogæ : Princeps Synagogæ idem illud tradebat vicario , & vicarius demum Pontifici. Pontifex accipiendo volumini aſſurgebat* עומד וקורא *idemque ſtans legebat.* Ita habet utraque *Editio Venetiana.* Quando primo dicit Pontificem ſediſſe in atrio , id ipſum eſt, quod reliqui Judæi dicunt, quod ipſe Maimon. *in Comment. Miſchnæ* quoque aſſerit , ſcil. ſedit, antequam Librum Legis accipiebat, ſed poſtea aſſurrexit, atque ſtans legit. Si diſſentiret, procul dubio Rabad, qui lynceos in erroribus Maimonidis oculos habet, notaſſet.

§. 365. Veſtitus prælectionis liber erat juxta Traditionem in *Joma* C. VII. 1. אם רצה לקרוא בבגדי בוץ קורא ואם לא באצטלית לבן משלו *Si volebat legere in veſtibus byſſinis, legebat ; & ſi non, legebat ſtola alba propria,* ex *Ord. interpretatione.* עבודה vel *miniſterium ſacerdotale* non aliter quam veſtibus ſacerdotalibus obiri poterat. Verum prælectio Legis ad Sacerdotes haud erat reſtricta. זרים *peregrini* à Sacerdote etiam prælegendi copiam habuerant, ut vel Regis exemplo conſtat. Unde fluit libertas vel pontificalem, vel communem veſtem inter prælegendum geſtandi. Maimonides *Tr. de expiatione ſolenni* licitas quoque habet בגדי חול לבנים משלו *Veſtes communes, albas proprias.*

§. 366. Tempus quoque prælectionis hujus Lege definitum haud erat. Unde ſteterat penes Eccleſiam id, quod commodum videbatur, conſtituere. Conſtituebatur vero illud, quo juvencus & hircus cremabantur. Hinc in *Tr. Joma* C. VII. 2. הרואה כהן גדול בשהוא קורא אינו רואה פר ושעיר הנשרפין והרואה פר ושעיר הנשרפין אינו רואה כהן גדול כשהוא קורא לא מפני שאינו רשאי אלא שהיתה דרך רחוקה ומלאכת שניהן שוה כאחרת *Qui videbat Sacerdotem magnum cum legebat, non videbat juvencum & hircum cum cremabantur. Qui videbat juvencum & hircum cum cremabantur, non videbat Sacerdotem magnum cum legebat: Non quia fas non erat, ſed quia longior via erat: Et opus utrumque ſimul peragebatur.*

§. 367. Ultimo hic notamus octo preces, quæ tum à Pontifice fundendæ. Notamus tanto magis, quod præferendæ videantur orationi in ſancto dictæ v. ſupra §. 220. Prima, quæ fuſa ante lectionem ſectionis, agit *de Lege*, eſtque Maimonide obſervante: *Qui nos elegit ex omnibus gentibus.* Altera lectione finita ſequentis argumenti: *Qui nobis dedit Legem veritatis & vitam æternam inter nos plantavit.* Tertia eſt: *Benevolus eſto, Domine, Deus noſter, populo tuo Iſrael* &c. Quarta: *Confitemur tibi* &c. Quinta: *Condona nobis* &c. Sexta reſpicit Templum ac continet votum, ut Deus continuet in Templo habitare ac gloriam ſuam manifeſtare. Septima continet interceſſionem pro Sacerdotibus, ut accepta eſſent eorum ſacrificia Deo. Octava intercedit pro Iſraele, ejusque libertate cum clauſula: *Benedictus tu Domine, qui exaudis Iſraelem.* Themata precum præſtantia (quæ ſine animo & fide) nihil apud Deum valent, ut Iſraelis exemplo conſtat.

§. 368. Poriſmata ex verſibus 20. 21. 22.

I. *Conſummata hirci piacularis devoti morte & expiatione peccatorum ſocius vel alter idem vita perpetua coram facie Dei donabatur.* Deus Judex, qui ſponſorem propter peccata noſtra ſacrificium piaculare conſtituit tradiditque morti, eundem ex morte excitavit, ac vita æterna dignum declaravit Rom. IV. 25. Audit notanter החי *vivus ille.* Gloriatur hinc: *Mortuus eram & eccce vivens ſum in ſecula ſeculorum.* Apoc. I. 18.

II. *Duo*

II. *Duo hirci quasi unus idemque.* Simillimi eligebantur. Una erant destinati ad auferendum peccata populi. Unus sola voluntate Dei morti addicebatur; Alter eadem voluntate vivebat. Mortuus alteri vitam dabat. Vivus mortui lata peccata auferebat. Mirum! quod ἐν σκιᾷ imperfectum, perfectum in corpore, ut plenius *in sensu mystico.*

III. *Actiones personæ publicæ à Deo ordinatæ & à populo agnitæ magnam habent vim; Ratæ sunt in cælo & probantur in terra.* Tales erant actiones Aharonis, quæ hic memorantur, χειροθεσία, confessio peccatorum, eorundem imputatio, dimissio emissarii.

IV. *Quare ejusmodi personæ non sibi ipsis honorem dare debent. Vocatæ poscuntur & sanctificatæ.* Hebr. V. 4. 5.

V. *Quod à persona publica externe manibus corporis & ore fit, hoc ipsum à repræsentatis fieri debet interne spiritu oris & mentis, ut testentur fidem & venerationem Numinis.* Prudenter itaque Ecclesia Judaica instituit Δοξολογίαν ab omnibus dicendam, Pontifice confitente. Λογικὸς hic cultus etiamnum observandus circa actus publicos. 1. Cor. XIV. 16.

VI. *Gratiosus Deus promittit Israeli resipiscenti & in fide offerenti remissionem peccatorum omnium, non tantum minus gravium* (quæ hic vocantur עונות) *sed & graviorum* (quæ dicuntur פשעים) *imo omnium.* Inconsiderate itaque scripsit *Limburg de Verit. Relig. Christianæ: Cum vero gravia peccata sacrificiis expiari non potuerint, manifestum est, nec ea sacrificio hoc annuo fuisse expiata.* p. m. 208. 209.

VII. *Confessio peccatorum, quæ Lege Divina nullis alligabatur verbis, recte ex mente & pro circumstantiis recitatur.* Deus non delectatur verbis humilibus, sed mente humili, fracta & vera.

VIII. *Prudenter examinandæ sunt παραδόσεις Ecclesiæ Judaicæ.* Quædam conveniunt cum Lege, ut ordo functionum; Emissarius non vivus dimittendus socio nondum mactato & sanguine nondum sparso. Quædam latent in virtute Legis, uti Δοξολογία populi recitata confessione. Quædam Legi è diametro adversæ, ut præcipitatio hirci. Quædam historice veræ, sed theologice falsæ. Quædam urgente necessitate, politicis ex rationibus, introdu-

ctæ, ut quæ tradunt de comitibus & tabernaculis, vel inertia hominum inventæ, ut *pons*, *vellicatio hirci*.

IX. *Duæ priores sunt typicæ; Posteriores non.* Ecclesiæ non est genuinos typos instituere, maxime non contrarios.

§. 369. Progredior ad mandatum decimum sextum, contentum v. 23. & 24. a. his verbis: ובא אהרן אל אהל מועד ופשט את בגדי הבד אשר לבש בבאו אל הקדש והניחם שם ורחץ את בשרו במים במקום קדוש ולבש את בגדיו *Et intrabit Aharon in tentorium Conventûs, ac exuet vestes lineas, quas induerat, quando intraverat in sanctum illud & relinquet eas ibi. Lavabit quoque carnem aquis in Loco sancto & postea induet vestes suas.* Præparatio hæc ad oblationem Holocaustorum & incensionem adipis comprehendit sequentia officia. א. Intrandi tentorium Conventûs. ב. Exuendi vestes lineas & relinquendi. ג. Βαπτισμὸν corporis. ד. Induendi vestes suas.

§. 370. Officium primum est *introitus in tentorium Conventûs*. Judæi alium officiorum ordinem hoc loco tradunt. Infra loco commodiori de eo agam. Nunc ipsum officium exponam. *Intrare in tentorium Conventûs* præsupponit pontificem extra illud stetisse. Ubi? *Joach. Langius* conjectat, an ducem emissarii extra atrium comitatus fuerit. Non videtur. Nihil narrat lex. Nihil tradit Ecclesia. Locus sine dubio fuit atrium Sacerdotum, ceu à quo hircus dimissus erat. Hoc ex atrio Pontifex in tentorium Conventûs intravit. Supra §. 270. 271. probavi tentorium Conventus jam late accipi & dici de sancto & sanctissimo, jam stricte & notare nonnisi sanctum. Quæritur igitur, quænam hic obtineat notio? Circumstantiæ claræ, quæ notionem hanc vel illam determinent, haud notantur. Si munus, quod obeundum, exprimeretur, facile ferri posset Judicium. Nemo, ut puto, cogitabit intrasse pontificem ad exuendum vestes. Frustra tamen non intravit; Igitur ex supra dictis concludendum, quo fine introitus faciendus. Supra vero v. 12. notavimus, Pontificem thuribulum in sanctissimum intulisse. Exportatum nondum legimus. Quare valde probabile mihi videtur, hunc introitus fuisse finem. Non enim statim prima vice efferebatur, ut supra §. 258. dictum. Non secunda; Non etiam tertia vice. Ergo hac quarta. Hoc tradunt Judæi *Tr. Joma* C. VIII. 4. נכנס להוציא את הכף ואת המחתה

המחתה. *Ad depromendum acerram & πυρεῖον.* Quod ipsum habet *Raschius in Comment. ad* v. 23. Non video rationem Traditionem tum rejiciendi, quando non solum cum Lege convenit, sed & commode eam explicat. Atque ita sequeretur *tentorium Conventûs* lata accipiendum esse notione. Qua explicatione admissa locum quoque habet alia *Joach. Langii* ad h. l. conjectura; scil. Aharonem extulisse pelvim sanguinis, si quis adhuc reliquus fuerit.

§. 371. Alterum: *Exuet vestes lineas, quas induerat, quando intraverat in sanctum illud.* De his lineis vestibus prolixe supra ad v. 4. a. §. 45 - 69. scripsi. Clare hinc constat Pontificem vestes has toto Expiationis Die haud gestasse, conf. v. 24. Usus earum erat restrictus ad introitum in *sanctum illud*, ut videtur, quod alias *sanctissimum* dicitur v. 16. Gestabantur quidem etiam à Pontifice in atrio & sancto, sed nonnisi occupato circa sacra, quorum sanguis in adytum inferendus erat, non vero alia communia. Ipse Pontifex vestes exuerat (conf. Lev. VI. 4.) castitatis studiosus. Locus exuendi non exprimitur, liber adeoque. Probabiliter ordinarius aliquis erat induendi & exuendi, ipso jam Tabernaculo stante, distinctus & obtectus ab oculis Israelis. Sacerdotum erat castitatem tueri Exod. XXVIII. 42. prætenso probabiliter velo, quale sub Templo II. erat. *Tr. Joma* C. III. 6. *Velum byssinum erat inter eum & populum.*

§. 372 Cum hoc officio conjunctum est: *Et relinquet eas ibi.* Vox הניח plures habet speciales significatus. Circumstantiæ vero hoc loco ita se habent, ut commodior non detur notio, quam *relinquendi.* Unde veteres, recentioresque interpretes in ea conveniunt. Convenit quoque quandoque cum usu, veluti 1. Reg. VIII. 9. *In arca non erant, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas Moses ibi* הנח *reliquit*, deposuit, ut in ea manerent. Et Num. XVII. 22. וינח *& reliquit Moses virgam coram facie Jehovæ.* Aureæ vestes non relinquebantur sine usu, jugiter induebantur, exuebantur, ministerio inchoato, finitoque. At lineæ seponendæ, ceu quarum finito ministerio Expiationis nullus erat usus. Pontifex solenniter gratiam quærens humiliter vestitus; Postea in gloria. Relinquendæ dicuntur שם *ibi*, ubi deponebantur, adeoque in atrio Sacerdotum, vel commoda ejus parte. Haud conveniebat, ut in loco communi servarentur; Vel superstitio, vel malitia alias metuenda fuisset.

§. 373. In scholis Judæorum olim quærebatur an nullus prorsus earum usus postea licitus fuerit? Quidam R. Dose putabat, licite gestatas fuisse ab inferiore Sacerdote, sed consensum non consecutus erat, ut ex Gemaricis ad *Joma* C. III. docet *Braunius de vestitu Sacerdotum* p. 856. והניחם שם מלמד שטעונים גניזה רבי דוסא אמר ראויין הן לכהן הדיוט ומה תלמוד לומר והניחם שם שלא ישתמש בהן יום הכפורים אחר Et relinquet eas ibi. *Hinc discimus eas debuisse abscondi; Doctor Dose dicit: Aptæ sunt ut gestarentur ab aliquo Sacerdote totius ordinis (gregario vel Idiota) sed scriptura dicit:* Et relinquet eas ibi, *ut in iis non ministraret alia Die Expiationis.* Consentit Raschius ad h. l. Probo communem Judæorum sententiam ex duabus aliis rationibus. IV. lineæ Pontificis non sunt eædem cum IV. albis Sacerdotum gregariorum. Differebant materia, forma, & lini specie, ut supra §. 58. Dein in sanctuario nullus paupertatis locus. Vestes, quas Pontifex non gestabat, non datæ videntur alii Sacerdoti ad gestandum. Hoc paupertatem sapit.

§. 374. Tertium est Baptismus corporis Pontificis: *Et lavabit carnem suam aquis in loco sancto.* De lotione vel baptismo corporis Pontificis in Die Expiationis plura sunt notata §. 70 - 75. Objectum baptismi dicitur בשר *caro.* Pars hominis visibilis Psal. XXXVIII. 4. Lev. XV. 16. à qua aliquando totus homo nominatur Joh. I. 14. Intelligitur tota caro, nulla ejus parte excepta. Alibi additur כל Num. VIII. 7. & distinguitur à sanctificatione manuum pedumque.

§. 375. Pontifex jubetur carnem suam *lavare.* Mischnici exprimunt per טבילה βαπτισμὸν *Tr. Joma* C. III. 3. quo corpus hominis totum aquæ immergitur. Molestum officium, maxime quando eadem die repetendum. Mischnici extendunt ad quinque immersiones & decem sanctificationes (v. *Reland. Antiq.* pag. 46.) ut supra observatum §. 72. Quidquid sit cum hac Traditione, ex Lege liquet, quod repetenda fuerit immersio, eaque *aquis* faciunda.

§. 376. Locus poscitur קדוש *sanctus*, communi oppositus Lev. X. 10. unde videtur sequi, quod immersio hæc in tentorio Aharonis illegitima fuisset. Ex Lege, Tabernaculo fixo faciunda in atrio Sacerdotum, vel parte ejus per tegumentum à conspectu semota. Sanctificatio manuum pedumque vero fiebat in publico lavacro

vacro Exod. XXX. 18. 19. Non item immerſio. Conſulendum erat perſonæ ſanctæ ejusque pudori. Poſteriori tempore ſub Templo II. ut videtur, peculiare conclave huic uſui inſerviverat. *Tr. Joma* Cap. III. 16. הביאוהו לבית הפרווה ובקדש היתה פרסו סדין של בוץ בינו לבין העם *Adduxerunt* (Pontificem) *in domum Happarva & in ſancto erat. Velum byſſinum inter illum & populum extenderunt.* Addo Raſchium ad h. l. במקום קדושו המקודש בקדושת עזרה והיא היתה בגג בית הפרויה וכן ארבע טבילות הבאות חובה ליום אפל הראשונה היתה בחיל *In loco ſancto, qui ſanctificatus eſt in ſanctitate atrii, atque is (locus) erat in tecto domus Happarva, atque ita fiebant quatuor lotiones, quæ toto die fieri debebant; Aſt prima (Ablutio) facta eſt in antemurali.*

§. 377. Quartum officium: *Et induet veſtes ſuas.* Verba clara: Unde interpretes in hac verſione conveniunt. Luth. vertit: Seine eigene Kleider. Pontificis trium generum veſtes erant; ſcil. *communes*, quas extra Miniſterium; *Lineæ*, quas ſolo Expiationis Die, & *aureæ*, quas quotidie muneri vacans geſtabat. Hoc loco non ſunt intelligendæ *illæ*, nam ſacra adminiſtraverat; Non *iſtæ*, ceu quas modo ante depoſuerat, ſed *hæ*, quæ plenius deſcribuntur Exod. XXVIII. & conſtabant ex octo. Dicuntur *veſtes ejus*, ordinariæ. In Miniſterio gregarii nullum habuerant jus pontificiales veſtes geſtandi. Chriſtiani æque ac Judæi, quantum ſcio, conſentiunt. Ex his cito ſolum Raſchium: שמנה בגדים שהוא עובד בהן כל ימות השנה *Intelliguntur octo veſtes, quibus* (Pontifex) *omnibus anni diebus miniſtrarat.*

§. 378. Porismata ex vers 23. 24. a.

I. *Peccatis noſtris per hircum emiſſarium in deſertum deportatis, data omnimoda eorum venia & oblivione, Pontifex ſiſtitur intrans in ſanctiſſimum ac manens in eo.* Exitus expreſſis verbis non memoratur, quanquam ſine dubio Aharon è ſanctiſſimo exiverit. Videtur ſilentium ſtudio fictum, ut de Melchiſedeci ortu, parentibus Hebr. VII. 3. Antitypi gratia. Pontifex Jeſus Chriſtus *facta peccatorum noſtrorum per ſe ipſum purgatione ſedit ad dextram Majeſtatis in excelſis* Hebr. I. 3. ibi manſurus & res populi acturus.

II. *Aharon recte exuit veſtes lineas, humiles, quas induerat hilaſtica ma-*

 ctans,

ctans, sanguinem spargens, expians, postquam misericordiam & gratiam adeptus est. Sic Pontifex summus Jesus Christus formam servi, statum exinanitionis deposuit patre glorificato, peccatis nostris expiatis.

III. *Vestes lineæ depositæ nunquam à Pontifice per totam vitam gestabantur.* Perpetuum nonnisi erant memoriale pristinæ humiliationis. Pontifex Jesus Christus formam servi nunquam reassumet. *Excitatus è morte non amplius moritur. Mors non amplius dominatur.* Rom. VIII. 9.

IV. *Pontifex dein baptizabatur aquis in loco mundo*, ut cogitemus Pontificem Jesum Christum passionibus perlatis plene a patre absolutum ac in cœlo, loco vere sancto largissima Spiritus S. aquæ divinæ copia perfusum & quasi baptizatum fuisse.

V. *Aharon exutis vestibus lineis induerat vestes suas, gloriosas, pontificatu defuncturus.* Lineæ non erant Aharonis, quas tantum gestaverat misericordiam quæsiturus : Gloriosæ ejus erant per totum annum gestatæ. Pontifex Jesus, qui per breve tempus, in statu humilitatis exstitit reconciliaturus nos morte sua, postea gloria divina coronatus erat. Psal. VIII. 6. Status humiliationis non est vestis Christi. Peccatorum gratia nonnisi in eo vixit. Status gloriosus est propria ejus vestis. Erat in gloria apud patrem, antequam mundus erat Joh. XVII. 5. Dominus gloriæ, Pontifex gloriosissimus in æternum est & manebit Hebr. I. 3. VIII, 1.

VI. *Imperfectio, infirmitas, molestia, labos circa carnalia, terrestria, transitoria, defectus potentiæ ad consummandum denuo in munere Aharonis clarissime notantur.* Hæc jugiter insunt Σκια. Aharon expiaturus huc illuc ibat, jam vestes exuebat, jam induebat, carnem suam baptizabat, rebaptizabatque &c.

Porismata hæc in tantum habeantur utilia quantum cum Analogia fidei consistunt. An omnia vere typica sint, curatius examinabo suo loco, si ita Deo videbitur.

§. 379. Mandatum decimum septimum sequens est v. 24. b. ויצא ועשה את עלתו ואת עלת העם וכפר בעדו ובעד העם *Et hinc prodibit ac faciet Holocaustum suum & Holocaustum populi, & expiabit*

pro

pro se & pro populo. Quod specialiter continet egressum Pontificis, oblationem Holocaustorum & effectum.

§. 380. De egressu; *Et exibit.* Juxta nexum octo gloriosis vestibus vestitus. Sed unde? Raschius ad h. l. habet מן ההיכל אל החצר שמזבח העולה שם *E Templo in atrium, nam ibi altare Holocausti erat.* Prius non possum probare. In Templo non erat locus exuendi, lavandi & induendi vestes. Quare locus, ex quo Pontifex exiverat, erat ille, in quo vestes octo induerat. Absconditus per breve tempus ibi substiterat. Nunc in publicum prodit.

§. 381. De oblatione Holocaustorum; *Et faciet Holocaustum suum & Holocaustum populi.* Qualis sacrificiorum species עולה *Holocaustum* sit, dictum supra ad v. 4. Denuo errat Syrus, addens: *Holocaustum pacificum.* Etenim sensu Legis Mosaicæ alia species Holocaustum; Alia vero pacale Lev. I. & III. In singulari utrumque memoratur *Holocaustum*, tum quod nomine proprio, tum quod communi ab Aharone sacrificandum erat. Clarissime lex nos ducit ad v. 3. & 5. Ubi Holocaustum Pontificis dicitur *Aries*, Holocaustum populi itidem. Recte igitur Raschius annotat ועשה את עולתו איל לעולה האמור למעלה בזאת יבא אהרן וגו׳ ואת עולת העם איל לעולה האמור למעלה ומאת עדת בני ישראל וג״ו Verba & faciet Holocaustum suum *intelligenda sunt de ariete de quo supra v. 3. cum hoc veniet Aharon &c.* Sed verba & Holocaustum populi *de ariete quoque supra dicto v. 5. & à cœtu Filiorum Israelis.* J. Fr. Breithauptus accuratus alioquin interpres non attendens איל vertit per *hircum.*

§. 382. Aben Esra paulo aliter judicat *in Not. ad h. l.* הוא האיל ואיל העם ופר העם ושבע׳ כבשיה׳ כי כן כתוב *Intelligitur aries* (Pontificis) *& aries populi, & juvencus populi & septem agni. Nam sic scriptum est.* scil. Num. XXIX. 8. Recedit quoque *Mischna Tr. Joma* Cap. VII. 3. ויצא ועשה את אילו ואת איל העם ואת שבע׳ כבשים תמימים בני שנה *Et exibit & faciet arietem suum & arietem populi sui & septem agnos integros anniculos.* Etiam Sheringhamius *in Annot. ad Misch. cit.* N. 2. *de ariete suo exstat Mandatum* Lev. XVI. 3. *de ariete populi* Num. XXIX. 18. Ἐπίκρισις mea, quam tamen aliorum judiciis subjicio, hæc est: Loco, quem expono, tantum mentio fit

unus

unius Holocausti pro Pontifice, & unius pro populo, non vero plurium. Recte igitur accipio de illis hoc in capite v. 3. & 5. Sacrificia, quæ memorantur Num. XXIX. 7 - 12. tum nondum præcepta erant, unde hac in Lege ad nondum data respici nequit. Si Deus vult alio tempore de recentiori hac Lege judicabo.

§. 383. Præceptum exstat : *Et faciet Holocaustum suum & Holocaustum populi hujus.* De hac phrasi עשה *fecit* in materia sacrificiorum perquam usitata dictum supra §. 123. Generaliter rursus sumenda est & includit omnes ordinarias functiones circa victimam & hic quidem circa Holocaustum. vid. Lev. I. Si quædam extraordinariæ observandæ fuissent eas lex memorasset.

§. 384. De effectu : *Et expiabit pro se & pro populo.* Identidem nova poscitur promittiturque expiatio. Quid sibi velit expiatio, in specie pro Pontifice & populo, jam semel ac iterum dictum est v. 6.

§. 385. Porismata ex v. 24. b.

I. *Hilasticis Aharonicorum jugis facta erat* ἀνάμνησις *peccatorum.* Apostolus dixerat : Sacrificiis *fit commemoratio per singulos annos* Hebr. X. 3. Imo per singulos menses, septimanas, sabbatha, dies. Una etiam die sæpius repetebatur, maxime solenni expiationis. Expiatio fiebat juvenco, hirco, ariete pontificiali pro peccato, quorum hoc capite mentio fit. Plura memorantur recentiori in Lege Num. XXIX. 7 - 12.

II. *Adeo infirma, molesta erat* Σκιὰ *in Hilasticis Aharonicorum, ut, quæ umbra, nequidem umbra haberi queat.* Aharon primo pro se, tum pro populo sine numero expiare jubebatur. At Pontifex Jesus Christus ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας. Hebr. VII. 26.

§. 386. Mandatum decimum octavum v. 25. ואת חלב החטאת יקטיר המזבחה *Adipem hujus sacrificii pro peccato incendet in ara*, continens id, quod incendendum, dein incensionem, ejusque locum.

§. 387. Id quod incendendum generatim dicitur חֵלֶב *adeps*, sive pars sacrificii adiposa, à qua Israelitæ semper abstinendum. Lev. III. 17. *Statutum æternum sit per generationes vestras in omnibus habitationibus vestris : Omnem adipem non comedetis.* Quin omnis adeps Deo sacer. *Incendet Sacerdos ille in ara. Panem ignitum in odorem bonæ fragrantiæ.*

grantiæ.

grantiæ. Omnis adeps Jehovæ est. C. IV. v. 36. conf. Ezech. XLIV. 7. Quænam sacrificii partes *adipis* nomine in Lege veniant, scire licet ex Lev. III. 9 - 11. 14 - 16. de pacalibus, ut & Lev. IV. 8. 9. 19. de sacrificiis pro peccato. Mischna eas vocat אמורים *Tr. Joma* C. VI. 7. quæ, Maimonide explicante, sunt adeps, qui intestina aperit, sub quo etiam comprehenditur adeps, qui est super ventriculo, duo renes & adeps eorum; Adeps item iliorum & reticuli hepatis. v. *Buxt. in Lex. Talm. ad Rad.* אמר.

§. 388. Speciatim adeps החטאת *hujus sacrificii pro peccato.* Sed caput hoc meminit duorum sacrificiorum pro peccato v. 3. 5. Quodnam ergo intelligendum? Vel an utrumque? Mischnici utrumque intelligunt *Tr. Joma* Cap. VI. 7. בא לו אצל פר ושעיר הנשרפין קרען והוציא את אימוריהם נתנן במגים *Ibat* (Pontifex) *ad juvencum & hircum, qui erant comburendi. Findebat eos & eorum viscera educebat, ponebat in scutella.* Raschius breviter idem אמורי פר ושעיר *partes juvenci & hirci* in ara comburendæ. Aben Esra extendit quoque ad hircum, de quo Num. XXIX. 11. sed hoc non probandum, saltem virtute hujus præcepti. Quod nondum præceptum, nondum intelligi potest. Est ergo enallage numeri, quæ in sacris frequens. Nullam novi rationem, quare excludendus vel adeps juvenci vel hirci. Non minus singularis commodior, quia utrumque sacrificium eundem habuerat scopum.

§. 389. Incensio, ejusque locus: *Incendet in ara.* Vox הקטיר est communis notionis, diciturque de variis objectis incendendis & vi ignis solvendis, ut in fumum abeant, non solum aromatibus ut supra v. 12. 13. sed & carne Lev. I. 9. 13. 17. adipe Lev. III. 10. Diserta postulabatur mentio *aræ*, nam cum his sacrificiis pro peccato alia prorsus ratio, quam cum aliis, quippe major eorum pars extra castra erat cremanda, ut dicemus ad v. 27. Adeps solus in ara & quidem ara Holocausti cremabatur. Raschius hinc על מזבח החיצון *in ara exteriori.* Ara suffitus prorsus respuebat incensionem objectorum comburendorum, si aromata excipis v. Exod. XXX. 9.

§. 390. Porismata ex v. 25.

I. *Sacrificia pro peccato Diei Expiationis tota comburenda, licet diversis in locis.* conf. v. 27. Erant ergo tantum cibus Dei Levit. III. 16.

Non Iſraelitarum, non etiam Sacerdotum. Nemo de ſacrificiis ſuis pro peccato comedendi licentiam habebat.

II. *Adeps habebatur pars horum ſacrificiorum præſtantior carne* &c. nam ſolus adeps in ara, quæ dona Dei ſanctificat Matth. XXIII. 19. cremandus erat.

III. *Deus delectatur adipe* (qui viſcera interiora tegit, vel iis adhæret) *igne comedendo ad εὐωδίαν.* Oblectamento ſunt Deo, Spiritui perfectiſſimo, interiora noſtra ei conſecrata, affectus carnales ex amore & fervore Spiritus S. mortificati, purgati, cœleſtes facti Coloſſ. III. 5. Rom. VIII. 13. Pſal. CIII. 1. Coloſſ. III. 1. 2. Renes & alia interiora natura ſunt ſedes affectuum carnis.

§. 391. Mandatum decimum nonum v. 26. והמשלח את השעיר לעזאזל יכבס בגדיו ורחץ את בשרו במים ואחרי כן יבוא אל המחנה *Is vero, qui hircum ad Azazel miſit, eluet veſtes ſuas & lavabit carnem ſuam aquis, & poſtea ſic veniet ad caſtra.* Comprehendens officia poſteriora ducis hirci emiſſarii, cum copia revertendi ad caſtra. Officia hæc ſunt: Primum veſtes eluere; Alterum corpus ſuum lavare, Unde ſurgit jus repetendi caſtra.

§. 392. Is, cujus officia præcipiuntur, deſcribitur המשלח *emittens hircum ad Azazel.* LXX. vertunt, ὁ ἐξαποστέλλων. Supra miſſio attribuebatur Pontifici v. 21. 22. hoc vero loco *duci*, ceu cujus manu hircus actu deductus erat. Ipſe hic titulus denuo confirmat, quod ſupra §. 129 - 132. plenius probatum; ſcil. Ducem hircum non occidiſſe vel præcipitaſſe de rupe. Dicitur enim ὁ ἐξαποστέλλων. conf. 1. Reg. XX. 42. *Propterea quod* שלחת *dimiſiſti virum devotum è manu.* Rex vero Syriæ in libertatem mittebatur. Denuo quoque confirmatur, quod לעזאזל percommode intelligatur de loco, in quo grex minuta paſcebatur, Germ. Geißweid vid. §. 141.

§. 393. Officium primum eſt: *Eluet veſtes ſuas.* Lex Moſaica haud raro lotiones extendit ad veſtes. vid. Exod. XIX. 10. de intraturis in fœdus cum Deo, leproſis Lev. XIII. 6. XIV. 8. 9. Adde Lev. XV. 8. Num. XIX. 8. Conjugatio Pihel docet curatam veſtium lotionem. Ipſe Pontifex liber erat ab hoc officio, ſed hirci dux adſtringebatur. Cum hoc conjunctum eſt

§. 394.

§. 394. Alterum: *Lavabit carnem ſuam aqua.* Quia non mentio fit manus aut pedis, ſed carnis, recte inferimus totum ducis corpus aquæ communi immergendum fuiſſe. Officium hoc convenit cum Pontificis v. 24. excepto nonniſi loco. Pontificis erat ſe baptizare in loco mundo, hujus extra caſtra.

§. 395. Tempus horum officiorum præſtandorum non quidem memoratur, attamen facile ex circumſtantiis colligitur. Libertate hirco data juxta Legem, vel præcipitato contra Legem ex Traditione Judæorum, & reditu usque ad caſtra, vel poſteriori tempore usque ad Hieroſolymam peracto. Quando igitur deſertum vel propinquius vel remotius erat, lotio vel citius vel tardius inſtituebatur. Si Traditionibus Judæorum credimus, ſerius facta erat ſub Templo II. & non ante ſubſequentem diem. Etenim rupes, è qua hircus præcipitabatur, ab urbe diſſita erat per XC. ſtadia. Per XC. ſtadia igitur duci redeundum erat. Accedit, quod peracta, ut Judæi tradunt, præcipitatione dux non habuerit licentiam viam ſtatim repetendi, ne Sabbathi Jura violaret. Unde in Miſchna *Tr. Joma* C. VI. 6. בא וישב לו תחת סוכה אחרונה עד שתחשך *Redibat & ſedebat ſub Tabernaculo ultimo, donec adveſperaſceret.* Quia enim, ut Bartenora explicat, ex labore ſuſcepto infirmus & languidus eſſe poterat, timidusque etiam, ſi ſolus in deſerto poſt exortas tenebras permanſiſſet, indultum ei erat, ut rediret ad proximum Tabernaculum.

§. 396. Reditu facto ac peracta utraque lotione dux copiam habuerat caſtra intrandi: *Et poſtea ſic veniet ad caſtra.* Caſtra Iſraelitarum poſcebantur munda, Deo ſancto in medio eorum habitante, unde leproſi, fluxu ſanguinis laborantes, imo omnes impuri extra caſtra ejiciendi v. Num. V. 2 - 5. Deut. XXIII. 11. Nec prius admiſſi, quam νομίμως mundati erant, veluti Lev. XVI. 8. Num. XIX. 7. XXXI. 24. Benigniori tamen Lege dux hic gaviſus erat, quam alii impuri. Lotione peracta ſtatim habebatur purus & caſtris dignus Sed alii immundi manſerant usque ad veſperam Num. XIX. 7. imo per ſeptiduum v. 11. 12. Statu Judæorum mutato eadem tenuerat jura urbs Hieroſolymitana ac olim caſtra, conf. Hebr. XIII. 11. 12. Audit hinc *urbs ſancta.*

§. 397. Poriſmata è verſu 26.

I. *Etiam hircus emiſſarius imputatione divina geſtabat peccata vel impuritates populi Iſrael.* Tum demum ablata habebantur, quando ille libertati reſtitutus erat. Alias dux nulla indiguiſſet ablutione.

II. *Magna hinc, veneni inſtar, vis inficiendi peccatis ineſt.* Etiam illi, qui officium teſtaturi occupati ſunt circa remiſſionem peccatorum, polluuntur, ac miſericordia Dei in Chriſto ac purgatione ſingulariter opus habent 1. Tim. I. 2. II. 2. Tit. I. 4. Joh. XIII. 10.

III. *Lotio veſtium ac carnis commode ſiſtit inquinamenta tum officii tum naturæ.* Veſtes, quæ ſeparatæ à corpore humano, officii præſtandi gratia induuntur. Recte igitur præceptum datur de abluendis veſtibus ac corpore.

IV. *Caſtra recte repræſentant Eccleſiam Dei*, ſpeciatim militantem. Cant. VI. 9.

V. *Uti olim caſtra Iſraelis munda poſtulabantur, ſic nunc Eccleſia ſancta.* Chriſtianus fatetur: *Credo Eccleſiam ſanctam.* Conſtare itaque debet membris ſanctificatis. Impura procul ſint.

§. 398. Mandatum vigeſimum extat v. 27. ואת פר החטאת ואת שעיר החטאת אשר הובא את דמם לכפר בקדש יוציא אל מחוץ למחנה ושרפו באש את ערתם ואת בשרם ואת פרשם *Juvencum vero ſacrificium illius pro peccato, & hircum quoque ſacrificium illius pro peccato, quorum ſanguis illatus fuit ad expiandum in ſancto, educat extra caſtra & comburent igne pelles eorum & carnem eorum ac fimum eorum;* Agit de noviſſimis hilaſticorum ſolennium, ſed, quod probe notandum, non de hirco poſteriori, utpote qui vivus dimittebatur. Ubi diſtincte notamus, quænam hilaſtica fuerint, horum dein eductionem & combuſtionem.

§. 399. Hilaſtica, quorum jura poſtea præcipiuntur, diſtincte notantur. Primo *juvencus ſacrificii illius pro peccato*, de quo v. 3. dein *hircus ſacrificii illius pro peccato* de quo vero v. 9. Tertio *quorum ſanguis illatus fuit ad expiandum in ſancto.* Diſtinctior horum hilaſticorum requirebatur deſcriptio, quoniam jura horum alia ſunt à communibus hilaſticis, ceu quæ communiter extra caſtra haud exportata erant. Pars quoque horum ceſſerat in cibum Sacerdotum.

Jura

Jura quoque alia ab hilasticis Pontificum & publicis pro cœtu, quippe horum sanguis illatus quidem erat in sanctum sed non in sanctissimum v. Lev. IV. 5 - 8. 16 - 19.

§. 400. At horum etiam in sanctissimum. Verum quidem est, quod lex *ad expiandum* בקדש *in sancto*, posset exponi de sanctuario anteriori, si tantum attendendum ad vocem *in sancto*. Vulgatus habet *in sanctuarium*. LXX. ἐν τῷ ἁγίῳ. Chald. בקודשא, sed Συνάφεια clare postulat, ut *sanctissimum* intelligam, vel saltem cum sancto cointelligam. Ex v. 14 & 15. enim constat, utrumque sanguinem ad expiandum in sanctissimum latum fuisse. Apostolus transfert εἰς τὰ ἅγια *in sancta*, anterius & posterius. Judæi consentiunt. Raschius hinc ad h. l. להיכל לפני ולפנים *in templum ut & ante atque in conspectum*, id est, in adyta, sive in sanctum sanctorum, *Breithauptio* vertente & exponente.

§. 401. Jus circa hæc hilastica primum: *Educat extra castra.* Adeps eorum solus Deo in ara holocausti comburebatur, ut dictum ad v. 25. Σώματα, ut legimus Hebr. XIII. 11. integra, excepta apertione ad depromendum visera, vel, ut mox dicemus, *Pelles*, *Carnes & Fimus* portabantur *extra castra Dei*, Levitarum & Populi. *Goodw.* Lib. VI. C. VII. Satis amplum spatium erat inter castra Dei & exteriores limites castrorum populi Jos. III. 4. Legimus enim præscriptos fuisse bis mille cubitos inter arcam & Israelitas reverentiæ testandæ gratia. Quando vero proximi tanto distiterant spatio, qui in finibus substiterant, longe remotiores erant. Corpora vero exportabantur extra fines castrorum. Hoc jus obtinuerat populo castrametante, non vero Templo exstructo & Hierosolyma electa. Recte itaque Bartenora scribit חוץ לירושלים *extra Hierosolymam* conf. Hebr. XIII. 11. 12.

§. 402. Ex ampliori spatio, ut & pondere, tum juvenci, tum hirci recte colligimus, hominem unum non fuisse parem huic oneri ferendo, plures conjunctis viribus portaverant. Quare haud rejiciendum quod *Raschius* tradit in Not. ad Joma Cap. VI. 7. ארבעה בני אדם נושאין שני מוטות שנים לפנים שנים לאחור ומהלכים מוט אצל מוט *Quatuor homines duos vectes ferebant, duo ante & duo pone. Portabant vectes juxta se. v. Sheringh. ad l. cit.* Non obstat Legem

gem habere יוציא *educat* in ſingulari. Nam enallage numeri frequens eſt. Hoc loco tanto magis obtinet, quia ſtatim additur ושרפו & *comburent* &c. Ergo plures exportarant. Major videtur ratio plurium ad exportandum quam ad comburendum. Vel difficultas ita ſolvi poteſt: Pontifex *educat*, curabit, ut efferantur corpora per alios.

§. 403. Quando lex non meminit hilaſticorum in membra diſſecandorum, uti circa Holocauſta memorat Lev. I. 6. 12. penes Judæos ſtabat corpora efferre, ut commodum iis videbatur. *Miſchna in Cap. VI. Tr. Joma* hæc ſatis obſcure refert קלעו במקלעות *incidebat eos inciſionibus.* Talmud Hieroſolymitanum cum Bartenora legit קלעו במקלות *implicabat eos baculis.* Magis placet notio *implicationis*, quam *inciſionis*, quam Sheringhamius habet. Tam radix, quam derivatum קליעה *opus implexum* eam admittunt. Convenit cum Raſchio l. ſupra cit. הפר והשעיר נתנין עליהו מורכבים זה על זה וכופפין זה תחת זה כמין קליעה ושלימין הן אלא שנקרע כריסין להוציא אימוריהן *Juvencum illum & hircum illum imponebant iis* (vectibus) *alter ſuper altero vehebatur, & alterum ſub altero incurvabant, velut opus implexum. Integri erant, niſi quod venter eorum diſſectus ad viſcera* (quæ Moſes adipem vocat) *extrahendum.*

§. 404. Jus alterum: *Et comburent igne cutes eorum & carnem eorum & fimum eorum.* Locus combuſtionis juxta nexum erat olim extra caſtra; Templo vero exſtructo extra Hieroſolymam. Miſchna *Joma* C. VI. 7. הוציאן לבית השריפה *Ad Locum Combuſtionis portari curavit*, qui alias à Judæis dicitur *Locus Cineris.* Unde in Tr. זבחים. Cap. XII. 5. פרים הנשרפים ושעירים הנשרפים בזמן שהן נשרפים כמצותם נשרפים בבית הדשן *Juvenci comburendi ut & hirci comburendi, quando juxta mandata eorum comburuntur, in Loco Cineris comburuntur.* Locum hunc Cineris Maimonides explicat: *Qui extra civitatem ſanctam ſitus eſt, qui reſpectu ſanctitatis ſe habet, ut Locus extra caſtra Iſraelis cum Tabernaculo Conventûs, nam illic comburebant juvencos & hircos, qui comburendi, quia de illis dictum eſt extra caſtra, ad hæc dixerunt: Extra caſtra Tabernaculi, Levitarum & Iſraelitarum.* Fundamentum ſine dubio eſt in Lege Lev. IV. 12. *Educet* totum juvencum

cum extra castra in Locum mundum אל שפך הדשן *ad effusionem Cineris.* Quanquam enim Lev. IV. de nostris hilasticis non agatur, recte ex paritate ita concluserat. Alia hilastica Pontificis exportanda extra castra in locum mundum ad effusionem cineris. Sic quoque hæc in solennis Expiationis Die.

§. 405. Id vero, quod comburendum sistitur: *Pelles eorum & carnem eorum & fimum eorum.* Hæc quidem hilastica non dicuntur *Holocausta*, quæ tota comburuntur, attamen vim eorum magis exprimunt. Holocaustorum enim cutes & fimus non comburebantur, caro tantum. Cutes eorum cesserant Sacerdotibus offerentibus Lev. VII. 8. Fimus vero eluebatur, ut exstat Lev. I. 9. 13. At hilastica hæc tota igni solvenda, ipsæ quoque cutes, imo ipse fimus. Singulare exemplum ignis vel iræ divinæ. Victimæ hæ mactandæ. Sanguis varie spargendus & tandem effundendus. Adeps in ara adolendus. Reliqua extra castra erant comburenda. Combusserant autem plures ושרפו *& comburent*, si Aben Esræ credimus, כהנים *Sacerdotes*, quod probabile.

§. 406. Porismata ex v. 27.

I. *Omnes quidem typi picturæ sunt rerum spiritualium, at unus alterum superat.* Illustrissimus est, qui hoc capite, & speciatim, qui hoc versu occurrit, ut constat ex Epist. ad Hebr. Ex mysterio plenius dando.

II. *Hilastica hæc non solum docent mortem agni Dei, sparsionem sanguinis in Ecclesia* (ut hæc pictura satis communis est) *sed & sparsionem sanguinis Christi in cœlo, eductionem ejus extra Hierosolymam, officium communionis passionum* Hebr. IX. 12. 24. XIII. 11. 12. Hæc nullibi, saltem tanta claritate, in vaticiniis prædicta, ut hoc in typo depicta sunt.

III. *Alia Deo sacrificabantur nonnisi in atrio & ejus ara; Alia præterea in sancto; Alia insuper extra castra. At hæc in sanctissimo & in sancto & in atrio ac ejus ara & extra castra.* Vis veri hilastici prorsus singularis in cœlo, in Ecclesia interiori & exteriori, imo apud gentiles.

IV. *Gloria & zelus Dei modo prorsus extraordinario efferbuit contra hæc hilastica solennis expiationis.* Et mactanda & spargenda & effundenda

denda & comburenda. Deus nequidem pepercit cuti, imo nequidem fimo. Nihil reliquum reliquit. In cinerem omnia redigenda. Tum demum ira Numinis deferbuit. Pariter Deus Filio suo non pepercit, antequam hic in sepulchrum, ceu locum cineris, delatus, maledictionem prorsus abstulit. Rom. VIII. 32. Jes. LIII. 8. 9.

§. 407. Mandatum speciale vigesimum primum v. 28. *Et qui combusserit eos, eluet vestes suas & lavabit carnem suam aquis; Et postea sic intrabit in castra.* Quo traduntur officia comburentium juvencum & hircum.

§. 408. Quorum jura hoc comate referuntur, sunt comburentes juvencum & hircum. Textus quidem tantum habet והשרף *& qui comburit.* Verum v. 27. clare docet plures fuisse. Operis ratio plures poscere videtur. Textus commode intelligitur: *Et qui comburit*, hoc est, omnes qui combusserunt. Sensum recte tradit Vulgat: *Et quicunque combusserit.* Pariter Aben Esra *unusquisque* כל אחד מהשורפים ירחוץ במים *ex comburentibus lavabit aqua.* Sæpenumero singularis vim pluralis habet, unde qui 2. Sam. V. 6. יושב dicitur 1 Chron. XI. 4. יושבי הארץ. Pariter 1. Reg. VIII. 37. 41. coll. cum 2. Chron. VI. 28. 34.

§. 409. Horum officium primum: *Eluet vestes suas.* scil. unusquisque comburentium. Est illud ipsum officium, quod incubuerat duci emissarii, de quo supra §. 393. Combustio itaque horum hilasticorum vim polluendi exerebat, & quod notandum, majorem, quam comburentis adipem v. 25. qui ad lotionem vestium haud obligabatur. Nimium accurati Traditionarii scrutantes præcise tempus pollutionis. Mischna *Joma* Cap. VI. 7. ומאיתי מטמאין בגדים משיצאו חוץ לחומת העזרה רבי שמעון אומר משיצא האור ברובו *Ec quando erant pollutæ vestes? A quo exibant muris atrii. R. Schimeon dicit: A quo ignis in maxima eorum parte accendebatur.* Sheringhamio interpretante. Plenius in Tr. זבחים Cap. XII. 6. היו סובלין אותן במוטות יצאו הראשונים חוץ לחומת העזרה ואחרונים לא יצאו הראשונים מטמאים בגדים ואחרונים אינן מטמאים בגדים עד שיצאו יצאו אלו ואלו מטמאים בגדים רבי שמעון אומר לאו

אלו ואלו אינן מטמאים' בגדים עד שיצת האור ברובן ניתך הבשר אין השורף מטמא בגדים *Exportarunt illos vestibus. Si priores egressi sunt extra murum atrii & posteriores nondum egressi sunt, tum priores polluunt vestes suas, posteriores vero non polluunt, donec & hi egressi sunt. Si vero & illi & hi egressi sunt, polluunt omnes vestes suas. R. Schimeon vero dixit: Priores & posteriores non polluunt vestes, donec accensus est ignis in maxima eorum parte. Si caro discissa* vel vi ignis soluta, *tum ille, qui comburit, vestes non maculat.* Subtilitatem hanc mitto & progredior

§. 410. Ad alterum officium: *Et lavabit carnem suam aquis.* Convenit cum §. 394. Alia non est differentia, quam quod hoc loco medium lotionis exprimatur, *aquis.* Quare statim transeo

§. 411. Ad copiam intrandi castra, quæ nascitur ex officiis præstitis: *Et postea sic intrabit in castra.* Vid. quoque §. 396.

§. 412. Porismata è v. 28.

I. Repetenda sunt II. III. IV. V. v. 26.

II. *Illi ipsi, qui sacris operam dant & aliorum sanctificationi student, se inquinant & lotione indigent.* Quanto magis, qui mundana tractant?

§. 413. Verba, quæ immediate sequuntur: והיתה לכם לחקת עולם *Et erit vobis statutum seculare*, quæque communiter leguntur ab initio v. 29. commode annectuntur calci v. 28. & constituunt finem officiorum pontificalium, indicantque durationem, ut ex dicendis constabit.

§. 414. Vox חקה frequenter adhibetur de statutis ceremonialibus, solennitatibus annuis, ut festo Paschatis Exod. XII. 14. distinguitur à מצוה *Lege morali* & משפט *forensi.* v. Deut. VI. 1. VII. 11. Quo sensu hic accipitur pro libero Numinis Decreto Israeli dato de annua expiatione præstanda. Non est statutum in natura Dei vel hominis fundatum. Unde per tot secula antecedentia non erat mandatum. Nec ejus observatio simpliciter erit æterna.

§. 415. Quando igitur additur *statutum* עולם pro materia substrata vocabulum עולם exponendum erit. Vulgatus vertit *legitimum*

mum sempiternum. Malo cum LXX. νόμιμον αἰώνιον, *jus seculare,* quod per seculum durat. Ἀιὼν enim sempiternitatem vel absolutam æternitatem per se non notat. Alias sacræ literæ non mentionem facerent αἰώνων *seculorum, seculorum seculorum* &c. Matth. VI. 13. Gal. I. 5. Apoc. XIV. 3. Si vero adhibetur de seculo absque fine, id arcessendum à natura subjecti, vel aliis circumstantiis, non vi vocis. Eadem ratio vocabuli עולם Exod. XXI. 6. Quod quidem communiter in singulari exstat, attamen etiam pluralem habet 1. Reg. VIII. 13. Qui in scriptis Ecclesiæ Judaicæ post captivitatem Babylonicam frequentissimus est, ad eximendum ex animis errorem Sadducæorum, qui secula futura negaverant. Nota quoque est Judæorum distinctio in עולם הזה *seculum præsens* & עולם הבא *seculum futurum*, quod, *Buxtorfio notante in Lex. Talmud.* varie accipitur pro mundo futuro post resurrectionem mortuorum, vel ימות משיח *diebus Messiæ.* Certissimum est in Textu nostro non posse absolutam æternitatem intelligi. Vel an usus hujus statuti etiam erit in altera vita? An tum adhuc expiatio per sanguinem juvencorum locum habebit? Certe non, ipsis Judæis fatentibus. Ergo intelligendum statutum seculare cultus ceremonialis, quo Δικαιώματα σαρκὸς valent. Seculum, quod antecedit *seculum futurum* sive *dies Messiæ*, sub quo expiatio Aharonica stare nequit. Ne prolixus sim, vel exinde luculento constat. In diebus Messiæ cultus erit per universum orbem. Etiam gentiles ei servient Malach. I. 11. Jam vero Dies Expiationis celebrandus erat una die, decima tisri. Si incipit decima tisri Hierosolymis, in locis remotissimis vel nondum est, vel jam præteriit. Tempus vero, quod incipit sub œconomia Mosaica & desinit in œconomia Novi Testamenti, recte dicitur עולם *seculare*, ceu satis longum, absconditum. Quo etiam commode refertur לכם *vobis*, populo Israel, non omni genti, εὐκαίρως vocandæ ad regnum Messiæ.

§. 416. Quæritur: An verba hæc: *Et erit vobis statutum seculi* referenda ad expiationem, de qua in antecedentibus? Hoc modo accipit Aben Esra, accipit quoque Syrus q. d. Quæ de annua solenni expiatione præcepi, sunt probe observanda in seculum. Vel an pertineant ad sequentia communia officia. In seculum jejunabitis & cessabitis à labore communi Die Expiationis, uti accipiunt

Luthe-

Lutherus, Tigurini. Quæstio haud magni momenti. Aliunde vero constat, quod tum expiatio annua, tum communia hæc officia in seculum sint observanda v. 30. 34. Ordo tamen videtur convenientior, si Aben Esram sequimur. Scil. Lege de expiatione finita præcipitur: *Et erit vobis statutum seculi*, quod præcepi. Tum Lege de communibus hujus diei officiis absoluta rursum præcipitur. *Statutum seculi sit.* Qua explicatione probata hæc verba ponenda essent ad calcem v. 28. vice versa novum nunc inciperet comma 29.

§. 417. Parte II. hujus capitis absoluta nunc incipit III. quæ præscribit officia hac in solennitate totius Israelis communia in verbis בחדש השביעי בעשור לחודש תענו את נפשתיכם וכל מלאכה לא תעשו האזרח והגר הגר בתוככם *Mense septimo, decima mensis hujus* (die) *affligetis animas vestras & nullum prorsus opus facietis; Indigena & Proselytus, qui inter vos peregrinatur.*

§. 418. Tempus solennitatis hujus curate determinatur ratione mensis & diei. *Mense septimo, decima mensis hujus* (die). Solennitas ergo incidit in mensem septimum, scil. Anni ecclesiastici, noviter sub œconomia Mosaica introducti Exod. XII. 2. sine dubio alia superiori tempore obtinebat æra & ratio menses metiendi. Constans est gentis Judaicæ Traditio, *mundum esse in tisri conditum.* Tisri erat ergo primus mensis à mundo condito, qui nunc septimus. Traditio hæc fulcitur Testimoniis Mosis Exod. XXIII. 16. XXXIV. 22. vel quare alias Festum Tabernaculorum בצאת השנה *in exitu anni*, quando annus exiverat vel tempore תקופת השנה *revolutionis anni* sisteretur? Non aliam novi rationem, quam quod olim tisri primus habitus fuerit mensis. In hoc vero mense agendum erat Festum Tabernaculorum.

§. 419. Et quidem in *decima* (die) *hujus mensis.* Illa ipsa dies notatur Lev. XXIII. 27. *Verum* בעשור *in decima mensis septimi erit Dies Expiationum.* conf. Num. XXIX. 7. Quantum scio vulgo conveniunt omnes Judæi & Christiani hoc in tempore. Valde igitur miratus sum Christianum Gottlieb König in seiner Weissagung Mosis in den letztern scripsisse: Ja dieß ist endlich das Gegenbild der zweyen Ziegen-Böcklein, Lev. XVI. 7. 8. die auf dem grossen Versöhn-Fest, welches am 9ten Tag des siebenden Monats

angiengt. Ruit ergo myſterium in arithmetica ejus ſacra, quod fundatum in falſo numero. Dies expiationum exordium ſumſerat die decima, non nona.

§. 420. Quæritur, quæ ſit ratio decimæ diei in menſe ſeptimo ſelectæ, ut in eo Iſrael ſolenniter expiaretur. Sine dubio Deus ſapientiſſimus cuncta ordinat ἐυκαίρως. Menſis hic præ aliis omnibus ſolennitatibus illuſtris erat. Antecedebat feſtum novi anni, ſequebatur feſtum Tabernaculorum; In medio incidit *Dies Expiationum.* Nullam rationis ſpeciem præ ſe fert ratio, quam Elias Ben Moſche dat: *Ego puto hunc diem à Deo eſſe dicatum expiationi peccatorum, quod appropinquet ad initium Hyemis. v. Mayerum de Feſtis* p. 327. *Abarbanel in Comment.* ad Lev. XXIII. pag. 265. I. quatuor memorat rationes; Ex his prima מפני כי בתשרי נברא העולם כדברי רבי אליעזר וקבלו חז"ל שביום העשירי ממנו עשה אדם הראשון תשובה מחטאו וביום ההוא נתכפר כיעם היות שלא הושב לג"ע הנה נתרצה לפני האלהים והנחילו חיי העולם הבא ולכן חוקבע היום הזה עת רצון לבני ישראל כשישובו אל י"י ויעשו כמעשהו שירוחמו מן השמים *Quia in tiſri mundus eſt conditus juxta verba Rabbi Slieſer. Sapientes noſtri acceperunt Adamum primum reſipiſcentiam egiſſe à peccato ſuo die decima, eademque die fuiſſe expiatum. Quamvis enim non ſit reductus in Paradiſum, ecce reconciliatus fuit coram Deo & hæreditate conſecutus eſt vitam futuri ſeculi. Et hæc eſt ratio, quod hic dies determinatus ſit, ceu tempus beneplaciti Filiis Iſrael, qui, quando revertuntur ad Deum & agunt juxta exemplum Adami, miſericordiam ex cælo reportant.* Altera hæc eſt קבלו חז"ל שאברהם אבינו נימול ב"יה ומפני אותו ברית נתקדשו בניו העושים כמעשהו לעבודת האל יתברך ברבוקו *Sapientes noſtri acceperunt, Abrahamum Patrem noſtrum Die Expiationis fuiſſe circumciſum. Hoc vero ob fœdus filii ejus imitantes facta Patris colendo Deum* ἐυλογητὸν *adhærendo ei ſanctificati erant.* Tertia vero מה שאמרו גם כן בפרקי רבי אליעזר שבר"ח אלול עלה משה להר לקבל רוחות שניות וישב שם מ' יום ומ' לילה ונשלמו ב"ית ולכן נשאר היום ההוא יום סליחה וכפרה כמו שבו נתכפר לישראל עון עגל *Ob id, quod etiam dixerant in capitibus R. Elieſer, quod ab initio menſis Elul Moſes in mon-*

teus

tem ascenderit ad accipiendum Tabulas secundas, qui manserat ibi XL. dies & XL. noctes; Hi vero Die Expiationis ad finem pervenerunt. Hinc dies hic reliquus est, ceu dies remissionis & expiationis. Quemadmodum hoc die expiatum est peccatum μοσχοδουλείας *Israelis.* Sed quarta שביום הזה ישב משה בנקרת הצור וראה את כבוד י״י עובר ולמדו הקדוש ברוך הוא י״ג מדות של רחמים ומשם קנה היום ההוא קדושה להיות יום תשובה ודוי סליחה וכפרה וזכרון המדות ההמה לכפר לפושעי ישראל השבים כמו ששב אדם הראשון והדבקים באלהים *Quod Moses hoc die sederit in cavitate Petræ Exod. XXXII. 22. videritque gloriam Dei transeuntis: Quo Deus sanctus benedictus eum XIII. proprietates misericordiarum docuerat. Hinc dies hic acceperat sanctitatem, ut esset dies resipiscentiæ, confessionis, condonationis & expiationis ac Memoriale XIII. memoratarum proprietatum ad expiandum peccatores Israelis revertentes (quemadmodum Adam primus reversus erat) & adhærentes Deo.*

§. 421. Nulla ex allatis rationibus stringit. *Non prima.* Unde certus sum Adamum die tisri decima & peccasse & resipuisse. Non ex sacris, quæ hanc diem non determinant. Non ex certis monumentis, vel quæ illa? Unde de certitudine certi? Ipsi Judæi certum, quod referunt, non habent. In capitibus *R. Elieseris* contrarium lego; scil. Adamum hora decima illa die, qua creatus erat, peccasse, & jam duodecima expulsum fuisse. v. Cap. XI. p. 24. *ex Editione H. G. Vorstii*, qui p. 162. insuper observat ipsos Judæos in insomniis suis variare. Alias fateor, si certo constaret dies hic resipiscentiæ ab Adamo actæ, valde propenderem ad calculum primæ huic rationi addendum. *Non secunda.* Deest monumentum historicum. Deest quoque vel probabilitas ratiocinandi. Quæ ratio? Abraham circumcisus est Die Expiationis X. Ergo eadem die solennitas Expiationis præcepta erat. *Tertia* vero & *quarta* magis arrident. Ut enim peccatum filiorum Aharon occasio interdicti de sanctissimo non semper intrando, sic expiatio peccati majorem ansam dedit figendi solennem expiationem hac in die. Quæstio tantum est, an Moses tribus vicibus per XL. dies noctesque in monte fuerit, an duabus tantum. Posterius pluribus Judæis placet, & ex Christianis *Eruditiss. Joh. Meyero* existimanti, quod tempus descensus finitum die tisri decima, qua populus Israel de Deo gratioso

rursum convictus erat. In cujus itaque memoriam dies hæc solenniter destinabatur. v. *Tr. de Festis* C. I. 19. & C. XI. 18.

§. 422. Officia hac die præstanda enumerantur duo: *Affligetis animas vestras & nullum prorsus opus facietis.* Priora restricta ad Pontificem proponebantur. Quædam etiam ad certas & paucas personas, sed hæc ad omnes, etiam Proselytos, ut ultimum commatis membrum diserte præcipit.

§. 423. Primum ex his est *afflictio animarum.* Id quod affligendum, dicitur נפש. Generatim notat *animam*, speciatim *appetentem*, qua bona, grata, suavia appetuntur, ut Eccl. VI. 2. *non quidquam deest* לנפשו מכל אשר יתאוה *pro anima sua de omni, quod appetet.* Psal. LXXVIII. 18. *Petendo cibum* לנפשם *pro animabus suis.* Jes. LV. 2. *Comedetis bonum & deliciabitur in pinguedine* נפשכם *anima vestra.* Quæ notio hoc loco commoda est.

§. 424. Ipsum officium est *affligere animas*, denegando ea, quæ concupiscentiæ accepta sunt, agendo, quæ ingrata. Dicitur de jejunio sive abstinentia à cibo & potu Psal. XXXV. 13. *Afflixi jejunio animam meam.* Jes. LVIII. 10. *Et animam* נענה *saturabis.* Recte saturari dicitur anima, quæ antea jejunio & penuria cibi erat afflicta. Aben Esra hinc notavit אחר שהכתוב אומ׳ ותתענג בדשן נפשכם ידענו כי הענוי הפך התענג והוא הצום *Quia scriptura* (Jes. LV. 2.) *dicit*, anima vestra deliciabitur in pinguedine, *colligimus*, *quod* ענוי *afflictio notat contrarium deliciis. Hoc vero est jejunium.* Nollem tamen cum hoc Magistro restringere ad solum jejunium, licet communior afflictionum species recte habeatur. Unde dies hic in sacris audit νηστεία *jejunium* Act. XXVII. 9. Castellio quidem conjicit legendum esse νηνεμία *tranquillitas ventorum.* At contra omnem codicum fidem. Consilium quoque Pauli erat prudens. Dies jejunii enim, ut ex supra dictis constat, inciderat in diem decimam tisri circa finem Septembris nostri, quando nautæ navigationem periculosam ducunt ob mare procellosum. Recte Syrus vertit יומא דצומא דיהודיא *dies jejunii Judæorum.*

§. 425. Extendo vero afflictionem animarum ad alias etiam species, sequentes ob rationes: *Prima.* Lex generalis; *Affligetis animas vestras.* Ergo recte generaliter accipitur. Non solum jejunium ani-

animam affligit, affligunt plura alia, tum physica, tum spiritualia & moralia. Hæc præcipua sunt, quibus Spiritus sapiens delectatur. veluti scrutinium vitæ & collatio cum Lege divina, maxime spiritualiter intellecta, ceu quæ convincunt de plurimis, variis, gravibus peccatis. Monstrat maledictionem & judicia divina. Operatur λύπην *tristitiam secundum Deum* 2. Cor. VII. 10. Eodem faciunt erogationes eleemosynarum, auxilia erga pauperes, qualia homo non sine afflictione animæ appetentis communiter suscipit; Unde Deus, optimus interpres Legis à populo suo non tam postulat physicam, quam spiritualem, moralem afflictionem Jes. LVIII. *Secunda.* Si vocabulum ענה simpliciter notaret *jejunare*, tum non necessarium esset addere *jejunium* Psal. XXXV. 3. Ergo jejunium una tantum est ex pluribus speciebus animam affligentibus. Probabiliter legislator alias clare dixisset: *Nolite edere, bibere.* *Tertia.* Ipsa Ecclesia Judaica ultra extendit. Hinc in *Tract. Joma* Cap. VIII. 1. יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה *Die Expiationis vetita sunt*, quæ sequuntur: *Cibus, potus, lotio, unctio; Inductio calcei & ministerium lecti.* Conveniunt, quæ in Paraphrasi *Jonathanis Ben Uziel* extant, nisi quod hæc pro lotione interdicat *usu Balneorum.* Hæc satis comode se habent. Etenim affligentes in sacris sistuntur *jejunantes* Psal. XXXV. 3. *Unctionem, lotionem omittentes* 2. Sam. XII. 20. 21. Dan. X. 3. (quod illustratur ex Matth. VI. 17. *Tu vero jejunans unge caput tuum & lava faciem tuam*) *usum calceorum* 2. Sam. XV. 30. *cohabitationem cum uxoribus* 2. Sam. XI. 11. Uti hæc aliaque animæ appetenti accepta sunt, sic affligit eorum omissio. *Quarta.* Plures versiones notionem generalem probant. LXX. ταπεινώσατε. Vulg. *affligetis.* Jun. *affligitote* & aliæ. Lutherus sine causa specialiorem præfert: Ihr sollt euern Leib casteyen.

§. 426. Alterum: *Nullum prorsus opus facietis.* מלאכה quando de homine prædicatur, notat quemvis laborem, quem in functione sua usus & lucri causa suscipit & agit. Lev. XXIII. 3. *sex diebus facietis* מלאכה *opus.* Quilibet pro statu & vocatione sua hoc vel illud molitur, operatur. Hinc dicitur de *operibus fabrorum* 1. Chron. XXIX. 5. speciatim *artificiosis* Exod. XXXV. 33. 35. Quando vero Dies Expiationis jura Sabbathi habuerat, Israelis erat cessare ab omni

omni labore communi. Minime quod Deus honoretur aut capiatur hominum otio, ſed cultus ſine diſtractione teſtandi gratia. Opus commune enim diſtrahit mentem, cultus vero hac die, quantum poſſibile, optimus præſtandus erat. Recte Abarbanel אסור מלאכה שכל מלאכה לא יעשו ביום הזה כי להיותו יום מיוחד למלאכת השמים ועבודת הקדש שאין ראוי שיעשה בו שום מלאכה אחרת שיהיו בו טרודים אלא שתהיינ׳ כל מחשבותיהם פנויות לתשובה ולתחנה ולבקשת הכפרה והסליחה כי איך יעשה מלאכה ביום ההוא מי שחייו תלוים מנגד ולא ידע אם יכתב לחיים או למיתה *Labor prohibebatur. Nullum hoc die opus agendum erat, utpote conſecratus is erat operibus cœli & cultui ſacro. Non enim convenerat, ut aliud ageretur opus, quam vacare meditationibus, quæ ad reſipiſcentiam, ſupplicationem, obſecrationem expiationis & condonationem facerent. Vel quomodo ſuſcipiundum opus, quo tempore vita hominis quaſi ſuſpenſa fuerat, neſciveratque, num ad vitam vel ad mortem ſcribendus ſit.* v. *Comment. in Pent.* f. CCLIII. 2.

§. 427. Licita tamen erant *primo* opera ſacra Lege divina ad hunc diem adſtricta, qualia plures moleſti labores Pontificis, deductio hirci in deſertum, exportatio & combuſtio juvenci & hirci extra caſtra. Qui ceſſationem à labore Die Expiationis præcepit, præcepit quoque memoratos labores. Liciti ergo erant. Valet & hic dictum Domini Sabbathi: *Annon legiſtis in Lege, quod Sacerdotes diebus Sabbathicis* βεβηλοῦσι *profanent Sabbathum, & tamen inſontes ſunt.* Matth. XII. 5. Dicuntur Sacerdotes *Sabbathum profanare*, non quod revera profanent, ſed quia ea agunt, quæ, ſi ab aliis citra mandatum Numinis agerentur, Sabbathum profanarent. Simile acumen in dictione Kimchii ad Jos. VI. 11. מי שצוה על השבת צוה לחלל שבת *Qui præcepit Sabbathum* ſanctificare, *is etiam præcepit Sabbathum profanare. Secundo* opera ſuſcipiunda ad juvandum in periculo vitæ exiſtentes, etiam in caſu dubio. Unde *Tr. Joma* C. VIII. 7. מי שנפלה עליו מפולת ספק הוא שם ספק אינו שם ספק חי ספק מת ספק נכרי ספק ישראל מפקחין עליו את הגל מצאוהו חי מפקחין עליו ואם מת יניחוהו Ex ordinaria verſione: *Si quem ruderum moles obruat; Sive dubitatur, an ibi ſit, ſive dubitatur, an ibi non ſit, ſive dubitatur,*

tatur, an vivus sit, sive dubitatur, an mortuus sit, sive dubitatur, an extraneus sit sive dubitatur, an Israelita sit, aperiunt ei cumulum. Si vivum invenerint, in quo adhuc halitus, aperiunt ei, si mortuum (sine halitu) *relinquunt.* Recte. Nam præcepta Numinis non data sunt ad mortem, sed ad vitam, &, ut Doctor cœlestis ait: *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum.* Marc. II. 27. Si quis plura nosse desideraret de iis, quæ Sabbathum in genere pellunt, legat *Hasenmulleri Dissert. de operibus Sabbathum depellentibus.*

§. 428. Subjectum officiorum communium sunt *Indigena & peregrinus, qui peregrinatur in medio vestrum.* Prius האזרח vulgo & recte vertitur *indigena.* LXX. αὐτόχθων, aliquando ἐγχώριος, qui ortus in populo Israel, adeoque nativitate, educatione & professione Israelita. Clarissime constat, quia sæpissime distinguitur à גר *peregrino*, qui ex alia terra & populo ad terram & populum Israel advenit, unde LXX. προσήλυτος *Proselytus.* Quod insuper confirmatur verbis, quæ sequuntur: *Qui peregrinatur in medio vestrum*, non est אזרח הארץ *ortus ex terra* vestra Exod. XII. 19. Posterioris mentio faciunda erat diserta. Nam jura Proselytorum & indigenarum non in omnibus paria, majora indigenarum, quam Proselytorum, maxime in iis, quæ externa spectaverant. Igitur lex Mosaica haud raro in causis Religionis discrimen tollit Exod. XII. 49. Lev. XVII. 8. 13. ut & hic.

§. 429. Verum Proselyti erant duum generum, *Justitiæ & Domicilii.* Quæritur igitur, num hi & illi vel illi tantum hæc ad officia adstricti fuerint. Resp. Judæi posterius probant. Et recte. *Proselyti Justitiæ soli Judæi* facti sunt. Hinc cum Judæis ad eundem Religionis cultum obligabantur. *Proselyti domicilii* incircumcisi erant & subjecti nonnisi VII. Præceptis Noachi, quæ cum Lege Mosaica stricte sic dicta nihil commune habent. Hi non crediderunt præcepta divina de expiatione peccatorum per sacrificia piacularia. Cui usui ergo observatio Diei Expiationum? Quæ ratio affligendi animas vel cessandi à labore? Quanquam certum posteriores Reipublicæ Hebræorum subjectos sanctissimo hoc tempore ab omni labore, qui scandalum dedisset, abstinere debuisse. V. Etiam *Goodw. & Notas meas* Lib. I. C. III.

§. 430. Priusquam porismata hoc ex commate formo, subnectam ex Mischna personas, quæ habentur immunes ab afflictione animarum. Et primo juxta Eleasarum sunt Rex & Sponsa. *Joma* C. VIII. 1. המלך והכלה ירחצו את פניהם *Rex & Sponsa lavant facies suas.* Ille, ut formosus populo; Hæc, ut pulchra Sponso placeat. Tempus Sponsæ ad XXX. Dies post nuptias restringebatur. Dein excipitur *puerpera*, quæ jus habet calceos per XXX. dies post puerperium induendi, ne ex frigore damnum capiat. l. cit. Porro *uxor pica laborans* Tr. cit. §. 5. עברה שהריחה מאכילין אותה עד שתשוב נפשה *Prægnanti mulieri cibos porrigunt, donec redierit anima ejus;* Glossatoribus observantibus, quod alias in periculum vitæ adducantur & gravida & fœtus. Mirum, quod sapientes concedant, illi quoque carnem porcinam esse dandam, si appetiverit. Præterea ægrotus חולה מאכילין אותו על פי בקיאין ואם אין שם בקיאין מאכילין אותו על פי עצמו עד שיאמר די *Ægroto cibos dant ex ore peritorum, si non sint ibi periti, ex ore sui ipsius, donec dixerit: satis est.* Porro מי שאחזו בולמוס מאכילין אותו אפילו דברים טמאים עד שיאירו עיניו *Appetitu canino laboranti cibos suppeditant, etiam de rebus immundis,* ut animalibus immundis, *donec illuminentur oculi ejus* in signum restitutæ sanitatis Tr. & Cap. cit. §. 6. ubi statim additur מי שנשכו כלב שטה אין מאכילין אותו מחצר כבד שלו *Si quem mordet canis furiosus, non dant ei de reticulo jecoris.* Dant ei omnino medicamenta naturalia probata. Quando vero *reticulum jecoris* tale vulgo non habetur, nonnisi à quibusdam *secretum*, sapientes judicant ob ejusmodi medicamentum haud recte præceptum violari, licet ita R. Mathia Fil. Charasi opinetur. Hic ipse Magister existimat החושש בגרונו מטילין לו סם בתוך פיו מפני שהוא ספק נפשות וכל ספק נפשות דוחה את השבת *Si quis gutture dolet, pharmacum ei in Sabbatho administrant, quia est dubium vitæ. Omne vero dubium vitæ Sabbathum pellit.* l. cit. Dies autem expiationis jura Sabbathi habuerat. Ultimo etiam liberi habentur pueri juxta *Tr. Joma* Cap. VII. 4. התינקות אין מענין אותן ביום הכפורים אבל מחנכין אותם לפני שנה ולפני שנתים בשביל שרגילין במצות *Pueros Die Expiationis non affligunt. Attamen incitant*

anno

anno uno aut duobus (antequam habentur *filii præceptorum*) *ut præceptis assuescant.*

§. 431. Officia memorata juxta Legem ab omnibus curate erant observanda. Traditionarii hinc inquirunt, tum in limites, tum in pœnam, quam transgressores sibi accersiverant, Lege divina hæc haud determinante. De limitibus hac in thesi; De pœna in sequente agemus. האוכל ככותבת הגסה כמוה וכגרעינתה והשותה מלא לוגמיו חייב כל האוכלין מצטרפין לככתבת וכל המשקין מצטרפין למלא לוגמיו האוכל ושותה אין מצטרפין *Qui edit mensuram dactyli crassi, cum grano suo, & qui bibit, quantum maxillis continetur, reus est. Cibi omnes conjunguntur, ut constituant mensuram dactyli crassi & potus omnes conjunguntur, ut constituant quantum maxillis contineri potest: Edens & bibens non conjunguntur. Tr. Joma* Cap. VIII. 2. Solent alias mensuram cibi vetiti olivæ quantitate terminare, sed Die Expiationis pro mensura habent dactylum crassum, quoniam diserte comestio non vetatur. Magistri non existimant vel minimum edendum aut bibendum esse, verum pœnam tum nonnisi infligi, quando juxta memoratam mensuram vel editur vel bibitur.

§. 432. Pœnam quod attinet, alia est quoad edentes & bibentes, alia vero quoad reliquas nominatas species. Si Maimonidem sequimur illa est *excidium* ob Lev. XXIII. 30. At hæc *percussio* ob contumaciam flagellatione, quæ ad XXXIX. ictus restringi solet, gravior. v. *Maimon. ad Mischnam cit.*

§. 433. Lucem dat §. 3. Tract. & Cap. cit. אכל ושתה בהעלם אחת אינו חייב אלא חטאת אחת אכל ועשה מלאכה חייב שתי חטאות אכל אוכלין שאינו ראוין לאכלה ושתה משקין שאינן ראוין לשתייה ושתה ציר או מורייס פטור *Qui semel inscius edit & bibit, uno tantum tenetur sacrificio pro peccato. Qui vero edit & opus agit, duobus. Qui edit cibos, qui non solent edi vel bibit potus, qui non solent bibi, & qui haurit liquamen salsum vel muriam, liber est.*

§. 434. Porismata è v. 29.

I. *Sapientissimum Numen facit omnia* בעת *tempore opportuno* Eccles. III. *Καιϱοῖς ἰδίοις temporibus propriis* 1. Tim. II. 6. Expiatio typica an-

§. 430. Priusquam porismata hoc ex commate formo, subnectam ex Mischna personas, quæ habentur immunes ab afflictione animarum. Et primo juxta Eleasarum sunt Rex & Sponsa. *Joma* C. VIII. 1. המלך והכלה ירחצו את פניהם *Rex & Sponsa lavant facies suas.* Ille, ut formosus populo; Hæc, ut pulchra Sponso placeat. Tempus Sponsæ ad XXX. Dies post nuptias restringebatur. Dein excipitur *puerpera*, quæ jus habet calceos per XXX. dies post puerperium induendi, ne ex frigore damnum capiat. l. cit. Porro *uxor pica laborans* Tr. cit. §. 5. עברה שהריחה מאכילין אותה עד שתשוב נפשה *Prægnanti mulieri cibos porrigunt, donec redierit anima ejus;* Glossatoribus observantibus, quod alias in periculum vitæ adducantur & gravida & fœtus. Mirum, quod sapientes concedant, illi quoque carnem porcinam esse dandam, si appetiverit. Præterea ægrotus חולה מאכילין אותו על פי בקיאין ואם אין שם בקיאין מאכילין אותו על פי עצמו עד שיאמר די *Ægroto cibos dant ex ore peritorum, si non sint ibi periti, ex ore sui ipsius, donec dixerit: satis est.* Porro מי שאחזו בולמוס מאכילין אותו אפילו דברים טמאים עד שיאורו עיניו *Appetitu canino laboranti cibos suppeditant, etiam de rebus immundis*, ut animalibus immundis, *donec illuminentur oculi ejus* in signum restitutæ sanitatis Tr. & Cap. cit. §. 6. ubi statim additur מי שנשכו כלב שוטה אין מאכילין אותו מחצר כבד שלו *Si quem mordet canis furiosus, non dant ei de reticulo jecoris.* Dant ei omnino medicamenta naturalia probata. Quando vero *reticulum jecoris* tale vulgo non habetur, nonnisi à quibusdam *secretum*, sapientes judicant ob ejusmodi medicamentum haud recte præceptum violari, licet ita R. Mathia Fil. Charasi opinetur. Hic ipse Magister existimat החושש בגרונו מטילין לו סם בתוך פיו מפני שהוא ספק נפשות וכל ספק נפשות דוחה את השבת *Si quis gutture dolet, pharmacum ei in Sabbatho administrant, quia est dubium vitæ. Omne vero dubium vitæ Sabbathum pellit.* l. cit. Dies autem expiationis jura Sabbathi habuerat. Ultimo etiam liberi habentur pueri juxta *Tr. Joma* Cap. VII. 4. התינקות אין מענין אותן ביום הכפורים אבל מחנכין אותם לפני שנה ולפני שנתים בשביל שרגילין במצות *Pueros Die Expiationis non affligunt. Attamen incitant*

anno

anno uno aut duobus (antequam habentur *filii præceptorum*) *ut præceptis assuescant.*

§. 431. Officia memorata juxta Legem ab omnibus curate erant obſervanda. Traditionarii hinc inquirunt, tum in limites, tum in pœnam, quam transgreſſores ſibi accerſiverant, Lege divina hæc haud determinante. De limitibus hac in theſi; De pœna in ſequente agemus. האוכל ככותבת הגסה כמוה וכגרעינתה והשותה מלא לוגמיו חייב כל האוכלין מצטרפין לככתבת וכל המשקין מצטרפין למלא לוגמיו האוכל ושותה אין מצטרפין *Qui edit menſuram dactyli craſſi, cum grano ſuo, & qui bibit, quantum maxillis continetur, reus eſt. Cibi omnes conjunguntur, ut conſtituant menſuram dactyli craſſi & potus omnes conjunguntur, ut conſtituant quantum maxillis contineri poteſt: Edens & bibens non conjunguntur. Tr. Joma* Cap. VIII. 2. Solent alias menſuram cibi vetiti olivæ quantitate terminare, ſed Die Expiationis pro menſura habent dactylum craſſum, quoniam diſerte comeſtio non vetatur. Magiſtri non exiſtimant vel minimum edendum aut bibendum eſſe, verum pœnam tum nonniſi infligi, quando juxta memoratam menſuram vel editur vel bibitur.

§. 432. Pœnam quod attinet, alia eſt quoad edentes & bibentes, alia vero quoad reliquas nominatas ſpecies. Si Maimonidem ſequimur illa eſt *excidium* ob Lev. XXIII. 30. At hæc *percuſſio* ob contumaciam flagellatione, quæ ad XXXIX. ictus reſtringi ſolet, gravior. v. *Maimon. ad Miſchnam cit.*

§. 433. Lucem dat §. 3. Tract. & Cap. cit. אכל ושתה בהעלם אחת אינו חייב אלא חטאת אחת אכל ועשה מלאכה חייב שתי חטאות אכל אוכלין שאינו ראוין לאכלה ושתה משקין שאינן ראוין לשתייה ושתה ציר או מריים פטור *Qui ſemel inſcius edit & bibit, uno tantum tenetur ſacrificio pro peccato. Qui vero edit & opus agit, duobus. Qui edit cibos, qui non ſolent edi vel bibit potus, qui non ſolent bibi, & qui haurit liquamen ſalſum vel muriam, liber eſt.*

§. 434. Poriſmata è v. 29.

I. *Sapientiſſimum Numen facit omnia* בעת *tempore opportuno* Eccles. III. Καιροῖς ἰδίοις *temporibus propriis* 1. Tim. II. 6. Expiatio typica an-

nua definiebatur τῷ עולם *seculo* œconomiæ Mosaicæ usque ad tempus Διορθώσεως *correctionis* Hebr. IX. 10. Recte. Umbra cessat corpore præsente. Qui nunc expiationem typicam quærit, contemnit veram.

II. *Israel toto quidem anno veniam peccatorum quærebat, inveniebat. At unicus hic dies ἐν ἐμφάσει erat dies* כפרים *expiationum* Lev. XXIII. 27. cujus antitypus indicatur Zach. III. 9. *Amovebo perversitatem terræ hujus* ביום אחד *die uno.*

III. *Si vera esset Judæorum Traditio de die, quo Adamus peccaverat, quo quoque peccatum ejus expiatum erat* §. 420. 421. *novum illustre exstaret monumentum lusus providentiæ gratiosæ.*

IV. *Quanquam expiatio peccatorum per peccatorem neque fiat, neque fieri queat, nihilominus peccatoris est eam ἀξίως quærere, complecti, tueri.* Israelita, qui Diem Expiationis carnaliter vivendo, labori communi vacando, transegerat, nullam habuerat spem remissionis peccatorum. Unde

V. *Remissio peccatorum, quam sanguini expiatorio debemus, humili mente, animo cultui divino consecrato petenda est.*

VI. *Illa demum est vera & rationalis coram Deo se deprimendi ratio, quæ omnem appetitum carnis cohibet.* Sapienter hinc dicitur *afflictio animæ.* A qua recedit abstinentia à solo carne animalium, non piscium delicatorum, aliarumque cupediarum, non ab haustu vini & tot aliis carnem titillantibus. *Ita anima deliciatur, non affligitur.*

VII. *Sapiens & sanctus Deus Israelem V. Testamenti sub jugo viventem unico die per integrum annum ad animam affligendam adstrinxerat. Quo nunc jure Israel Novi Testamenti libertate donatus obligatur & cogitur ad toties jejunandum, singulis septimanis, mensibus, XL. diebus?* Libera præ serva jugo non solum gravissimo, sed quod prorsus portari nequit, à duris servis premitur. Vel quis per XL. dies jejunare valet?

VIII. *Ecclesia N. Testamenti libera est à jejunio communi ex præcepto divino quod solum conscientiam ligat.* Filii nuptiarum non possunt lugere, quam diu sponsus cum illis est Matth. IX. 15.

IX. *Pro-*

IX. *Probandi tamen ſunt quam maxime illi, qui ſponſo ablato, rebus propriis vel Eccleſiæ communibus triſtibus moti libero animo ſe coram Patre cæleſti privatim deprimunt, affligunt, aut publice cum Eccleſia.*

X. *Negotia privata, mundana mentis vires diſtrahunt, quo minus cultus Deo conſecratus absque diſtractione præſtari queat. Quare quando fideles N. Teſtamenti non minus ac Veteris certum aliquod tempus cultui divino conſecrare tenentur, eorum eſt abſtinere à propriis laboribus.* Vel an Iſrael N. Teſtamenti non ita præſtantem λατρείαν Deo debet? Nemo aſſeverabit.

XI. *Jam Eccleſia Veteris Teſtamenti conſtabat ex Judæis & Gentibus adventitiis. Indigena & Proſelytus: Sub vetere gentiles accedendi licentiam habuerant. Sed ſub novo per Legatos ad communionem Eccleſiæ vocantur.*

XII. *In ſubſtantia Religionis divinæ & communibus officiis non datur diſcrimen inter membra Eccleſiæ, originaria & adventitia.* Ille, qui deſiderat expiationem peccatorum, tenetur ad reſipiſcentiam, cultum Deo præſtandum & fidem.

§. 435. Subjicitur officiorum communium ratio, confirmatio & duratio his verbis: כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני יהוה תטהרו שבת שבתון היא לכם ועניתם את נפשתיכם חוקת עולם *Nam in die illa expiabit vos ad mundandum vos; Ab omnibus peccatis veſtris coram Deo mundabimini. Sabbathum Sabbathi hæc vobis & affligetis animas veſtras. Statutum ſeculare.* v. 30.

§. 436. Officia, de quibus v. 29. ſatis moleſta, maxime animarum afflictio. Quare legislator populum compulſurus rationem profert validam. *Nam in die illa expiabit vos.* Expiatio vero ingens eſt beneficium. Sine expiatione nulla ſpes gratiæ & auxilii divini. Peccata juxta Legem cauſantur maledictionem & mortem. Cujus ſit expiare, lex diſerte h. l. non ait. Quare alii *Deum* ſubintelligunt, uti *Abarbanel.* Alii Sacerdotem, uti *Aben Eſra.* Rurſum alii imperſonaliter vertunt cum Vulgato: *In hac Die Expiatio erit veſtri.* Difficultas haud magni momenti. Idem promittitur beneficium. Deus vero expiat Pſal. LXV. 4. *Tu expiabis* prævaricationes noſtras conf. Pſal. CXXX. 4. Sacerdos expiaverat nomine & mandato Numinis. Sacerdoti expiatio hoc in capite attribuitur v. 11. 16. 20. & mox 31. 32.

§. 437. Scopus indicatur : *Ad mundandum vos.* Expiatio & mundatio ſunt conjunctiſſima. Illa antecedit, hæc ſequitur : Illa reſpicit reatum & obligationem ad pœnam, ſed hæc pollutionem. Nulla eſt mundatio, niſi præceſſerit expiatio. Expiatio absque mundatione nondum παῤῥησίαν dat ad communionem cum Deo & fruitionem bonorum fœderis, ſicuti conſtat exemplo leproſi Lev. XIV. Expiatio pro ſcopo habet mundationem לטהר *ad* probe curate *mundandum vos.* Nec ſcopus hic tantum præfixus. Sed & quod additur

§. 437. Effectus plenus conjunctus eſt : *Ab omnibus immunditiis veſtris coram Deo mundabimini.* Peccata, uti jam ſemel ac iterum in antecedentibus dictum, ſunt טומאות, ἀκαθαρσίαι, μιάσματα, *inquinamenta*, quæ nos coram Deo polluunt, impuros conſtituunt & hinc indignos communione cum eo, dignos vero deteſtatione, ſeparatione, pœnis. Neceſſaria itaque eſt expiatio, ingens ejus beneficium, mundatio à peccatis, quæ tollit impuritates Sancto Iſraelis inviſas, fœderatum rurſum reſtituit in amicitiam cum Deo. Duo ſunt, quæ hunc effectum extollunt. Primum : *Mundabimini coram facie Jehovæ*, quod plus eſt, quam ſimplex : *Mundabimini*, aut mundabimini coram hominibus, cœtu. Oculi Dei plus vident, quam hominum. Gratia oculorum Dei gratiam humanorum, vel regiorum longe ſuperat. Perfecta itaque promittitur purificatio, eaque connexa cum favore divino. Ipſe Sanctus Iſraelis vos puros declarabit, reddet, & beneficia ſua in vos largiter effundet. Alterum : *Ab omnibus peccatis veſtris mundabimini coram facie Jehovæ.* Non quibusdam tantum, non originali, juventutis, levibus, ex ignorantia, præcipitantia, metu, omiſſionum tantum ſed *omnibus*, nullis exceptis, graviſſimis quoque. Si aliter Iſraelita vere reſipiſcit, credit. *Mundabimini ab omnibus peccatis veſtris.* Nulla excipit lex.

§. 439. Graviſſimi momenti ſunt duo ultimi Paragraphi *Tractatus Joma* toties hoc in Commentario allegati, qui fidem Eccleſiæ Judaicæ de remiſſione peccatorum in Die Expiationis ſiſtunt Cap. VIII. 8. 9. Integros dabo חטאת ואשם ודאי מכפרין מיתה ויום הכפורים מכפרין עם התשובה תשובה מכפרת על עבירות קלות על עשה ועל לא תעשה ועל החמורות היא תולה עד שיבא יום הכפורים ויכפר Ex ordinaria interpretatione : *Victima pro peccatis, & victima pro*

pro delictis certis expiant : Mors & Dies Expiationis expiant cum pœnitentia ; Et pœnitentia expiat peccata levia, tam contra præcepta affirmativa, quam negativa ; Et gravia suspendit, donec veniat Dies Expiationis & expiet. Hic האומר אחטא ואשוב אחטא ואשוב אין מספיקין בידו לעשות תשובה אחטא ויום הכפורים מכפר אין יום הכפורים מכפר עבירות שבין אדם למקום יום הכפורים מכפר עבירות שבין אדם לחבירו אין יום הכפורים מכפר עד שירצה חבירו את זו דרש רבי אלעזר בן עזריה מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו עבירות שבין אדם למקום יום הכפורים מכפר עבירות שבין אדם לחבירו אין י״ה״כ מכפר עד שירצה את חבירו אמר רבי עקיבא אשריכם ישראל לפני מי מטהרין אתם מי מטהר אתכם אביכם שבשמים שנאמר וזרקתי עליכם מים טהורים וטהרתם ואומר מקוה ישראל ה״ מה מקוה מטהר את הטמאים אף הקדוש ברוך הוא מטהר את ישראל *Qui dicit, peccabo & resipiscam, peccabo & resipiscam, non suppeditant in manum ejus, ut resipiscat : Peccabo & Dies Expiationis non expiat. Scelera, quæ homo in Deum perpetraverit, Dies Expiationis expiat ; Scelera, quæ homo in socium suum perpetraverit, Dies Expiationis non expiat, donec placaverit socium suum. Hoc sic exponit R. Eleazar Filius Azariah ; Ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundi eritis : Scelera, quæ homo in Deum perpetraverit, Dies Expiationis expiat ; Scelera, quæ homo in socium suum perpetraverit, Dies Expiationis non expiat, nisi prius placaverit socium suum. Dicit R. Akiba ; Beati vos ; Israel coram quo vos mundatis ! Quis vos mundat ? Pater vester, qui est in cœlis, quia dicitur ; Spargam super vos mundas aquas, & mundi eritis. Et dicit Dominus Fons Israel. Quid Fons ? Mundat immundos : Etiam Deus Benedictus mundat Israel.*

§. 440. Ut hæc rectius intelligantur, lucem affundam ex *Bartenora* & *Maimonide*, Commentatoribus Mischnæ. Primum est : Quod Doctores Mischnici expiationem peccatorum non adscribant sacrificiis pro peccato, vel reatu simpliciter oblatis, sed עם התשובה *cum resipiscentia*, ut Bartenora notat & simul probat, dicens : Si non resipuissent, sacrificia non obtulissent. Resipiscentem Maimonides proponit confitentem peccata sua coram Deo, pœnitentem ob peccatum commissum & constituentem, quod in posterum hoc modo peccaturus non sit. Hunc in finem commode allegat Prov.

XXVIII.

XXVIII. 13. Jer. XXXI. 19. Alterum concernit effatum eorum: *Mors expiat cum resipiscentia*, qui docent peccata eorum, qui absque resipiscentia moriuntur, nequidem in morte expiari. Mors proprie non expiat. Expiat sanguis ex voluntate Dei effusus. Attamen verum quod rei graviorum peccatorum subinde vim expiationis consolantem, exhilarantem non sentiant, donec moriuntur; Nihilominus, qui vere resipuerunt, in morte beati sunt. Quando vero *Maimon* priscorum effatum verbis Jesajæ Cap. XXII. 14. *Si perversitas hæc vobis expiabitur, donec moriamini*, probare vult, verba in alienum sensum detorquet. Nec etiam vates agit de resipiscentibus in morte. Ipse Chaldæus verba aliter sumit, vertens: *Usque quo moriamini* מותא תנינא *morte secunda* v. *Ven. Vitringam ad h. l.* Tertium: *Dies Expiationis expiat cum resipiscentia.* Sano sensu admittitur. Vi oppositi recte concluditur Diem Expiationis non expiare peccata irresipiscentium, sed horum culpa. Quartum spectat effatum: *Resipiscentia expiat peccata levia, tam contra præcepta affirmativa, quam negativa.* Quod accipiendum est de peccatis negativis, quæ reduci possunt ad affirmativa. Dein etiam de peccatis, quæ continent pœnam excidii vel mortis per domum judicii infligendæ, si illa ex errore patrata sunt. Hæc statim condonantur resipiscentibus & ubi opus, sacrificia ex Lege offerentibus. Satis commode. Non video vere resipiscentes, sacra offerentes ante Diem Expiationis non expiari vel carere venia v. Lev. V. 5. 6. I. 4. IV. 20. &c. Quintum quod attinet, *resipiscentia gravia suspendit, donec veniat Dies Expiationis, qui ea expiat.* Gravia intelliguntur ex superbia patrata, quorum pœna flagellatio est. Resipiscentia dicitur suspendere talia peccata usque ad Diem Expiationis. Antea reus à Sacerdotibus expiatus non habetur, nec absolvitur. Quæ vero gravia, quorum pœna excidium & mors per magistratum immittenda, ex superbia commissa sunt, à Bartenora & Maimonide habentur suspensa tum per resipiscentiam, tum per Diem Expiationis, purgata demum per castigationes יסורין ממרקין *castigationes purgant.* Sensu Evangelico hæc vera haut sunt. Castigationes quidem vim purgandi habent Hebr. XII. 10. sed præsupponunt sacrificium hilasticum. Addendum tamen *sexto* modo dicta ex Judæorum mente valere de tempore, quo hircus emissarius peccata in desertum ferens non datur אבל בזמן שיש שעיר המשתלח הוא מכפר על כל העברות קלות

וחמורות קלות *Sed eo tempore, quo hircus emissarius est, hic expiat omnia peccata, levia & gravia*, exceptis iis, quæ contra proximum, nulla intercedente satisfactione, facta, de quibus mox plura Quam felix gens Christiana, quæ gaudet antitypo hirci emissarii, mundi peccata vere expiantis. *Septimum* docet Ecclesiam Judaicam graviter statuisse adversus ἑκουσίως peccantes & gratia Dei lascive abutentes. Piacularia non dantur pro delinquentibus manu elata, ut lex habet Num. XV. 30. Notatu dignum est, quod *octavo* & *ultimo* observamus; delicta adversus Deum Die Expiationis expiari, non vero adversus proximum, nisi hic placatus fuerit, tum veniam petendo, si verbis eum læsit, tum restituendo, si bona vi aut fraude abstulit. Convenit cum noto canone; *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Imo convenit cum verbis Christi Matth. V. 23.

§. 441. Præmisso gravi hoc motivo, confirmantur priora communia officia. Quod v. 29. erat ultimum, hoc est primum שבת שבתון היא לכם *Sabbathum Sabbathi hæc vobis.* Puta quia hac die ab omnibus peccatis mundabimini. Sensus in genere satis clarus est. Tantum beneficium à vobis postulat, ut ab omni communi labore abstineatis & unice vacetis cultui divino. Difficultatem nonnihil causatur phrasis *Sabbathum Sabbathi.* LXX. vertunt Σάββατα Σαββάτων, ἀνάπαυσις. Vulg. *Sabbathum requietionis.* Luth. Der gröste Sabbath. Exstat quoque de Die Expiationis Lev. XXIII. 32. Sæpius dicitur de Sabbatho Exod. XVI. 23. XXXI. 15. XXXV. 2. Nullibi, quantum novi, de tribus festis. Abarbanel, notante Meyero de festis p. 328. significari vult: *Quietem perfectiorem.* Elias Karræus *l. cit.* sequentia habet: *Quidam doctores objiciunt, cur, postquam scriptura hunc diem vocavit Sabbathum, opus fuerit Sabbathon* (cessationum) *siquidem vox Sabbath gravior est voce Sabbathon? Quomodo ergo potuit minus reddere, quod majus fuerat? Verum enim vero ratio τοῦ Sabbathon est illud additamentum, quod diei decimo adjicitur à die nono, hoc est, quod dicitur* (Lev. XXIII. 32.) *affligetis animas vestras nono die ejus mensis sub vespera.* Scil. circumscribunt Sabbathum spatio XXIV. sed Diem Expiationis XXV. horarum. Non sine quadam specie Elias ita ratiocinatur. At non solum Dies Expiationis dicitur *Sabbathum Sabbathi*, sed, ut ex dictis constat, etiam commune Sabbathum. Recte ex usu infertur, quod quies major in Sabbatho & Die Expiationis, quam in reliquis festis, quæ hac phrasi non exprimuntur.

Probabile quoque שבתון, si solum occurrit, minus notare, quam שבת, v. Lev. XXV. 4. 5. XXIII. 24. 39.

§. 442. Alterum officium commune, quod v. 29. primo præcipiebatur loco, nunc secundo: *Et affligetis animas vestras.* Expositum jam supra §. 423 - 426. Addo solum trajectionem docere utriusque officii paritatem, sed repetitionem testari de seria Numinis voluntate & obligatione ad præstandum, esse medium à Deo ordinatum, ut Israelitæ veniam peccatorum & purificationem consequantur.

§. 443. Superadditur etiam horum officiorum duratio: *Statutum seculare sit.* Uti eadem Phrasis, quæ supra v. 29. sic eadem notio. Officia hæc communia præstanda esse usque ad finem seculi Mosaici vel Oeconomiæ V. Testamenti. Res clara, quando cessat Pontificis expiatio typica per sacrificia, cessant quoque Israelis officia, ut expiationem consequatur. Judæi infideles Templo Hierosolymitano, ceu unico sacrorum loco diruto abstinere coguntur ab oblatione juvencorum & hircorum quanquam ægre, siquidem Judæi germani etiamnum die Diem Expiationis antecedente sacrificium quoddam μνημονικὸν mactant, viri & pueri gallum, fœminæ gallinam, præmissis quibusdam precibus, ter circa caput circumagentes & dicentes: *Hic gallus sit permutatio pro me; Hic in locum meum succedat; Hic sit expiatio pro me; Huic gallo* (gallinæ) *mors inferatur, mihi vero & toti Israeli vita fortunata.* Misereatur misericors Deus miseræ gentis, ut in fide dicat: *Jesus Christus Agnus Dei est expiatio pro peccatis meis & peccatis totius mundi.* Lusitani tamen Germanorum mores improbant, abstinentque à ceremonia illa mnemonica. Et illi & hi conveniunt in observandis communibus officiis, animarum afflictione & Sabbatho exacte colendo, de quibus agunt, qui hodiernos Judæorum ritus recensent, speciatim *Buxtorfius in Synag. Jud.* Pauca, quæ huc faciunt, solum noto. Judæi tum temporis sibi invicem peccata condonant, ut Deus facilius propria sibi peccata condonet. Dein peccata confitentur flagellanturque. Antequam vero sub vespera expiationis preces incipiunt, sceleratos & perfidos absolvunt, quo una cum cœtu orare queant, vota quoque interdicta, anathemata irrita, cassa pronuntiant. Notanda præsertim est benedictio Num. VI. quam Sacerdos aliquis vespera, qua jejunium finitur, adveniente recitat, טלית vel *peplo* faciei suæ obducto.

ducto. Ipſe benedicens proprias manus, ceu in quibus Spiritum S. requieſcere facile credunt, intueri haud audet, nec populus, qui manibus oculos & faciem ſuam tegit, benedicentis. Sacerdos ille ad certam figuram, quam Cel. Wagenſeilius in *Sota* delineavit, digitos expandit, ſimulatque pronuntiationem Nominis יהוה *Jehova.*

§. 444. Porismata ex v. 30.

I. *Conjunctiſſima ſunt beneficia; Expiatio peccatorum & eorundem purgatio.* Lex enim præcipit expiationem eſſe inſtituendam ad mundandum. Si igitur deſideras expiari, deſidera quoque purgari, ſi vero non vis purgari, expiatio tibi haud proderit. Vide connubium hoc divinum inſolubile ſub V. Teſtamento Pſal. LI. 3. 4. CIII. 3. Etiam ſub novo 1. Cor. I. 30. Tit. II. 14. 1. Joh. I. 9. Apoc. I. 5.

II. *Illa demum veri Nominis purgatio, quæ fit coram* Jehova, *quæque purgat ab omnibus peccatis.* Purgatio coram oculis hominum, Eccleſiæ, nondum ſufficit; Interiores ſordes non perſpicit. Unica impuritas jam impedit communionem cum Deo.

III. *Nulla eſt expiatio pro irreſipiſcente, & qui* ἑκουσίως *peccat.* Nulla victima. Non Dies Expiationis. Non etiam mors expiat.

IV. *Mirum videri poſſet Judæorum judicium Diem Expiationis peccata adverſum Deum expiare, non vero peccata erga proximum, hoc non placato.* Eli videtur aliter judicaſſe 1. Sam. II. 25. Verum tamen eſt recte intellectum. Ligat quam fortiſſime ad reconciliationem, reſtitutionem. Probatur in N. Teſtamento Matth. V. 23-27. Qui non placat læſum, etiam non placat Deum. Peccat ſimul adverſus Deum.

V. Porismata, quæ formabantur è v. 29. magnam partem huc quoque referri queunt.

§. 445. Poſtquam legislator antea egerat tum de pluribus & variis functionibus Pontifici propriis, tum de communibus totius populi, finem huic themati impoſiturus curate deſignat perſonam expiantem, ac expiationis objecta v. 31. 32. וכפר הכהן אשר ימשח אתו ואשר ימלא את ידו לכהן תחת אביו ולבש את בגדי הבד בגדי

הקדש וכפר את מקדש הקדש ואת אהל מועד ואת המזבח יכפר ועל הכהנים ועל כל עם הקהל יכפר *Expiabit autem ille Sacerdos, quem* (Deus) *unget, quique manus ſuas implebit ad Sacerdotio loco Patris ſui defungendum, qui quoque veſtes lineas, veſtes ſanctitatis, induet. Expiabit, inquam, ſanctuarium ſanctitatis & tentorium Conventûs. Expiabit etiam altare, expiabit quoque Sacerdotes & totum populum cœtus.*

§. 446. Miniſterium Expiationis jam quidem commate ſecundo & ſequentibus Aharoni imponebatur. Verum quæſtio ſequente tempore oriri potuiſſet, annon etiam gregarii Sacerdotes hoc munere defungi poſſent, tanto magis, quod reliquæ functiones memoratis & Pontifici communes fuerint. Igitur Sacerdos ſolenniter expiaturus curate deſignandus erat. Characteres hunc ad finem memorantur tres. Primus ab unctione; Alter ab impletione manuum; Tertius à veſtibus lineis petitur.

§. 447. Character Sacerdotis ſolenniter expiaturi primus petitur ab unctione ejus אשר ימשח אתו. Conſtructio nonnihil obſcura. Ad verbum: *Qui* vel *quem unget eum.* LXX. ὃν ἂν χρίσωσιν αὐτόν. Adhibent pluralem loco ſingularis in T. O. Vulgatus ſenſum perhibet: *Qui unctus fuerit*, cum quo & alii. Eſt ellipſis perſonæ ungentis, quam *Ainswworthus*, *Junius* & *Tremellius* commode ſupplent per *Deum.* Deus Pontificem V. Teſtamenti unxit præcipiendo, dirigendo electionem. Unctio vero immediate facta per homines. Pontifex N. Teſtamenti immediate à ſolo Deo ungebatur Act. X. 38. An ſtudio lex ungentem ſilentio præterit, ut tanto magis eum ſcrutemur?

§. 448. Quomodo ſolvatur hæc conſtructio, non ultra inquirimus. Certiſſimum eſt deſcribi Sacerdotem expiaturum per unctionem. Noli dicere: Etiam gregarios unctos fuiſſe, non vero Pontificem tantum. R. Omnium primi uncti erant Exod. XXVIII. 41. XL. 15. Non ſucceſſores eorum, Judæis fatentibus, Scriptura nullibi contradicente. Nati Sacerdotes haud indiguerunt oleo dignitatem ſacerdotalem notante. Lex noſtra agit de futura unctione ימשח *unget.* Pontifices, qui tales non naſcebantur, ſed eligebantur, ſemper oleo perfundendi. Unde nomen illis hæſit משיח *Meſſias* Lev. IV. 3. VI. 15. Solius Pontificis erat expiatione hac annua

nua defungi. Raſchio ad h. l. tradente כפרה זו של יום הכפורים אינו כשרה אלא בכהן גדול *Expiatio hæc, quæ facta, die expiationum, non erat legitima, niſi per Sacerdotem M.* Quod ipſum probe convenit cum myſterio.

§. 449. Character alter: *Et qui implevit manum ejus ad Sacerdotio loco Patris ſui deſungendum.* Clara eſt alluſio ad inaugurationem Sacerdotum, Exod. XXIX. 35. quorum manus certis ſacrificiorum partibus implebantur, in publicum ſignum illos ſolos ex voluntate Dei hæc ſacra tractare. conf. 2. Chron. XXIX. 31. Ezech. XLIII. 26. Verum eſt manus quoque Sacerdotum gregariorum impletas fuiſſe, unde inferes impletionem manuum haud eſſe Characterem Pontificis expiaturi. Reſp. Non ſola & ſimpliciter ſed in conjunctione Character eſt; Igitur additur: *Ad Sacerdotio deſungendum loco Patris ſui.* Intelligendus adeoque Sacerdos, qui Patri Pontifici defuncto ſucceſſit, cujus manus impletæ erant ad Pontificatu defungendum.

§. 450. Ex Lege hac recte concluditur, quod Filius in Pontificatu ſuccedat. Non tamen neceſſario *Primogenitus.* Lex *Filii* tantum meminit. Catalogus Pontificum clare docet, dignitatem Pontificialem ad primogenitum Pontificis haud reſtrictam fuiſſe. Eli Pontifex non erat ex ſtemmate primogeniti. Ipſi Judæi tradunt quemque Pontificis Filium eligibilem fuiſſe. Unde Abarbanel: *Pulcherrimus, ditiſſimus, fortiſſimus ex Filiis conſtituendus erat Pontifex.* v. *Not. ad Goodwinum.* Lib. I. C. V. §. 1.

§. 451. Quæritur: An hi duo characteres, unctio & impletio manuum in Pontifice expiaturo conjuncti poſcantur? An vero unus ſufficiat? Reſp. Vi Legis conjuncti poſcuntur, unde expiaturus poſcebatur & unctus & cujus manus implebantur. Si igitur ſtudio unus intermiſſus fuiſſet, lex divina fuiſſet violata. Unctio, quæ primo loco memoratur, videtur manuum impletione excellentior. Sufficit unus, quando alter locum habere nequit. Poſt captivitatem babylonicam deerat oleum unctionis. Hinc Pontifices uncti non inventi erant. Ipſa Scriptura hujus olei & Pontificum unctorum nullibi meminit, Judæi defectum hunc propriam ad ignominiam (hinc recte iis fides habetur) fatentur. Unde Pontifex hoc tempore dicebatur מרובה בגדים *auctus veſtibus,* non *Meſ-*

 ſias,

ſias, unctus. Huc ex parte facit gloſſa Raſchiana ואשר ימלא ידו אין לי אלא המשוח בשמן המשחה מרובה בגדים מניין ת"ל ואשר ימלא את ידו וגומר והן כל הכהנים גדולים שעמדו מיאשיהו ואילך שבימיו נגזרה צלוחית של שמן המשחה Quod attinet verba *& cujus impleverit manum, cui uſui? Huic ut, ſi exiſtimarem intelligendum eſſe Pontificem oleo unctum, ſciam eſſe quoque intelligendum veſtibus auctum, quia lex dicit*, & cujus impleverit manum: *Tales fuerant omnes ſummi Sacerdotes à temporibus Joſiæ & ultra. Nam ipſius tempore fuit abſcondita ampulla olei unctionis.* Deerat ſub Templo II. juſta Numinis ſententia Pontifex Meſſias unctus oleo terreſtri, quia ſub illo adventurus Pontifex Meſſias perfuſus oleo divino.

§. 452. Character tertius: *Qui quoque veſtes lineas, veſtes ſanctitatis, induet.* Ergo non ſolum Aharon, ſed & omnes ſucceſſores ejus ſolenniter expiaturi tenentur ad prorſus ſingularem hunc veſtitum, diſtinctum à veſtibus aureis Pontificum & Sacerdotum gregariorum. Unde tuto concludimus veſtitus hujus rationem eſſe habendam in myſterio. Plura de hoc veſtitu exſtant ſupra à §. 45-69. quæ hoc loco non repetimus.

§. 453. Ille igitur Sacerdos, qui *Meſſias*, conſecratus, electus & rite inveſtitus, νομίμως ſolenniter Die Expiationum expiat. Non alius. Non gregarius Sacerdos, multo minus Levita vel communis Iſraelita. Adſtrictum munus expiandi ad unicam perſonam Characteribus memoratis illuſtrem.

§. 454. Perſonalibus his Pontificum expiantium divinis ſubjungo eccleſiaſtica, quæ exſtant à fronte *Tr. Joma* Cap. I. 1. Ex quibus primum: שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פלהדרין *Septem diebus ante Diem Expiationum ſeparant Sacerdotem M. à domo ſua in Conclave Palhedrorum.* Lex divina hac de ſeparatione proſtat nulla. Fruſtra quæritur in Moſe. Citra dubium nulla ſeparationis cauſa, quam metus pollutionis propriis in ædibus. Immundus munus ſacrum obeundi facultatem haud habet. Tempus ſeptidui occaſionaliter videtur fixum ob Leges Lev. VIII. 34. & XV. 24. Quod ipſum ſeparationis tempus Eccleſia determinaverat Sacerdoti vaccam rufam comburenti. Quæ de Conclavi

clavi ſeparationis ejusque ſitu & differentia à Conclavi loci lapidum *Sheringhamius* habet, tranſeo. Sed ratio nominis, quam Bartenora dat, notatu digniſſima eſt. Præfecti regis olim dicebantur פלהדרין (græce πάρεδροι *aſſeſſores*, qui regi aſſidebant, de negotiis publicis conſulturi) *quia vero Sacerdotes M. poſt Simeonem juſtum ſub Templo II. Pontificatum ære emerant, & quia improbi erant, haud adimpleverant annos ac mutabantur ſingulis XII. menſibus, ſicuti præfecti regii, ceu quos rex ſingulis annis mutaverat. Igitur Conclave hoc nomen Paredrin, vel aſſeſſorum audiebat.* Egregium teſtimonium de vocatione Pontificum ſub Templo ſecundo.

§. 455. Alterum quoque §. I. 6. מתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול ר׳ יהודה אף אשה אחרת מתקינין לו שמא תמות אשתו שנאמר וכפר בעדו ובעד ביתו ביתו זו אשתו אמרו לו אין לדבר סוף *Subſtituunt* (Pontifici) *alium Sacerdotem, ſi quod vitium illi obtingat. R. Jehuda dixerat; Etiam ſubſtituunt aliam uxorem, ſi uxor moreretur. Scriptum enim eſt* (Lev. XV. 6.) & expiabit pro ſe & pro domo ſua. *Per verba* domo ſua, *intelligenda eſt uxor ejus.* At ſapientes *reſponderunt ei: Si ſic, nullus eſſet finis.* Primi membri ratio clara. Expiatio ſolennis enim erat adſtricta ad certum diem, quæ vero nonniſi à Pontifice legaliter puro peragi poterat. Caſus vero pollutionis Pontificis dabilis erat. Unde ſubſtituendus, qui vices ejus obiret. Quod vero alterum concernit membrum, merito ſapientes R. Jehudam deſerunt, utpote caſus vix dabilis. Si vero hac ex ratione uxor ſubſtituenda, non una tantum, ſed duæ, tres aut etiam plures ſubſtituendæ. Nec neceſſe, ut vocem *domus* reſtringam ad *uxorem.*

§. 456. Tertium §. II. Tract. & Cap. cit. כל שבעת הימים הוא זורק את הדם ומקטיר את הקטורת ומטיב את הנרות ומקריב את הראש ואת הרגל ושאר כל הימים אם רצה להקריב מקריב שכהן גדול מקריב חלק בראש ונוטל חלק בראש *Omnibus iſtis ſeptem diebus ipſe ſanguinem ſpargebat, ſuffitum adolebat, lucernas aptabat, caput pedemque offerebat, cæteris diebus ſi offerre voluerit, offerebat; Quia Sacerdos magnus primus partem offerebat, primusque partem capiebat.* Ut Pontifex in Die Expiationis expeditus eſſet, exercuerat ſe per ſeptiduum.

Excep-

Excepto vero hoc septiduo sacra obiverat pro lubitu. Non vero aliorum Sacerdotum instar adstrictus erat vel ad certum diem, aut ordinem vel sortem. Partem optimam, quam desideraverat, ex donis sacrificiorum elegerat. Imo ex duabus placentis unam, ex XII. panibus propositionis quatuor vel quinque in suum usum sumere poterat. Hæc tamen optio non obtinuerat בקדשי גבול *quoad sanctitates terminorum*, quæ extra Templum Sacerdotibus ductæ. Circa has servanda erat æqualitas. v. *Bartenora ad h. l.*

§. 457. Quartum §. III. M. 1. Tract. & Cap. cit. מסרו לו זקנים מזקני בית דין וקורין לפניו בסדר היום ואומרים לו: איש כהן גדול קרא אתה בפיך שמא שכחת או שמא לא למדת *Tradebant ei Seniores ex Senioribus synedrii magni, & legebant coram eo juxta ritum diei, dicebantque ei: Domine Sacerdos magne, tute lege ore tuo, forte oblitus es, aut forte non didicisti.* Recte Mischnici notant Pontificis fuisse Die Expiationis publice prælegere Leges hoc de Ministerio, ut jam supra ad §. 360. &c. plenius dictum est. Quando vero Pontifices subinde idiotæ & illiterati electi erant, indiguerant institutione Seniorum ad legendum. Egregii Pontifices! quorum tamen erat Legem custodire Malach. II. 4 - 8. Posteri excusant hæc infelicitate temporum, observantes sub Templo II. על פי המלכות *jussu regis*, obtrusos fuisse aliquando Pontifices indignos, indoctos, regum clientes, vel qui regiam gratiam magno ære emerant. Iidem tradunt sub Templo I. nonnisi electos fuisse summos בחכמה בנוי בכח ובעושר *sapientia, pulchritudine, robore & divitiis.* Uti habet *Bartenora ad h. l.* v. quoque *Maimonidem.*

§. 458. Quintum §. III. M. 2. Tract. & cit. cap. ערב יום הכפורים שחרית מעמידין אותו בשער המזרח ומעבירין לפניו פרים ואלים וכבשים כדי שיהא מכיר ורגיל בעבודה *Vespera Diei Expiationis sistebant eum diluculo ad portam orientalem & adducebant ei arietes, agnos, ut expeditus & exercitatus esset in Ministerio.* Sane egregia præparatio!

§. 459. Sextum §. IV. Tr. & C. cit. כל שבעת הימים לא היו מונעין ממנו מאכל ומשתה ערב יום הכפורים עם חשיכה לא היו מניחים אותו לאכול הרבה מפני שהמאכל מביא את השינה

Non

Non arcebant eum à cibo potuque toto hoc septem dierum spatio, vespera autem Diei Expiationis post exortas tenebras non permittebant eum multum edere, quia cibus somnum inducit. Copia cibi potusque antę vesperam Diei Expiationis non denegabatur, quin potius probabatur, ut vires acciperet majores ad molestum munus perferendum. Sub vespera vero negabatur ex metu pollutionis nocturnæ. Speciatim negabantur חלב ובצים ובשר שמן ויין ישן *Lac, ova, caro pinguis, vinum vetus*, similiaque, quæ veneris irritamenta habentur. In cibis dignoscendis non conveniunt jejuniorum Patroni, Judæi & quidam Christiani. Quinam castitati præ aliis consulant, judicent medicorum filii.

§. 460. Septimum §. V. Tract. & C. cit. מסרוהו זקני בית דין לזקני כהונה והעלוהו לעליית בית אבטינס והשביעוהו ונפטרו והלכו להם ואומרים לו אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחינו ושליח בית דין משביעין אנו עליך במי ששיכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו לך הוא פורש ובוכה והן פורשים ובוכים *Tradebant eum Seniores Synedrii magni ad Seniores Sacerdotes, qui eum in Conclave excelsum domus Abtines evehebant. Adjurabant eum, & dimittebant, & ibant, & dicebant: Domine Sacerdos magne, nos sumus Legati Synedrii magni & tu Legatus noster, & Legatus Synedrii magni: Adjuramus te per eum, cujus nomen habitat in hoc Templo, quod non mutabis quicquam ex omnibus istis, quæ tibi diximus. Ipse discedebat & flebat, illique discedebant & flebant.* Quia ratio aromata pugillis capiendi valde difficilis habebatur, ut jam supra §. 201. dictum, instituendus erat Pontifex. Dein quia Sadducæi alium suffiendi modum tenuerant quam Pharisæi v. §. 214. 215. inter Pontifices vero plures habebantur Sadducæi, Pontifex intraturus juramento obstringebatur de non mutando in loco Sancto, in quo solus versatus erat. Flebant autem tum Pontifex, qui ita suspectus de fide habebatur, tum Legati necessitate coacti ad juramentum imponendum. Elucet hinc miser Ecclesiæ Judaicæ etiam in primatibus status. Pontifex à Judæis non habebatur infallibilis.

§. 461. Octavum §. VI. Tract. & Cap. cit. אם היה חכם דורש ואם לא תלמידי חכמים דורשין לפניו אם רגיל לקרות קורא

ואם לא קורין לפניו וכמה קורין לפניו באיוב ובעזרא ובדברי הימים זכריה בן קבוטל אומר פעמים הרבה קריתי לפניו בדניאל *Si sapiens erat, exponebat, si non, discipuli sapientum exponebant coram eo; Si legendi peritus erat, legebat, si non, legebant coram eo. Et in quo legebant coram eo? In Jobo, & in Hezra & in verbis dierum. Zachariah Filius Kebutal dixit: Sæpe legi coram eo in Daniele.* Id quod intelligendum videtur de nocte, quæ immediate antecesserat ministerium Diei Expiationis, ut Pontifex à somno abstineret, atque ita in periculum pollutionis non incideret. Legebantur autem libri thematibus gravibus, facile intelligibilibus, torporem excutientibus referti.

§. 462. Nonum & ultimum §. VII. Tract. & C. cit. בקש להתנמנם פרחי כהונה מכין לפניו באצבע צרדה ואומרים לו אישי כהן גדול עמוד והפג אחת על הרצפה ומעסיקין אותו עד שיגיע זמן השחיטה *Si dormire gestiebat, juniores Sacerdotes percutiebant coram eo digito indice, dicebantque ei: Domine Sacerdos magne, sta & remitte semel super pavimentum, eumque occupatum tenebant, donec mactationis tempus instaret.* Hæc etiam excogitata erant ad somnum impediundum, tum sono, tum stando in pavimento marmoreo frigido, tum occupationibus.

§. 463. Plenius dictum, qualis postuletur Sacerdos expiaturus tum ex Lege divina tum ex ecclesiastica. Nunc dicendum de objectis, quæ expianda erant. Sunt autem quinque: Tria priora inanimata, sed duo posteriora animata. Ex illis primum: את מקדש הקדש *Et expiabit sanctuarium sanctitatis.* LXX. τὸ ἅγιον τȣ̃ ἁγίȣ, Apostolus vocat Hebr. IX. 3. ἅγια ἁγίων. Sine dubio intelligitur sanctissimum, in quo arca. Expiatio hæc facta sanguine juvenci & hirci v. 14. 15. 16. Modo quo §. 233 - 268. Alterum *& expiabit* את אהל מועד *tentorium Conventûs* spargendo sanguinem versus velum disterminans sanctissimum à sancto v. 16. b. vid. §. 269 - 278. Tertium: *Expiabit etiam altare.* Quodnam? An Holocausti, vel suffitus? Hoc. Vide quæ supra dicta sunt v. 18. 19. à §. 285 - 309.

§. 464. Quartum: *Expiabit* על הכהנים *Sacerdotes*, Pontificem, grega-

gregarios, inclusis, ut videtur, uxoribus & filiabus quæ pertinent ad domum Aharonis v. 6. 17. Quintum: *Expiabit universum populum congregationis*, quo comprehenduntur omnes sine discrimine tribuum, sexus, ætatis, status originarii, Proselyti justitiæ, speciatim etiam Levitæ, nam, ut Aben Esra recte ait לא יקראו הכהנים *non appellantur Sacerdotes.*

§. 465. Porismata è v. 31. 32.

I. *Cavit lex quam fortissime de non alia persona agnoscenda, ceu idonea ad solennem peccatorum expiationem quam Pontifice.* Utpote jam supra toties expiatio Aharoni attribuebatur. His vero commatibus non solum repetitur, sed & extenditur ad successores sequenti tempore. Ei, qui emissarium duxerat, Sacerdotibus, qui quoque occupati circa Sacrificia ipsa sanctissima, juvencum & hircum, nulla tribuitur expiatio. Hæc depicta sunt, ut sciamus solum Pontificem Jesum Christum esse expiationem.

II. *Expiaturus solenniter poscebatur â Deo ordinatus, sacro oleo diviter perfusus, ad res sanctas tractandum notabiliter declaratus, ac pura humilitate investitus.* Quæ in Aharone ἐν σκιᾷ, in Pontifice Jesu Christo habes σωματικῶς. Is à Deo cum juramento æternus Pontifex vocatus, oleo lætitiæ præ sociis unctus, ex cœlo declaratus, ut offerret sacrificium εὐδοκίας. Is humillimus & purissimus expiationem pro nobis fecit Psal. CX. 4. XLV. 8. Matth. III. 16. 17. XI. 29. Joh. XVII. 1. 19. Hebr. V. 5 - 8.

III. *Sacerdotes gregarii expiationem Jesu Christi annuntiaturi & applicaturi, sint imitatores unici Pontificis.* Munere defungantur vocati, uncti, impleti, humilitatis & pietatis studiosi.

IV. *Uti peccatis nostris omnia sunt polluta & sub reatu, cœlum (sano sensu) Ecclesia, altare, homines omnes; Ita Pontifex Jesus Christus sanguine suo omnia & omnes expiavit purgatque resipiscentes, credentes. Est expiatio pro nostris peccatis, non solum pro nostris peccatis, sed & pro peccatis totius Mundi.* 1. Joh. II. 2.

V. *Quanta differentia inter postulata Pontificis expiaturi, divina & inter ecclesiastica! Lege Aphorismos.*

VI. *Desinant Judæi infideles gloriari de Pontificibus Aharonicis, qui ca-*

ruerant sub toto Templo II. palmaria distinctiva umbra picturæ Pontificialis, oleo unctionis; Suspecti de pollutionibus, morbis, morte, conversatione impura, hinc separandi, includendi, indigi vicariorum, quos alii in munere satis crasso instituere, hortari debebant; Illiterati, indocti in elementis legendi nondum versati, fastuosi, qui sibi ipsis gloriam Pontificatus dederant vel ære emerant aut violentia hominum, regum, idololatricorum quandoque, obtrusi erant, imo suspecti de hæresi, Sadducæi. Quid mirum Ecclesiam esse corruptissimam Pontifice summo ita comparato?

VII. *Sapiat Ecclesia N. Testamenti malo V. Testamenti.* Si Ministri Ecclesiæ, maxime summi, non per Deum, sed per homines, reges, pecuniam, ambitionem ad dignitates ecclesiasticas assurgunt. Nullus horum honos non solum non apud Deum, sed etiam non in Ecclesia, mundo, illis ipsis qui Ecclesiam odio habent. Instat terribilis finis Ecclesiæ externæ, ut olim apud Judæos, sic Christianos. Unicum idque ingens solatium: *Veniet Dominus Ecclesiæ, sedebit conflans & purgans argentum, defæcabit eos sicut aurum, & sicut argentum, ut adferant Jehovæ Mincha in Justitia.* Quis tum consistet? Mal. III. 1 - 4. Corrupto Sacerdotio supervenit consummatus Pontifex.

VIII. *Gens Christiana fidelis in hoc Pontifice jure gloriatur & exultat. Talis Pontifex decet nos, qui est Immanuel, à Deo vocatus, oleo perunctus, sacra faciens ad εὐδοκίαν Patris, humilis & simul gloriosus, sanctus, sine malo, sine labe, separatus à peccatoribus, vere sapientissimus, pulcherrimus, fortissimus, ditissimus, vigilantissimus, immortalis, nunquam hinc indigus Vicario, qui nunc virtute unici sui sacrificii magnifice sedet ad dextram Dei pro nobis intercedens, expians, purgans, protegens & varie benedicens.* Passim per Epistolam ad Hebræos.

§. 466. Ultimo superadditur Epilogus his verbis: והיתה זאת לכם לחקת עולם לכפר על בני ישראל מכל חטאתם אחת בשנה ויעש כאשר צוה יהוה את משה *Hoc itaque erit vobis in statutum seculare ad expiandum filios Israel ab omnibus peccatis eorum una (Die) in anno. Et factum, quemadmodum Jehova præcepit Mosi* v. 33. Continens summam Legis de Ministerio Diei Expiationum, una cum obsequio, Epilogorum usus in Lege haud infrequens. Scire licet ex Exod.

Exod. XII. 14. Lev. XVIII. 30. XXIX. 30. Horum usus est, plenius dicta in summam contrahere, denuo confirmare, ut clarius constet de voluntate legislatoris. Epilogus hic comprehendit summam Legis de Ministerio Expiationis solennis cum obsequio.

§. 467. Summa memorata comprehendit durationem Legis de expiatione solenni, scopum & speciale tempus observationis.

§. 468. Duratio traditur verbis: *Hoc itaque erit vobis in statutum seculare.* Particula זאת monstrat & ducit ad totam antecedentem Legem præcipientem, quæ à Pontifice & toto cœtu agenda. Hebræi muliebriter exprimunt, quod alii in neutro. *Hæc* pro *hoc* v. Gen. XLV. 19. Psal. CXVIII. 23. conf. Matth. XXI. 42. Duratio præcipitur: *In statutum seculare*, tam diu, quam diu durat seculum œconomiæ Mosaicæ, ut jam probatum. Uti v. 29. actum de duratione solennis expiationis per Pontificem, sic v. 30. officiorum à cœtu præstandorum. Hoc versu vero conjunctim mandatur utraque in usum specialem gentis Israeliticæ, quæ sub hoc seculo peculium Dei. לכם *vobis.*

§. 469. Scopus: *Ad expiandum Filios Israel ab omnibus peccatis eorum.* Hic maximi pretii habebatur, unde solo hoc capite quindecim vicibus occurrit & capite longiori in summam contracto solus memoratur. Et talis quoque est. Absque expiatione peccata manent & imputantur ad condemnationem; Ira Dei in non expiatos animadvertitur. Expiatione vero facta tollitur, convertiturque in gratiam. Juxta hunc scopum expiandi *Filii Israel* sine discrimine sexus, ætatis, conditionis, tribuum, ortus vel ex Israele vel ex ethnicis. Lex enim hæc spectabat quoque *Proselytos* v. 29. qui abdicata Religione ethnica Religionem Israelis amplexi & ita *Israelitæ* vel *Judæi facti sunt.* Ethnicus non amplius ethnicus ethnicismo relicto erat, sed *Filius Israel.* Includuntur hic quoque Pontifex & ejus domus, uxor, Filii & Filiæ, qui supra distinguuntur v. 17. 32. Voces enim jam stricte, jam late accipiendæ sunt, circumstantiis ita poscentibus. *Filii hi Israel* postulantur tamen recte comparati, animas affligentes & tota Expiationis Die feriantes, ut intensiores essent resipiscentiæ, fidei, & precibus testandis, uti constat tum ex natura rei tum ex supra dictis. Hi omnes expiabantur *ab omnibus peccatis suis*, cujuscunque speciei, levioribus non solum sed & gravioribus. In-

gens beneficium, quod Filiis Israel expiatione obtigit. Non anxii esse debebant, num etiam hæc vel illa remissa sint. Expiatio remittebat omnia omnino peccata Filiorum Israel animas affligentium & ab operibus quiescentium.

§. 470. Speciale tempus, quo expiatio faciunda, אחת בשנה. LXX. vertunt ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, quos Apostolus sequitur Hebr. IX. 7. Etiam reliqui translatores vertunt *semel in anno.* Einmahl im Jahr. Unde occasionem dant cogitandi Pontificem una tantum vice ad expiandum in sanctissimum intrasse. Cogitata hæc Legi Mosaicæ contrariari evidentissime supra §. 258. demonstravi. Dices: Mosen ipsum scribere אחת בשנה tum hoc loco, tum etiam Exod. XXX. 10. Recte. Attamen Moses ita explicandus est, ut sibi non contradicat. Contradiceret vero sibi, si diceret *una vice in anno*, ipse vero supra scriberet, quod minimum tribus vicibus Aharon intraverit v. 12 - 15. Dein Moses non ait אחת פעם *una vice*, ut alibi hæc phrasis exstat. Sed simpliciter אחת. Quare non necesse est, ut Ellipsin per פעם *vicem* expleam. Expleo per commodiorem vocem ut bene explevit Jonathan B. Uziel הדא זימנא *uno tempore in anno*, vel *in una* scil. die. Solennitas expiatoria restricta erat ad unam diem, quæ hinc dicebatur יום הכפורים *Dies Expiationum* Lev. XXV. 9. Supra v. 29. *dies decima.* Hoc in loco minor est difficultas, quia speciatim non agitur de introitu in sanctissimum, sed in genere de expiatione, quæ vero intendebatur, quærebatur, non solum intrando in sanctissimum, sed & tot aliis actionibus solenni illa die. Noli dicere: Si ellipsis supplenda per יום, tum in textu exstaret אחד, non אחת. Resp. Nego consequentiam. Nam יום construitur non solum cum masculino, sed etiam cum fœminino, ut יום רעה *dies mala* Psal. XLI. 2. Jes. XVII. 17. LI. 2. uti חיה רעה *bestia mala* Gen. XXXVII. 20.

§. 471. Clauditur obsequio Legis de solenni expiatione præstito. *Et fecit, quemadmodum præcepit Jehova Mosi.* Sensus generatim constat. Consimiles formulæ alibi exstant, Exod. VII. 6. 10. XVI. 24. 34. XXXIX. 1. Lev. VIII. 4. 36. Num. XVII. 26. XX. 27. Ut sciamus mandatum Domini non solum fuisse datum sed & præstitum. Quæritur tamen, quis præceptum Dei præstiterit? Moses juxta *Piscatorem* qui per trajectionem explicat: *Et fecit Moses, quemadmodum præceperat Jehova ipsi.* Similiter *Lutherus*, *Tigurini.* Juxta alios

alios *Aharon*, veluti *Jonathan* ועבד אהרן *& fecit Aharon, ficut præcepit Dominus Mofi.* Arabs quoque. Probat & deducit Rafchius להגיד שבחו של אהרן שלא היה לבש' לגדולתו אלא כמקיים גזירת מלך *ad indicandum laudem Aharonis, quod (veftes) non induat ad oftentandum magnificentiam fuam, fed ut qui adimpleret Decretum Regis.* Syrus vero: *Fecerunt igitur.* Alii inhærent textui originali: *Et fecit*, ut Chaldæus, Samaritanus, Vulgatus. Tandem vertunt: *Et factum eft.* LXX. ποιηθήσεται juxta regulam; Tertia perfona fine nominativo in verbis activis expreffa paffive fumenda eft. Prior explicandi modus haud placet. Ægre & non fine neceffitate trajectiones videntur admittendæ. Mofi nihil erat faciundum. Solum præceptum Domini ad Fratrem ferendum. Sed Aharonis erat expiare. Quare illos probo, qui Aharonem intelligunt.

§. 472. Exactum laudatur obfequium: *Et fecit Aharon* כאשר *quemadmodum præceperat Jehova Mofi.* Verba hæc docent obfequium Aharonis curatum, quo cuncta non folum præftitit mandata, fed & eo, quo à Jehova præcepta erant, modo: *Quemadmodum.* Ceremonialia, ceu picturæ rerum fpiritualium, cœleftium, futurarum pofcuntur exactiffima, unde Exod. XXV. 9. *fecundum omne, quod ego monftravi tibi, typum habitaculi, & typum omnium vaforum ejus,* וכן *& fic facietis.* v. etiam. v. 40. Si enim in pictura aliquid additur, vel adimitur, aut transponitur, in caufa eft, quominus Perfona vel res depicta recte dignofci poffit.

§. 473. Porismata è v. 33. five ultimo.

I. *Sacra plenius dicta & deducta tandem fapienter & utiliter in fummam rediguntur.* Conftat Epilogo hoc divino; Epilogis tot aliis in Lege.

II. Τέλος *Minifterii Pontificialis fub V. Teftamento erat, typice expiare peccata populi.* Unde lex habet לכפר *eo fcopo, ut expientur.* Is ipfe finis Pontificis N. Teftamenti, Jefu Chrifti vere peccata hominum fanguine fuo tegere, expiare, purgare. Rom. V. 6. 9. 10. 1. Joh. II. 2.

III. *Vide, ut fis ex genuinis Filiis Ifrael expiationem peccatorum per Pontificem æftimantibus, animas fuas affligentibus, ingens hoc beneficium, miffo alio quovis negotio, confiderantibus, exfpectantibus, anhelantibus.* Ge-

nuini

nuini *Filii Israel* haud sunt carnales Jacobi posteri, requisitis his destituti, hinc propria culpa *indigi expiatione*; sunt vero ornati memoratis requisitis, licet ex Ethnicis peccatoribus prognati. Rom. IX. 6. 7. Gal. VI. 16. 17.

IV. *Genuini Filii Israel non habent, quod sibi à peccatis suis, licet plurimis, gravissimis metuant.* Pontifex omnia omnino horum peccata expiavit. 1. Tim. I. 15. 16. 1. Joh. II. 1. 2.

V. *Ministerium Diei Expiationis haud est ex præceptis Ecclesiæ, sed ipsius Jehovæ.* Hic solus de modo salvandi peccatores disponendi jus habet. Moses & Aharon tantum sunt Ministri: *Et fecit Aharon, quemadmodum præceperat Jehova Mosi.*

VI. *Est ergo Ministerium hoc mysterio plenum.* Spiritus sapientissimus carnalem hunc cultum minime instituit, ceu in se sibi gratum, inventum ad spiritualia sistendum, promittendum, prædicendum. Aharon *serviverat* ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων Hebr. VIII. 5.

VII. *Omnis cura solicite eo impendenda est, ut gratia Dei ille ipse sensus literalis cognoscatur, tradatur, qui à Jehova intentus, Mosi præceptus, ab Aharone receptus est.* כאשר *quemadmodum.* Malus pictor ille est, qui ex suo addit, adimit, aut etiam transponit. Certo errabit in mysterio exponendo magis vel minus, prout pictura errat. Pictura, hinc etiam mysterium eorum, qui Pontificem aureis vestibus cum sanguine in sanctissimum intrantem depingunt, falsum est.

LEX

* *

LEX
De Die Solennis Expiationis
juxta Exod. XXX. 10.

§. 474. Legis huius verba hæc ſunt : וכפר אהרן על קרנותיו אחת בשנה מדם חטאת הכפרים אחת בשנה וכפר עליו לדרתיכם קדש קדשים הוא ליהוה *Præterea Aharon expiabit ſuper cornua ejus una* (die) *in anno*, *de ſanguine* (ſacrificii) *pro peccato expiationum. Una* (die) *in anno expiabit ſuper illa in generationes veſtras. Sanctum ſanctiſſimum hoc eſt pro Jehova.* Exod. XXX. 10. Legislator in antecedentibus deſcribit altare ſuffitus, memorando primo ejus materiam, figuram, magnitudinem & adjuncta v. 1 - 6. Tum locum v. 6. denique uſum quotidianum remoto abuſu v. 7 - 10. Ultimo anniverſarium & ſolennem in verbis, quæ exponere conſtituimus; *Præterea Aharon expiabit* &c.

§. 475. Omnium prima hæc lex de Die Expiationum, verbis perbrevis, ſubſequente tempore deducta & aucta, ut conſtat ex collatione cum Lev. XVI. 1. fin. Cap. XXIII. 26 - 33. XXV. 9. 10. Num. XXIX. 7 - 12. Legislator, qui populo interdictum tulit de non addendo, ipſe liberrime ſapientibus ex cauſis addit. Lex prolixa, quæ exſtat Lev. XVI. παραβάσεως χάριν ſuperaddita eſt.

§. 476. Lex præſens deſcribit perſonam expiantem, expiationem, medium, locum, tempus, durationem & exiſtimationem.

§. 477. Perſona expians dicitur *Aharon*, Pontifex à Deo ordinatus ad Pontificatu in populo Iſrael defungendum. Quæritur: An hæc functio ſolennis expiationis ad Aharonem ita reſtricta, ut ab ea gregarii Sacerdotes excluſi fuerint? Ratio dubitandi. Nomen Aharon ceu primi Sacerdotis in ſacris late ſumitur, ut repræſentet totum Sacerdotium, omnes Sacerdotes, omnes quoque Sacerdotum

functiones. Exemplum habemus in hoc ipso capite v. 7. *Incendet Aharon super* (altari) *suffitum* - - - *quando adornaverit lucernas* &c. At incensio suffitus & lucernarum adornatio habetur functio communis Pontifici & gregariis. Nihilominus functio hæc est restricta ad solum Pontificem ob Legem posteriorem prolixam, quæ exstat Levit. XVI. maxime v. 31. Dein ob contenta hac in Lege, quæ memorat expiationem ἅπαξ τȣ̃ ἐνιαυτȣ̃. In *Die Expiationum.* Talis vero expiatio sistit expiationem per Pontificem Jesum Christum ἅπαξ factam, cujus in Epistola ad Hebræos mentio fit. Hebr. VII. 27. IX. 7. 26. 28.

§. 478. Aharon proponitur מכפר vi vocis *obducens* peccatum, causam iræ divinæ & maledictionis, ne condemnationi sit, quod uno verbo exprimitur *expians.* Recte LXX. vertunt ἐξιλάσεται, minus recte Vulg. *deprecabitur.* Deprecatio non suffecerat ad expiationem neque antitypicam, neque typicam (v. supra §. 95.) unde statim additur

§. 479. Medium : Aharon expiabit *de sanguine sacrificii pro peccato expiationum.* Sanguis est ordinarium expiationis medium, Lev. XVII. 11. *Nam sanguis hic pro anima expiat.* Hinc Hebr. IX. 23. *absque effusione sanguinis non fit remissio peccatorum.* Specialissime intelligitur sanguis *sacrificii pro peccato* & quidem הכפרים *expiationum* vel *expiationum* illarum celeberrimarum in Lege. Sequente tempore sacrificium hoc pro peccato prolixe deducebatur de juvenco & hirco Lev. XVI. Commendatur ab הכפרים *expiationibus* singulari prorsus expiatione pro peccatis totius Israelis, Sacerdotum, Levitarum, Israelitarum, Indigenarum, Proselytorum. conf. quoque Num. XXIX. 11. Unde dies hic notanter audit dies הכפרים *expiationum* Lev. XXIII. 27. XXV. 9.

§. 480. Sequitur expiationis locus על קרנתיו *super cornua ejus*, scil. juxta nexum altaris suffitus. Altare hoc communiter suffitui tantum destinatum, rarissime sanguini Lev. IV. 7. 18. & Die Expiationis. v. quæ plene dicta ad Lev. XVI. 18. 19.

§. 481. Subsequitur tempus אחת בשנה *una* (die) *in anno.* Circumstantiæ hujus temporis magni momenti. Statim repetitur hoc in versu, vide quæ prolixe hac de phrasi in Lev. XVI. 33. Qui supplent *una* (vice) novo, quod nunc demum succurrit, argumento

mento refutantur. Verte verba noſtra: *Aharon expiabit ſuper cornua altaris de ſanguine ſacrificii pro peccato expiatione una vice.* Et confer cum Lege parallela Lev. XVI. 18. *Expiabit ſuper altare ſuffitus & ſumet de ſanguine juvenci illius & de ſanguine hirci illius & dabit ſuper cornua altaris circumquaque & ſparget ſuper illud de ſanguine* שבע פעמים *ſeptem vicibus & purgabit illud ac ſanctificabit à peccatis Filiorum Iſrael.* Ac reperies contradictionem. Expiatio ergo altaris non facta eſt ſimul & ſemel una vice, una aſperſione, ſed una (die) in anno.

§. 482. Additur Legis hujus duratio: *Expiabit ſuper illa in generationes veſtras.* Vox דור varie ſumitur. Hoc loco pro *poſteritatibus*, & quidem gentis Judaicæ, quia dicitur *in generationes veſtras* Job. XXII. 27. unde Syrus vertit: *In poſteritates veſtras.* Luth. **Bey euren Nachkommen.** Solennitas Expiationum ergo ex iis præceptis, quæ haud ſemel vel iterum præſtanda, ſed longo tempore per generationes Judæorum. Longum hoc tempus non determinatur, ceu quod Deus poteſtati ſuæ reſervavit. Phraſis ſæpius in uſu de præſtatione præceptorum, quæ cultum ceremoniarum reſpiciunt, ut circumciſione Gen. XVII. 12. Feſto Paſchatis Exod. XII. 14. 17. Sacrificiis Lev. III. 17. adeoque quæ durare debent ſtante œconomia V. Teſtamenti usque ad dies Meſſiæ. Id quod ſanctificatur affixo כם *veſtrarum*, *generationum veſtrarum.* Generationes Judæorum ceſſaturæ ſiſtuntur Eccleſia per univerſum orbem extenſa. Hæc œconomia ceremonias ad certum tempus & loca reſtrictas impoſſibiliter ſervare valet, umbræ quoque diſparent corpore præſente. Ergo duratio hujus ſolennitatis per longius tempus per multas Judæorum generationes indefinite indicatur. Reſpondit quoque eventus. Templo II. deſtructo, gente infideli rejecta, œconomia N. Teſtamenti introducta haud amplius durare debet & poteſt.

§. 483. Clauditur hæc lex ſumma exiſtimatione hujus ſolennitatis, *ſanctum ſanctorum hoc eſt Jehovæ.* Sancta in cultu ceremoniali gradu differebant. Quædam tantum קדשים *ſancta* Levit. XXI. 22. alia קדשי הקדשים *ſanctitates ſanctitatum* Ezech. XLII. 13. XLIV. 13. vel קדש קדשים Exod. XXIX. 37. ſive ſanctiſſima. Talia ſunt tum ſacrificia, ut victimæ pro peccato, reatu; Ferta Num XVIII. 9. Suffitus Exod. XXX. 36. tum vaſa, ut ara Holocauſti Exod. XL. 10. tum loca, ut ſanctiſſimum Exod. XXVI. 33. 34. Solen-

nis expiatio vario respectu dici posset *sanctitas sanctitatum*, etenim fiebat in loco sanctissimo, in ara sanctissima. Sed lex proprie respicit sanguinem sacrificii pro peccato, de quo in proxime antecedentibus. הוא *Hic* scil. *sanguis est sanctitas sanctitatum* vel *sanctissimus Jehovæ.* Hinc summæ existimationis, quo peccata Israelis expiabantur.

§. 484. Porismata ex hoc versu decimo Cap. XXX. in Exodo.

I. *Collatio Legum parallelarum habet usum. Et confirmat, & illustrat, & auget.* Constat ex Lege hac de annua expiatione prima collata cum Lev. XVI. XXIII. Num. XXIX. Ejusmodi collatio est vera origo systematum.

II. *Nomen proprium, quod primo in ordine dignitatis datur, refert etiam posteros, successores, obligatque ad consimiles functiones.* Exemplum sit Aharon.

III. *Amat lex quæ magni momenti & mysterii sunt, repetere, ut attentiores simus & sensum spiritualem scrutemur.* Quoties in Legibus de annua expiatione mentio fit כפרה *expiationis*, Diei Expiationum, una die in anno. v. in Legibus Parallelis.

IV. *Illæ preces Deo acceptæ, quæ sanguine veri sacrificii pro peccato tinguntur.* Cornua altaris suffitus sanguine conspergenda erant.

V. *Quod peccatoris peccata & maledictionem ex voluntate Dei suscipit, fertque, peccatorem expiat.* Sanguis sacrificii pro peccato expiare dicitur.

VI. *Expiationes peccatorum sensu exiliori plures & variæ*, ut ministeriales, usu sacramentorum, preces, jejunia, eleemosynæ, typicæ *sunt.* Sed quæ per sanguinem Jesu Christi facta, est fundamentum omnium aliarum. Aliæ sine hac nihil valent. Vim ab hac accipiunt. Hæc à Lege intenditur. *Una (die) in anno è sanguine sacrificii pro peccato* הכפרים illustrium *illarum expiationum.*

VII. *Uti sanctitates typicæ gradu differebant, sic differunt antitypicæ.* Liberi fidelium sancti; Regeniti sancti; Consummati Spiritus Sancti; Angeli sancti; *Deus sanctus*, solus sanctus. Omnis sanctitatis scaturigo, exemplar, sanctorum terror Jes. VI.

LEX

* *

LEX
De Annua Expiatione,
Ut illa occurrit Levit. XXIII. 26 - 33.

§. 485. Verba hujus Legis hæc sunt: וידבר יהוה אל משה לאמר
אך בעשור לחדש השביעי הזה יום הכפרים הוא מקרא קדש יהוה
לכם ועניתם את נפשתיכם והקרבתם אשה ליהוה וכל מלאכה
לא תעשו בעצם היום הזה כי יום כפרים הוא לכפר עליכם לפני
יהוה אלהיכם כי כל הנפש אשר לא תענה בעצם היום הזה
ונכרתה מעמיה וכל הנפש אשר תעשה כל מלאכה בעצם היום
הזה והאבדתי את הנפש ההוא מקרב עמה כל מלאכה לא תעשו
חקת עולם לדרתיכם בכל משבתיכם שבת שבתון הוא לכם
ועניתם את נפשתיכם בתשעה לחדש בערב מערב עד ערב תשבתו
שבתכם *Præterea allocutus est Jehova Mosen dicendo: Verum in* (die) *decima mensis septimi hujus* (erit) *dies illarum expiationum. Hæc convocatio sancta erit vobis, affligetisque animas vestras, & offeretis ignitum Jehovæ. Ullum autem opus non facietis in ipsa die hac. Nam Dies Expiationum illa* (est) *ad expiandum vos coram Jehova Deo vestro. Omnis enim anima, quæ non afflicta erit in ipsa illa die, etiam exscindetur è populis suis. Et omnem animam, quæ fecerit ullum opus in ipsa illa die, perdam animam illam è medio populi ejus. Nullum opus facietis; Statutum seculare in generationes vestras in omnibus habitationibus vestris* (sit). *Sabbathum Sabbathi hæc erit vobis, & affligetis animas vestras* (die) *nona mensis in vespera, à vespera ad vesperam Sabbathum agetis.*

§. 486. Circa hanc Legem notamus nexum, solennitatem, tempus, cultum, consistentem in convocatione, jejunio, oblationibus, Sabbatho sanctissimo observando, durationem cum Epilogo.

§. 478. Nexum quod attinet, memorat Moses hoc capite solennitates sacras, plurimum annuas. Primo in genere v. 1. 2. Postea in specie Sabbathicam v. 3. 4. tum festi Paschalis v. 4 - 15. Insuper pentecostes v. 15 - 23. Praeterea feriarum novi anni v. 23 - 26. Porro Diei Expiationis v. 26 - 33. Denique festi Tabernaculorum v. 33 - fin.

§. 488. Solennitas Diei Expiationis εὐκαίρως intercurrit inter festum Buccinarum & festum Tabernaculorum. In illo aditus parabatur ad solennitatem expiationis. Buccinatores alta voce ad resipiscendum hortabantur. *Excitamini, excitamini è somno vestro: Evigilate è somno vestro, nam sopor vobis gravissimus immissus est. Advertite ad animas vestras & coram quo rationes in Judicio reddituri sitis.* Omnes dies, qui interfluunt, ideo dicuntur ימי תשובה *dies resipiscentiæ. Not. in Goodw.* p. 601. & 615. Dies decima agebatur sanctissima offerendo, varie se deprimendo, quiescendo. Qua finita mox celebrabatur festum Tabernaculorum, quo Judæi effuse lætati erant. Tum vero εὐκαιρία est lætandi, quando peccata remissa sunt, Deus vero est gratiosus.

§. 489. Solennitas hæc divinæ est originis. *Præterea allocutus est Jehova Mosen dicendo* &c. Juvat originem hanc bene nosse. Solennitati enim alias nequaquam tantum mysterium inesse posset. Apostolus hinc spiritui sancto δήλωσιν mysterii adscribit Heb. IX. 8.

§. 490. Solennitas hæc à præcipuo scopo יום הכפרים *dies illarum* scil. insignium *expiationum* dicitur. conf. Lev. XXV. 9. Toto quidem anno expiationes per Sacerdotes fiebant. At hac die modo singulariter illustri. Peccata totius populi expiabantur ministrante solo Pontifice in atrio, sancto & sanctissimo, quam itaque Judæi notanter appellant יומא *diem.* Sunt qui hanc diem vocant חג *festum* expiationum, sed contra stylum scripturæ. Etiam contra rei naturam. חגים *Festa* enim nomen habent à lætitia, tripudio, & opponuntur luctui Amos. VIII. 10. At Die Expiationis totus populus luctum testatus erat. Unde rectius in actis νηστεία *jejunium* Actor. XXVII. 9. dicitur.

§. 491. Tempus hujus solennitatis fixum est *dies decima septimi mensis*, juxta computum ecclesiasticum. Illud ipsum, de quo plenius dixi in Lev. XVI. 19. vid. §. 419. 420.

§. 492.

§. 492. Die hac habenda dicitur convocatio ſancta ; *Convocatio ſancta erit vobis.* Veteres vim phraſis haud aſſecuti ſunt. LXX. κλητὴ ἁγία vocata *ſancta erit vobis.* Vulgatus : *Erit celeberrimus & vocabitur ſanctus.* Conſimiliter Syrus. Sed Arabs : *Nomen ſanctum erit vobis.* Recte recedit Samaritanus : *Convocatio ſancta erit vobis*, cum quo recentiores verſiones faciunt. Junius, Schmidius, Eine heilige Verſammlung. Hos ſequimur. 1. Num. X. 2. Erunt tibi tubæ למקרא עדה *ad convocationem cœtus.* Notio alia obtinere nequit, unde ipſi LXX. vertunt ἀνακαλεῖν τὴν Συναγωγὴν, & Vulg. *Convocare multitudinem.* 2. Dein Jeſ. I. 13. קרא מקרא *convocare* vel proclamare *convocationem faſtidio.* 3. In hoc ipſo capite conſtruitur cum קרא v. 2. אשר תקראו אתם מקראי קדש *Quibus convocabitis convocationes ſanctas.* conf. infra v. 21. 37. Senſus commodus. Solennitates indicandæ erant, ut quorum intererat, noſſent officia præſtanda. Quando vero etiam dabantur convocationes communes, politicæ, de quibus vid. Num. X. hæ dicebantur מקראי קדש *convocationes ſanctæ* cultus teſtandi gratia. Inductio locorum facile probat. Phraſis enim adhibetur de diebus ſolennibus, & Sabbatho, feſto Paſchatis, Pentecoſtes, principio anni, feſto Tabernaculorum vid. v. 3. 7. 21. 24. 35. Quis non credit, populum Dei his in ſolennitatibus conveniſſe ad colendum Numen ? Tempore itaque deſtinato publica facta erat convocatio. Primo ad Tabernaculum, poſtea ad Templum, nec non ad Synagogas in uſum eorum, qui remotiores à Templo vixerant. Cœtus convocati vacaverant cultui ſacro, qui qualibet in ſolennitate præſcriptus erat. Non dubito, quin ſemper publice prælecta fuerit illa Legis ſectio, quæ jura ſolennitatis celebrandæ continuerat. Unde ſequitur Die Expiationum prælectas fuiſſe Leges Exod. XXX. 10. Lev. XVI. XXIII. 26 - 34. Num. XXIX. 7 - 12. Etenim Leges hæ divinæ fundamentum ſolennitatum agendarum. Cultus externus ſine verbo minime ſufficit. De ſolenni prælectione hujus diei juxta *Tr. Joma* C. VII. alibi actum. Nunc progredior ad partes cultus hac Lege expreſſis.

§. 493. Prima eſt afflictio animarum : *Et affligetis animas veſtras.* Etiam ſuperſedeo alia de animarum afflictione dicere, quam quæ dicta ſunt ad Lev. XVI. 29. 30. v. §. 423 - 426.

§. 494. Altera : *Et offeretis* אשה *Jehovæ.* Vox hebraica ortum habet

habet ab אש *ignis*, unde commode vertitur *ignitum* ein Feuer-Opffer. LXX. Ὁλοκαύτωμα. Vulg. *Holocaustum*. Minus distincte. Holocaustum enim notat certam sacrificiorum speciem, de qua Lev. I. distinctum à reliquis sacrificiorum speciebus, speciatim etiam fertis. At אשה quoque prædicatur de fertis Lev. II. 16. Sacrificiis Eucharisticis III. 16. pro reatu Lev. VII. 5. Dein in textu non est circumstantia, quæ *Holocaustum* determinat. Ex Lev. XVI. & Num. XXIX. liquet hac die plura pro peccatis oblata fuisse sacrificia, eaque quæ hanc diem singulariter constituerunt.

§. 495. Sed quæritur: Quodnam ergo ignitum ex pluribus intelligendum? Ratio difficultatis. *Ignitum* in singulari memoratur. Resp. Existimo vocabulum collective accipiendum esse, & comprehendere omnia sacrificia, quæ Die Expiationis igne consumebantur. Argumenta sunt. 1. אשה etiam alibi collective accipitur, tum hoc ipso capite v. 37. Hæc sunt *festa stata Jehovæ, quibus vocabitis convocationes sanctas ad offerendum ignitum Jehovæ, Holocaustum & fertum, sacrificia & libamina quodque diei in die sua.* אשה ut genus sistitur, cujus subjiciuntur specialia. Unde *Seb. Schmidius* infert scil. *Holocaustum*. conf. v. 8. 13. tum alibi Exod. XXX. 20. *ad incendendum ignitum Jehovæ*, non unum aliquid, sed omnia conf. Lev. XXII. 27. Num. XVIII. 17. 2. Plura igne consumebantur, juvencus Pontificis, hircus populi, alia, de quibus suo tempore plura ad Num. XXIX. 8 - 12. Recte igitur omnia intelliguntur. Vel quæ ratio restrictionis? Nullam video. Commode dicitur: *Vos offeretis ignita.* scil. Pontifex, Israelitæ. Ille jam dicitur, cujus sumtibus oblatio fit. Ut juvencus ære pontificiali, reliqua publica ære cœtus publico.

§. 496. אשה *ignitum* destinatum dicitur ליהוה *Jehovæ*. Plus quam tricies hæc phrasis in Lege prostat. Consimilis אשי יהוה *ignita Jehovæ* quoque est frequens. Rationem hinc arcesso, quod ignita modo singulari Dei sunt. Ex his non participat Pontifex, Sacerdos, Levita aut Israelita. Participarant de aliis. Unde *panis Dei* audit Num. XXVIII. 2. *Oblationem meam, panem meum in ignita mea odoris fragrantiæ meæ observabitis.* Homines partes suas ore consumserant. At Deus igne sacro, quo ignitum in fumum abiverat, ascenderatque in altum, eratque ob animum offerentis εὐωδία Dei, conf. Lev. I. 9. II. 2. III. 5.

§. 497.

§. 497. Tertia eſt quies : *Ullum opus non facietis in illa ipſa die* v. 28. Hoc de interdicto jam actum Lev. XVI. 29. v. §. 426. 427. Mittimus dicta ; Nonniſi exponemus, quæ hac in Lege nova. *In illa ipſa die.* Ἀκρίβεια temporis indicatur v. in h. l. v. 21. 29. 30. & alibi Gen. VII. 13. Exod. XII. 17. Iſraeli non permittebatur aliud in tempus differre ; Illa ipſa dies eaque tota nocte comprehenſa in quiete agenda erat.

§. 498. Subjicitur ratio à ſummo Beneficio petita. *Nam Dies Expiationum hæc ad expiandum vos coram Jehova, Deo veſtro.* Eſt enim ſubſtantia illud ipſum motivum, quod exſtat Lev. XVI. 30. v. dicta ad §. 469. Dies, quæ aliquando dicitur הכפרים, hoc loco כפרים *expiationum* plurimarum ceu deſtinata *ad expiandum vos* ſine exceptione & quidem *coram Jehova Deo veſtro* in Templo ſancto, ipſo ſanctiſſimo, Deo præcipiente, approbante, peccata condonante, tollente, purgante. Unde ſequitur: Tantum beneficium conferendum devincit vos ad quieſcendum, vacandum cultui divino. Ratio hæc poteſt quoque extendi ad officium jejunandi & ignita Deo offerendi. v. 27.

§. 499. Legislator pergit Iſraelem movere, ſed rationibus à graviſſimo damno ſumtis. Et primo quidem ita movet ad affligendum animas v. 29. *nam omnis anima, quæ non afflicta fuerit illa ipſa die, etiam exſcindetur è populis ſuis.* Subjectum ergo pœnæ eſt *omnis anima, quæ non afflicta fuerit illa ipſa die.* Anima exprimitur & intelligitur homo, qui à potiore parte ſæpius נפש dicitur. Oncelos vertit אנש *homo.* Jonathan בר נש *filius hominis* (quomodo in N. Teſtamento υἱὸς ἀνθρώπου). Eligebatur vocabulum נפש *anima*, quoniam lex data : *Affligetis animas.* In quo vero *afflictio animæ* conſiſtat, dictum in Lev. XVI. §. 423 - 426. Nihil addo, niſi verba Hieroſolymitani : *Omnis anima* דכמסת למצום *quæ ſufficit, ut jejunet & non jejunaret.* Recte ergo excipit hominem, qui impar eſt afflictioni vel ob ætatem, vel ob morbum, aut aliam ſufficientem cauſam.

§. 500. Pœna graviſſima ונכרתה מעמיה & *exſcindetur è populo ſuo.* Sæpius ita occurrit, ut perſonæ exſcindentis nulla expreſſa fiat mentio. Veroſimillimum mihi videtur haud intelligendam eſſe pœnam humanam ſive politicam ſive eccleſiaſticam. Alioquin lex

præciperet: *Tu exſcindes*, vel *vos exſcindetis*, ut legimus Deut. XIII. 10. *Lapidabis* Lev. XXI. 9. *Combures* Deut. XIII. 9. *Occides.* Nec exſtat inter ſupplicia Synedrii. Pœna ergo intelligenda eſt divina. Unde ſæpius Deo attribuitur Lev. XVII. 10. *exſcindam eum è medio populi* conf. XX. 3. 5. 6. &c. Quæ vero pœna illa divina ſit, à multo tempore quærebatur? Jonathan מותנא *peſtem* intelligit. Puto certam ſpeciem haud eſſe, ſed pro varietate delicti & ſtatus & delinquentium ex juſto Dei Judicio variare. Proxime ad כרת *excidium* acceſſerat ſubitaneus & acutus morbus, quo Moſes filiolum ſuum non circumcidens correptus erat Exod. IV. 24. כרת *excidium* actu erat ſubitanea filiorum Aharonis mors, facta igne è facie Domini exeunte Lev. X. 2. conf. XX. 5. non tamen ſine ſpe ſalutis æternæ, utpote delictum haud erat *manu elata*, quale ſecum fert mortem, non tantum temporalem, ſed & æternam. Num. XV. 30. 31. conf. Hebr. X. 26. 27. Liberi ab hac pœna, Judæis judicibus, habentur, qui ex ignorantia hoc ipſum agunt, quod alii animo protervo. Iidem tamen obligabantur ad ſacrificium pro peccato. *V. Not.* 19. *in Goodw. L. III. C. IV.* 19.

§. 501. Quando vero additur מעמיה *è populis ſuis* conf. Gen. XVII. 14. Exod. XXXI. 14. vel alibi *ex Iſraele* Exod. XII. 15. *è cœtu Iſraelis* Num. XIX. 20. *è medio cœtus.* Videtur pœna hæc etiam poſteritatem ferire, ita ut rei hujus pœnæ ἄτεκνοι moriantur, vel liberi, ſi quos habent, ſimul tollantur. V. Exemplum Num. XVI. 32.

§. 502. Notatu digna ſingularis conſtructio: *Omnis anima, quæ non affligetur illa ipſa die* ונכרתה *& exſcindetur è populis ſuis.* Quare non ſimpliciter *exſcindetur*, ſed *& exſcindetur?* Noto tanto magis, quod ſæpiſſime in Moſe recurrat. Gen. XVII. 14. Exod. XII. 15. 19. XXXI. 14. Lev. VII. 20. 21. 27. 28. XIX. 8. XXII. 3. Num. IX. 13. XV. 30. XIX. 13. 20. Quid ſibi vult? An ו redundat? Nollem dicere. Studio poſitum eſſe colligo ex tot locis. An cum Noldio verterem: *Omnino.* Non placet ex conſimili ratione. Hebræi notionem *omnino* aliter indicant. Mallem particulæ ו adſcribere ſignificatum *tandem*, quaſi lex hoc doceret; Reum excidii pœnam non effugiturum, licet non ſtatim immittatur. Vel *etiam* ſenſus eſſet, reus excidii non ſolum varia ſentiet mala, Eccleſia, Synedri-

nedrium eum non impunitum dimittet, *etiam* exſcindetur. Hæc pro conjecturis nonniſi habeo. Malo hoc de problemate doceri, quam docere.

§. 503. Simillimum motivum ad quietem curate obſervandam v. 30. *Et omnem animam, quæ fecerit ullum opus in illa ipſa die, perdam animam illam è medio populi.* Subjectum pœnæ eſt *omnis anima, quæ fecerit ullum opus in illa ipſa die.* Nulla indiget explicatione. Lex nullam admittit προσωποληψίαν *omnis anima.* Nullum excipit opus commune, *nullum opus*, pœnæ ſubjicit omnem *facientem* contra Legem.

§. 504. Explicatione nonnihil indiget pœna: *Et perdam animam hanc è medio populi ſui.* Judex claris verbis proponitur *Jehova*, ceu qui Legem hanc Moſi dat v. 26. qui alibi audit יהוה מאביד *Jehova perdens* Deut. VIII. 20. unde confirmor per *anima exſcindetur* pœnam intelligendam eſſe divinam. A textu originali recedunt LXX. Syrus, Vulgatus, qui in tertia Perſona vertunt *peribit.* Voci ineſſe notionem *perdere* conſtat ex Synonymis נתץ, נתש, חרם Jer. I. 10. XVIII. 7. Ex oppoſitis בנה, נטע *ædificare*, *plantare* Jer. I. 10. Quando האביד ſola exſtat, ut etiam hic, in latiori ſignificatu accipienda & notat non ſolum privare priori cura, protectione, bono Jer. L. 6. Oves אובדות *perditæ*, ſed inſuper *tollere*, ut non amplius ſit, ſaltem in fruitione prioris felicis ſtatus. Triſtiſſima ſpecies perditionis divinæ eſt animam & corpus in gehenna perdere, Matth. X. 28. quæ valet de audacibus transgreſſoribus Legum divinarum, ut Sabbathi. Conveniunt pœnæ v. 29. *Exſcindetur è populis ſuis*, & hæc: *Perdam animam è medio populi.* Alia non addo.

§. 505. Quam curate quies obſervanda ſit denuo colligitur ex v. 31. a. *Nullum opus facietis.* Voluntas enim divina ex ſuperioribus jam conſtabat. Schmidius vertit: *Ullum* (*itaque*) *opus non facietis*, conſiderans tanquam conſectarium.

§. 506. Duratio præcipitur: *Statutum ſeculare ad generationes veſtras in omnibus habitationibus veſtris* v. 31. b. *Statutum ſeculare* durante ſeculo œconomiæ V. Teſtamenti, ut alibi probavi Lev. XVI. 34. §. 415. *Ad generationes veſtras*, quam diu poſteri diſtinctam gentem & eccleſiam conſtituent v. dicta ad Exod. XXX. 10. §. 482.

§. 507. Nondum occurrit determinatio loci : *In omnibus habitationibus vestris*, quæ recte intelligenda est. Non de tota Lege ut expiatione per sacrificia, ceu quæ alligata ad unum locum, olim Tabernaculum, postea Templum, sed de servanda quiete, servando quoque jejunio. Israelitæ quasdam solennitates sacras nonnisi in uno loco agere poterant, ut mactare agnum paschalem, sed aliæ ubique locorum agendæ. Unde lex distincte ait : *In omnibus habitationibus vestris* v. Exod. XII. 20. Abstinendum erat à fermento non solum in loco sacro sed omnibus in locis, in quibus Judæi habitabant. Eadem ratio Sabbathi communis v. Lev. XXIII. 3. Docet itaque lex hæc Israelitas non teneri ad comparitionem in Templo Die Expiationis, ut in festis, unumquemque in ædibus suis hanc diem jejunando & quiescendo observare debere.

§. 508. Clauditur Epilogo v. 32. *Sabbathum Sabbathi hæc erit vobis, & affligetis animas vestras* (die) *nona mensis in vespera ; A vespera ad vesperam Sabbathum agetis.* Tradente diei præstantiam, communia officia, eorumque curatum tempus.

§. 509. Præstantia diei : *Sabbathum Sabbathi hoc vobis*, sive dies hæc singulariter quiescendo agenda erit. V. plenius dicta ad Lev. XVI. 30. §. 441.

§. 510. Ex officiis communibus primum : *Et affligetis animas vestras.* Quod tanto magis monendum, eoquod alia Sabbatha non obligent ad afflictionem animæ : Liber erat usus cibi potusque. De hoc officio sæpius actum.

§. 511. Alterum : *Sabbathum agetis.* Hebraice *Sabbathizate Sabbathum vestrum.* More in lingua Hebraica non inusitato, uti *lætari lætitiam* 1. Reg. I. 40. Quies jam præcepta simplici verbo ; *Quiescetis.* Intenditur præceptum addendo *Sabbathum vestrum* à Deo vobis mandatum.

§. 512. Curatior determinatio temporis in verbis : *In die nona mensis in vespera ad vesperam*, nonnihil difficilior. Nonnulli referunt nonnisi ad Sabbathum, ut Oncelos, LXX. Syrus, Tigurini, Lutherus, Piscator, S. Schmidius. Alii nonnisi ad jejunium, uti Arabs. Alii distinguunt, ex his Vulgatus : *Affligetis animas vestras die nono mensis. A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.*

Hic

Hic satis convenienter. Sensus facilis est, & cuique officio suum assignat tempus. Attamen accentus *Atnach* favet prioribus, ceu qui legitur sub voce נפשתיכם, desinit adeoque ibi periodus.

§. 513, Tempus ergo solennioris hujus Sabbathi *in nona mensis* septimi *in vespera.* Studio subjicitur בערב *in vespera*, ne quis putet Sabbathum jam incipere die nona, quod vero contrariatur Legi expressæ, tum supra v. 27. tum Lev. XVI. 29. Ergo intelligendus finis diei nonæ, qui conjunctissimus cum initio diei decimæ. Et ut Israel exactissime sciat integrum νυχθήμερον intelligi, superadditur *à vespera ad vesperam.* Alias minus propensus ad jejunium & Sabbathum potuisset oggerere & dicere, dies quidem observanda est, unde vocatur Dies Expiationis. At dies nonnisi continet illud tempus, quo sol horizontem illuminat, Gen. I. 5. vocavit Deus lucem יום *diem.* Verum phrasis *à vespera ad vesperam* ejusmodi objectionem præscindit. Insuper ex hac phrasi liquet, Hebræos dies inchoasse ac finisse sub vespera. Sine dubio secuti erant historiam creationis, juxta quam nox diem præcesserat. v. Gen. I. 5. 8. 13. &c. Quando vero iidem colligunt, addendam fuisse partem diei nonæ, quia lex habet בערב *in vespera*, solicitudo hæc haud carpenda, si, quæ alias essentiam officii constituunt, probe observantur. Tutius est tempori à Deo definito partem addere, quam adimere.

§. 514. Porismata è v. 26 - 33. Lev. XXIII.

I. *Pie Ecclesia Judaica statuit Diem Expiationis majori cum παρασκευῇ servandam esse.* Nulla sacra illotis manibus & derepente adeunda sunt.

II. *Dei est mutare tempora, populo suo solennitates sacras, maxime mysticas, præscribere* v. 26. 27.

III. *Dei solius est peccata nostra expiare. Qui vero expiationis participes fieri desiderant, cœtui sancto se associare, Deum bonis suis honorare, concupiscentias carnis affligere & cultui vacare tenentur* v. 27. 28.

IV. *Ut qui ἀξίως & juxta Legem peccatorum remissionem, purgationem quærit, eam accipit; Ita qui ἀναξίως & contra Legem dicta beneficia cupit, non solum ea non accipit, sed incidit in horribile judicium divinum.* Anima ejus exscindetur, Deus perdit eam.

V. *Deus ignitis, quæ fœderati ei offerunt, non delectatur, nisi ex animo se deprimant, concupiscentiis carnis, lucro renuntient ac se totos cultui dent.* v. 27. 29. 30.

VI. *Deus non est* Προσωπολήπτης *in populo suo.* Condonat peccata *omnibus*, νομίμως quærentibus. Gravissime animadvertit in omnes ἀνόμως exspectantes. כל *Omnis anima exscindetur, omnem animam perdam.* v. 29. 30.

VII. *Expiatio peccatorum restricta erat ad certum locum; At quæsitio & applicatio libera omnibus in locis.* In omnibus habitationibus vestris. v. 31.

VIII. *Repetitiones Legum, officiorum, interminationum*, quæ nobis videntur supervacaneæ, sapientissimo legislatori visæ sunt utiles & tantum non necessariæ. Propendemus enim ad oscitantiam, oblivionem, incuriam, faciles ad sperandum, difficiles ad metuendum. Solum hac in Lege Lev. XXIII. tertia vice *afflictio animarum* v. 27. 29. 32. quinta vero *Sabbathum* v. 28. 30. 31. bis 32. inculcatur.

LEX

* *
* *

LEX
De Die Expiationum ſacra ad indicendum Jubilæum, uti exſtat Lev. XXV. 9. 10.

§. 515. Verba hæc ſunt : והעברת שופר תרועה בחדש השבעי בעשור לחדש ביום הכפרים תעבירו שופר בכל ארצכם וקדשתם את שנת החמשים שנה וקראתם דרור בארץ לכל ישביה יובל הוא תהיה לכם ושבתם איש אל אחזתו ואיש אל משפחתו תשבו *Et facies, ut perſonet Buccina Clangoris fracti in Menſe ſeptimo* (die) *decima menſis. In die* (inſignium) *illarum expiationum facite, ut perſonet Buccina per totam terram veſtram. Et ſanctificabitis annum quinquageſimum & proclamabitis libertatem in terra omnibus inhabitatoribus ejus. Jubilæum hoc erit vobis & redibitis quisque ad poſſeſſionem ſuam & quisque ad familiam revertemini.*

§. 516. Notamus nexum, mandatum buccinandi, tempus, locum, ſanctificationem anni L. proclamationem libertatis, rationem & beneficia.

§. 517. Deus, qui Iſraeli ſolennitates hebdomadales, menſtruales, annuas præſcripſit, ordinavit quoque alias ſingulis nonniſi ſeptem annis & quovis quinquageſimo recurrentes, annos ſcil. ſabbathicos & jubilæos. Legibus his probaverat divinus legislator terram Domini eſſe, de cultura ejus pro liberrimo diſponere arbitrio, populum morigerum divina vivere benedictione, communionem in Iſraele eſſe ſervandam, pauperibus, ſervis reſtituenda eſſe bona & libertatem.

§. 518. Id vero, quod ex inſtituto noſtro ſingulariter notandum eſt, quod gratioſiſſima hæc lex ipſa Expiationum Die publica per univerſam terram fuerit publicanda. Profecto latet myſterium.

§. 519.

§. 519. Exſtat Mandatum: *Et facies, ut perſonet Buccina clangoris fracti.* Inſtrumentum dicitur שופר *Buccina*, pulchrum vel auribus gratum edens ſonum, eumque ſonorum Jes. LVIII. 11. diſtinguitur à חצצרת *tuba* 2. Chron. XV. 14. vid. *Goodw. M. & A. L. III.* Cap. VII. N. 3. Uſus ejus tum politicus ad convocandum milites, tum ſacer, quemadmodum hoc loco.

§. 520. Pro vario inflatu varius editur ſonus. Hic editur תרועה. Vulgatus verſionem vocis prorſus omittit, LXX. hoc loco per φωνὴν, Oncelos per יבבא *jubilationem*, Syrus per *ſonum*, Arabs *crepitantem*, Jun. *Clangorem*, Schmid. *Vociferationem*, Tig. Schall. Ad illos accedo, qui exiſtimant diſtinctum ab alio ſonum notare. Legitur enim Num. X. 7. quando congregatis congregationem תתקעו ולא תרועו. Ergo alius intelligendus eſt ſonus per תקיעה; Alius vero per תרועה. Dein novilunium tiſri reliquis præſtantius nomen hinc habet, *dies* תרועה Num. XXIX. 1. conf. Lev. XXIII. 24. à certo, qui tum perſonabat, ſono. Quis vero ille? Fractus juxta *Raſchium* Num. X. Alius à תקיעה *æquabili*. Quare LXX. ſæpius transferunt ἀλαλαγμὸς *vociferatio*. In ſacris tum vulgo adhibetur, quando ſonus ſingulariter ſonorus indicatur Jos. VI. 8. Eſr. III. 11. Amos I. 14. Jer. IV. 19. Fractus vero magis convenit, quam æquabilis.

§. 521. Hoc de ſono præcipit lex תעברת *facies transire*. Ob defectum campanarum, quæ apud nos in uſu, priſci Judæi inflaverant Buccinas hoc vel illud indicaturi. Quem in finem Jubilæum indicebatur ſono Buccinæ fracto, qui dicitur *tranſire*. Sonus enim per aërem huc illuc tranſit v. Exod. XXXVI. 6. Conſimilis phraſis Exod. XIX. 9. *Vox Buccinæ* הולך *ibat*. Junius commode transfert *perſonare*. Atque ita facta eſt הכרזה *promulgatio* Jubilæi, ut Raſchius notat.

§. 522. Mandatum hoc ſingulariter effertur *tranſire facies*, ſtatim infra pluraliter *tranſire facietis*. Haud male *Maim. de anno Jubilæo* Cap. I. 10. מצות עשה לתקוע בשופר בעשירי לתשרי בשנת היובל ומצוה זו מסורה לבית דין תחלה שנאמר והעברת שופר תרועה וכל יחיד ויחיד חייב לתקוע שנאמר תעבירו שופר *Præceptum affirmativum eſt clangendi Buccina die decima tiſri in anno Jubilæo, hoc autem præceptum ab initio*

tradi-

traditum est synedrio. Est enim dictum (Lev. XXV. 9. a.) facies, ut personet clangor sonus fracti. *Etiam quivis privatus clangere debet, quia dictum est* (Lev. XXV. 9. b. *in plurali*) facite, ut personet tuba in tota terra.

§. 523. Tempus curate determinatur quoad mensem, ejusque diem, hujusque notatu dignissimam solennitatem. Mensis erat *septimus*, juxta computum ecclesiasticum, sed juxta æram à mundo condito primus, tisri dictus, ut jam observatum ad Lev. XVI. 29. §. 418. & Lev. XXIII. 27. Dies vero *decimus* v. *loc. cit.* Solennitas notatu dignissima dies hic, *dies* illustrium *illarum expiationum.* Circumstantia hæc temporis singulariter tenenda est. Annus jubilæus probabiliter jam inceperat cum initio hujus mensis, ficuti Judæi tradunt in Tr. ראש השנה C. I. 1. At Clangor Buccinæ ad libertatem proclamandam restringebatur ad Diem Expiationis. Non antea; Non etiam postea edebatur. Sine dubio, singulari gravi ex causa. Levior est, quam ut intentionem legislatoris exhauriat, quam *Raschius* dat, scil. exprimi diem decimum & simul Diem Expiationis, ut sciam Clangorem Buccinæ pellere Sabbathum per totam regionem, clangorem vero Buccinæ, qui edebatur in principio anni, haud pellere Sabbathum per totam regionem, nonnisi in domo Judicii. Clangor hic Buccinæ omnino Die Expiationis tantum edendus erat, ceu qui optime convenit cum gratia Dei erga populum, tum restituebantur agri, tum manumittebantur servi, quando Deus peccata remiserat, gratiam promiserat. Vel tum vel nunquam populus propensior ad fratribus gratiam faciendum. Sed de hoc Themate plura in mysterio.

§. 524. Parum refert, num conjunctim sumas tempus determinatum hoc modo: *Facies, ut personet Buccina Clangoris fracti in mense septimo die decima mensis in die* (insignium) *illarum expiationum.* An vero divisim sequente modo: *Facies, ut personet Buccina Clangoris fracti in mense septimo die decima mensis. In die* (insignium) *illarum expiationum facietis, ut personet Buccina per totam terram vestram.* Pro priori stant *Vulgatus*, *Lutherus*; At pro posteriori *Oncelos*, *LXX. Syrus*, *Junius*, *Tigurini.* Probo hic multitudinem. Distinctio est commodior. Favet accentus. Priores partem secundi membri pro redundante habent, ceu quam vertere omittunt, quod omnino improbandum. Clare distincta est lex. *In Die Expiationis facite, ut Buc-*

cina perſonet per totam terram veſtram. Mandatum hoc pluraliter effertur. Id vero, quod in antecedente ſingulariter, ut jam ſupra notatum. Et quia additur *per totam terram veſtram*, clare hinc colligendum eſt, non uno in loco, velut Tabernaculo, Templo, Curia Buccinam eſſe inflandam, ſed paſſim. Omnes teneri ad hunc Clangorem. Magnus itaque Strepitus per Canaan edebatur. Quando autem Judæi novem vices (juxta *Maimon. de anno Jubilæo* C. l. 10. תוקעין בשופר תשע *novies Buccina clangunt*) numerant, ego numeri rationem ignoro. Lex de his ſilet.

§. 525. Alligatus erat hic Clangor ad terram Canaan *per totam terram veſtram.* Conſtitutiones Juris Judaici quoad loca admodum variant. Aliæ ad ſanctiſſimum; Ad ſanctum aliæ; Rurſus aliæ ad atrium, Hieroſolymam, caſtra, terram Canaan adſtrictæ ſunt; Aliæ obtinent quovis in loco. Clangor Buccinæ, de quo hic agimus, edendus per totam terram Canaan, unde ſequitur terra Canaan nondum occupata, anno occupationis XLIX. nondum elapſo, præcepti hujus nullum fuiſſe uſum. Nullum quoque eſſe Judæis expulſis. Inter Jura Jubilæi numerabatur agrorum reſtitutio. Hæc vero ceſſat terra non occupata.

§. 526. Memorata die ſanctificandus dicitur annus L. *Et ſanctificabitis annum quinquageſimum.* In textu originali hebraiſmus eſt auribus noſtris ingratus. *Annus quinquageſimus annus.* Statim recurrit v. 11. conſimilis Gen. VII. 11. *In anno ſexcenteſimo anno.* Vulgatus cum aliis recte Hebraiſmi nullam habet rationem. Annus dicitur *ſanctificandus* vel diſcernendus à communi, ut Deo ſit ſacer. Jura divina præſcripta tum præſtanda. Neque enim Judæis licitum erat anno hoc quinquageſimo vivere, ut aliis in communibus annis. Quando præceptum *ſanctificabitis* pluraliter effertur, recte colligimus plures ad ſanctificandum teneri, quanquam ἐυταξία etiam poſtulaverit, ut Magiſtratus ſolenniter & primo aliis ſanctificando præiret. Commode itaque obſervavit Raſchius ad h. l. ſanctificabant annum quinquageſimum in domo Judicii & dicebant מקודשת השנה *annus eſt ſanctificatus.* Communis vero ſanctificatio Jubilæi facta eſt precatione à cœtu ad Deum fuſa, reſpiciente ſolennitatem hanc. *Matthæus Beck in Conſt. de anno Jubilæo ex Maimon.* publicatis p. 43. notat easdem dictas fuiſſe preces in Jubilæis, quæ in novo anno.

Allego

Allego nonnisi sequentes : *Benedictus tu Domine, Deus noster, rex mundi, qui nos per præcepta tua consecrasti ac jussisti audire sonum Buccinæ omnisque populus dicit, Amen.*

§. 527. Annus ergo Jubilæus, qui sanctificandus præcipitur, est quinquagesimus, non quadragesimus nonus, ut ex Christianis quidam opinantur. Expresse enim lex nostra : *Sanctificabitis annum quinquagesimum.* Repetitur statim v. 11. vid. alias rationes *in Not.* 1. *ad L. III. C. X. in Goodw.* vid. quoque *Meyerum in Diatr. de Festis* Cap. XVII. p. 396.

§. 528. Hac ipsa Die Expiationis proclamanda quoque erat libertas : *Et proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus.* Voci דרור vulgo & recte notio *libertatis* tribuitur. Maxime huc facit Jer. XXXIV. 8. 9. Ad proclamandum דרור *libertatem* לשלח *ut dimitteret*, libertati restitueret, *vir servum suum & vir ancillam suam Hebræum & Hebræam* חפשים *liberos, ut non servos faceret eos*, scil. *Judæum fratrem vir.* Confirmatur statim infra v. 14 - 18. Alias lucem ex radice vel linguis cognatis non habet. Exigua est, quam affundere vult Raschius h. l. מהו לשון דרור כמדייר בי דיירא וכו׳ שדר בבל מקום שהוא רוצה ואינו ברשות אחרים *Quid vult* דרור ? Explicatur dicto Talmudico (v. *Lex. Talm.* p. 518.) *sicut is, qui divertit, quocunque vult*, i. e. *qui divertit in quovis loco, ubicunque vult, nec ipse in aliorum est potestate.*

§. 529. Libertas hæc generatim proponitur : *Proclamabitis libertatem.* Sed in quo constitit hæc libertas? Recte sistitur in manumissione servorum. Etenim inter Privilegia Jubilæi hoc exstat v. 40. 41. Judæi ita accipiunt. Nollem tamen restringere ad hanc solam libertatem. Non restringit lex, quin extendit. Statim enim additur : *Redibitis quisque ad possessionem suam.* Fundus igitur, Ager, quem quis ad Jubilæum usque possederat, restituebatur pristino possessori. LXX. generaliter transferunt ἄφεσις, Vulgatus : *Remissio.* Remittebantur jura in homines & res, quæ ante Jubilæum tenuerant.

§. 530. Quæritur : Quinam servi manumittendi? An omnes? An quidam & quinam? Non simpliciter omnes. Excipiuntur infra v. 44. 45. servi ex vicinis populis, qui hæreditario jure ad poste-

ros transeunt, constituuntque perpetuam possessionem, nunquam terminandam. Intelliguntur servi Hebræi. conf. Jer. XXXIV. 9. Omnes tamen Hebræi, cujuscunque speciei fuerint, vel qui ex gentibus ad Hebræos transiverant, aut qui seipsos vendiderant, vel qui ob delictum venditi fuerant; Etiam qui spontaneam servitutem לעולם auribus perfossis promiserant. Nec refert, num annus servitutis sextus impletus fuerit. Si pauco tempore in servitute vixerat, anno Jubilæi dimittendus erat. v. *Not.* 4. *in Goodw. Lib. III. C. X.* Judæi hoc servorum Privilegium solide probant Lev. XXV. 4. usque ad annum Jubilæi serviet tibi. *Post exibit à te, ipsi & liberi ejus cum eo.* Videtur obstare lex de servo spontaneo non dimittendo, etiam לעולם *in æternum* vel *perpetuum* Exod. XXI. 6. Judæi, ex quibus etiam *Raschius* ad h. l. talem quoque mittendum esse judicant. Et recte. Nam lex generalis includit speciales, nisi exceptio locum habeat. At lex Lev. XXV. generalis est. Excipit tantum servos ex vicinis populis, ut supra dictum, non vero excipit servum spontaneum. Vox עולם, quæ exstat Exod. XXI. 6. non absolute perpetuitatem vel æternitatem notat, sed tempus longius, indeterminatum 1. Reg. I. 31. vel tempus determinatum, quod Jubilæum, notante *R. Menahem apud Ainswortum ad h. l.*

§. 531. Digna est, quam Judæi relinquunt, traditio, quæ exstat apud *Maim. in Tract. de anno Jubilæo* C. I. 10. מראש השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים נפטרים לבתיהן ולא משתעבדים לארניהן ולא השדות חוזרות לבטליהן אלא עבדים אוכלין ושותים ושמחים ועטרותיהם בראשיהם כיון שהגיע יום הכפורים· תקעו בית דין בשופר נפטרו עבדים לבתיהן וחזרו שדות לבעליהן *Ab initio anni* (puta politici, qui in tisri incepit) *usque ad Diem Expiationis servi ad domos suas non dimittebantur, non tamen etiam dominis suis serviebant. Neque agri Dominis suis restituebantur. Sed servi* (interea) *edebant, bibebant, lætabantur, coronas in capitibus suis gestantes. Postquam vero advenerat Dies Expiationis, Synedrium buccina clanxerat, tum servi dimittebantur ad domos suas, & agri redibant ad dominos suos.* Docet traditio, quod solennitas hæc præcise Diei Expiationis alligata fuerit. Mirum videri posset, quum alias Dies Expiationis in alto silentio & jejunio transigenda fuerit. Hac vero personabat per totam terram

clan-

clangore fracti soni. Hoc postulat lex קראתם *proclamabitis*, alta voce promulgabitis instare nunc libertatem. Quo sine dubio *Jesajas* respicit Jes. LXI. 1. 2.

§. 532. Proclamatio faciunda *omnibus habitatoribus* terræ, ut omnes gratiosam hanc voluntatem Numinis sciant, adimpleant, Domini servos dimittant, agros restituant, servi servitute exeant, pauperes agros suos denuo adeant. Omnibus igitur hæc voluntas sacerrima die proclamanda erat, ne quis se ignorantia excuset.

§. 533. Quando vero Maimon. ex verbis *omnibus habitatoribus* terræ deducit sequens consectarium: משגלה ראובן ושבט גד וחצי שבט מנשה בוטלו היובלות שנאמר וקראתם דרור בארץ לכל יושביה בזמן שכל יושביה עליה והוא שלא יהיו מעורבבין שבט בשבט אלא כולן יושבים כתקנן *Ex quo Ruben, tribus Gad & dimidia tribus Manasse in exilium deductæ sunt, abrogati sunt anni Jubilæi, eo quod scriptum* Lev. XXV. 10. Proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus scil. *illo tempore, quo omnes habitatores ejus in ea* (habitant) *& quo tribus impermixtæ sunt, ac omnes* (possident) *portionem sibi assignatam.* Ego illud non formassem. Poterat enim voluntas promulgari omnibus, qui terram inhabitaverant; Tanto magis, quod terra Rubenitarum, Gaditarum & dimidiæ tribus Manasse proprie ad terram Canaan haud pertinuerit. Quia annus Jubilæus divitibus molestus exstitit, videntur sub tali prætextu ejus abrogationem quæsivisse.

§. 534. Omnium antecedentium vera dicitur ratio; *Jubilæum hoc erit vobis* Plures interpretes vocem Hebraicam retinent, ut Oncelos, Samaritanus, Vulgatus. LXX. vertunt annus ἀφέσεως, Lutherus Hall-Jahr, Berlenburgenses Jubel-Jahr. Sunt qui deducunt à R. יבל in Hiphil הוביל *adduxit*; Annus enim Jubilæus rursum libertatem, agros adfert. Non placet. Vox יובל enim exstat etiam iis in locis, in quibus nullus respectus ad restitutionem Exod. XIX. 13. Jos. VI. 6. Hebræi, quos *Coccejus* sequitur, habent pro *ariete.* Notio quidem hæc demonstrari nequit; Attamen commode stare potest. Sistitur ut instrumentum, quod inflatur. Distinguitur tamen à שופר *buccina* Jos. VI. 4. 6. distinguitur quoque à קרן *cornu* Jos. VI. 5. unde sequitur, quod certi animalis cornu sit intelligendum. *Bochartus* per *Bubulum* exponit. Malo *arietinum*, pro

 quo

quo ſtat gens Judaica, ac ejus praxis per plurima ſecula. Non video rationem, quare Judæis in ejusmodi Traditionibus nulla ſit fides habenda. Objicit *Bochartus* cornua arietum ſolida, adeoque ad inflandum inepta eſſe: At Judæorum praxis probat apta formari, quæ φύσει non ſunt: Solida quidem ſunt in mucrone, ſed arte excavantur docente experientia. Annus vero quinquageſimus dicitur יובל *Jobhel* eo quod ex præcepto divino cornibus arietum per totam terram Canaan ſonus fractus edendus fuerit. Hoc vero ſono edito ſervi actu manumittebantur, agri reſtituebantur. Unde annus *Jobhel.* Ipſe quidem olim habueram pro ficta voce, imitante ſonum v. *Not. 2. in Goodw. Lib. III. C. X.* A voce hac ſine dubio *jubilo, jubilatus, jubiliren* oriuntur.

§. 535. Beneficia anni Jubilæi ſtatim memorantur duo: Ex his primum: *Redibitis quisque ad poſſeſſionem ſuam.* Vox אֲחֻזָּה in genere notat *poſſeſſionem* vel *bonum*, quod quis juſto titulo poſſidet, qualis eſt ex donatione divina Lev. XIV. 34. contractu Gen. XXIII. 9. Hæreditate Lev. XXV. 40. Num. XXVII. 7. Quæritur, qualis poſſeſſio, quæ in Jubilæo reſtituitur, intelligenda ſit? Quæ ex agris conſtat & jure hæreditario Hebræi eſt: *Ad poſſeſſionem patrum ſuorum redibit* v. 41. Etiam quæ ex domibus ſed in agro, non in urbe cincta v. 29 - 32. Alia bona, ut pecunia, vaſa argentea & conſimilia ante Jubilæum alienata haud reſtituebantur. Jubilæum in hoc differt ab anno ſabbathico, qui remittit debita, non illud. Hinc nulla fit mentio debiti remittendi in Lege prolixa de juribus Jubilæi. Maimon hoc ipſum tradit יתירה שביעית על היובל שהשביעית שמטת בספים ולא יובל *potior eſt conditio anni ſabbathici, quam Jubilæi, quod annus ſabbathicus remittat debita pecuniaria. At non Jubilæum.* Traditio hæc in rei natura fundata eſt. Annus enim, qui proxime Jubilæum antecedit, ſabbathicus eſt, hoc vero debita remittuntur. Ergo nullus locus remittendi in Jubilæo, ceu quod immediate ſequitur.

§. 536. Beneficium reſtitutionis agrorum erat toti genti commune. Redibitis איש *quisque ad poſſeſſionem ſuam.* Non unus præ altero hoc privilegio gaviſus erat. Vocula איש latæ ſignificationis *unusquisque* ut Gen. X. 5. איש ללשנו *vir juxta linguam ſuam*, hoc eſt, *unus-*

unusquisque. Comprehendit quoque h. l. ſexum fœmininum. Caſus erat dabilis. v. gr. Fingamus Filiam N. quæ nullos habuerat fratres ante Jubilæum agris majorum caruiſſe. Tum Jubilæum ei reddiderat Num. XXXVI. 2. Vocula hæc ſæpius connotat ſexum muliebrem Exod. XIX. 13. Pſal. I. 1. & clariſſime in beneficio Jubilæi, quod ſtatim ſequitur.

§. 537. Secundum ואיש *& quisque ad familiam ſuam revertimini.* Filiæ æque ac filii vendebantur ad ſerviendum: Quare etiam privilegio manumiſſionis gaviſæ erant, Jer. XXXIV. 9. Deut. XV. 12. Vox משפחה, quam LXX. πατριὰ vertunt, notat homines, qui eosdem majores habent, qui adeoque ſanguine ſibi conjuncti ſunt. Diſtinguitur tamen à שבט *tribu* Deut. XXIX. 17. 18. Jos. VII. 14. Diſtinguitur quoque à בתים *domibus* Jos. VII. 14. *Tribus* plures comprehendit משפחות *familias.* Familia plures domos. Servi & ſervæ tempore ſervitutis extra familiam vitam ſervilem gravem duxerant. Beneficio Jubilæi manumittebantur & denuo revertebantur ad conſanguineos, duxerantque honeſtiorem liberam vitam.

§. 538. Porismata è v. 9. 10. in Lev. C. XXV.

I. *Licet gratioſum Numen omni die peccatori credenti & Deum colenti gratiam ſuam offerat largiaturque; Attamen dies diem gratia ſuperat.* Iſraelita ſingulis diebus per totum annum, magis die Sabbathi, magis adhuc die feſti ſolenniori, maxime Die Expiationis, omnium maxime in Die Expiationis in anno Jubilæo gratiam Numinis quæſiverat, acceperatque. Sapiens is, qui εὐκαιρίαν obſervat, refertque ad ſuum uſum. Solus ſapiens ſapientes nos reddat!

II. *Qui omnia molitur tempore opportuno, ipſe καιροὺς notavit, non ſine ſapientiſſima ratione in Iſraele ordinavit diem ſeptimum, menſem ſeptimum, annum ſeptimum, annum ſepties ſeptimum, hoc vero finito demum Jubilæum.* Hic ſapientia! dona ſapientiam!

III. *Dominus Sabbathi Sabbatho noſtro delectatur. Sabbatho varie benedicit*, dando terreſtria, corporalia, ſpiritualia beneficia. Benedixit omnibus Sabbathis. Integros dies, plures annos, imo integros annos ſancte otioſos mandavit, promiſitque tanquam benedictionem ſine labore noſtro. Labore noſtro nihil valemus. Benedictio Dei ditat. *Probe igitur memores ſimus Sabbathi.*

IV. *Sab-*

IV. *Sabbathum enim est divinus aditus ad benedictiones Jehovæ. Quo major quies in Domino, tanto major benedictio.* Duo integri anni, XLIX. & L. jura Sabbathi habuerant. Anno quinquagesimo sabbathico Jubilæum ex mandato divino celebrandum erat.

V. *Jubilæum vere annus εὐδοκίας.* Totum Deo sacrum. Nullum in populo Dei æs alienum. Nulla servitus. Paupertas nulla. Omnes liberi, possessores terræ Canaan juxta sortem divinam.

VI. *Ingentem felicitatem, libertatem, possessionem soli debemus expiationi per sanguinem Jesu Christi, & introitum in cœlum.* Unde Jubilæum adstrictum erat ad Diem Expiationis.

VII. *Plena remissio peccatorum gratia Dei fortissimum motivum esse debet fratres servos dimittendi; Hæreditatem restituendi.* Si enim Deus nobis peccatoribus, mendicis tantam offert datque gratiam, annon & nostrum est misericordiam erga fratres & sorores testari?

VIII. *Jubilæum admirandum & singulare prorsus tempus est.* Tum Israel & jejunat & quiescit & jubilat. Quæ videntur ἀσύςατα sunt σύςατα.

IX. *Gratia Dei non est tacenda aut oscitanter nuntianda; Quin cum fervore. Quo major est gratia, tanto major fervor in prædicatione testandus est.* Jubilæum erat indicendum *Buccina sonus fracti* magis sonori. Erat *proclamandum* קרא, quasi alta voce præconis.

X. *Ecclesia, magistratus fidelis primas tenent in deprædicandis beneficiis divinis; Attamen cujusque fidelis est læto animo divinum benefactorem extollere.* Unde v. 9. *facies* ut personet - *facietis.*

XI. *Gratia Jubilæi per totam terram personare debebat.* Omnibus habitatoribus ejus deprædicanda erat. Hinc Evangelium annuntiandum omni creaturæ per totum orbem.

XII. *Libertas in Jubilæo proclamanda erat cornibus arietinis*, ut Judæi cum probabilitate tradunt. Si vero hæc traditio recte se habet, in fide memores sumus arietis Isaaco substituti Gen. XXII. 13. Notari meretur Judæos in recordationem hujus ligationis cornua arietina adhibere. Deum obsecrare per עקידת יצחק *ligationem Isaaci.* Totum quoque Caput XXII. in Genesi ab Hispanis legi, ut notavit *Matth. Beck in Constit. de anno Jubilæo* p. 46.

XIII. *Pri-*

XIII. *Privilegia Jubilæi sunt communia omnibus Hebræis, liberis & servis, divitibus & pauperibus, indigenis & Proselytis.* Non tamen vicinis gentibus, servis in infidelitate, idololatria & impietate viventibus, manentibus.

XIV. *Sine dubio effuse lætati erant pauperes & servi hebræi accedente anno Jubilæo, maxime ipso Expiationis Die actu possessores bonorum paternorum divina liberalitate assignatorum & liberi constituti.* At effusissime lætantur vivam per Evangelium spem habentes magis & magis paradisum cum omni gloria restitui, tolli longe tristissimam servitutem peccatorum, Satanæ, qui ægerrime carent ὁλοκληρίᾳ & anhelant veram libertatem Filiorum Dei. *At quam effusa erit eorum lætitia, qui per Jesum Christum actu in Paradiso sunt ac possident hæreditatem cœlestem.* Tum implebitur os nostrum risu & lingua cantu.

XV. *Jucundum erat ex servitute ad libertatem Israelis*, maxime propriæ πατρίδος, quæ specialiori vinculo conjuncta erat. Suavitas augebitur per intimam unionem, communionem non solum cum Israele Dei, sed specialissime cum spiritu conjunctis hac in vita carissimis capitibus.

XVI. *Jubilæum profundum est mysterium*, quod nonnihil aperiunt loca scripturæ Lev. XXV. Jes. LXI. 2. Luc. IV. 18 - 23. Jes. XIV. 7. Hebr. II 14. 15. Apoc. VIII. 1. X. 7. XI. 15. Actor. III. 21. 1. Cor. XV. 51. 52. 1. Thess. IV. 16. Implementum suavissimum lucem dabit Israeli Dei. *O Jesu! fac me indignum participem tanti gaudii!* Post nubila jubila.

* *

Num. XXIX. 7-12.

Lex jura ſolennitatis expiatoriæ partim repetens, partim nova ſuperaddens.

§. 539. Verba ejus ſunt: ובעשור לחדש השביעי הזה מקרא קדש יהיה לכם ועניתם את נפשתיכם כל מלאכה לא תעשו והקרבתם עלה ליהוה ריח ניחח פר בן בקר אחד איל אחד כבשים בני שנה שבעה תמימם יהיו לכם ומנחתם סלת בלולה בשמן שלשה עשרנים לפר שני עשרנים לאיל האחד עשרון עשרון לכבש האחד לשבעת הכבשים שעיר עזים אחד חטאת מלבד חטאת הכפרים ועלת התמיד ומנחתה ונסכיהם *Verum in decima* (die) *menſis hujus ſeptimi convocatio ſancta erit vobis, atque* (tum) *affligetis animas veſtras; Nullum prorſus opus facietis, offeretis vero Holocauſta Jehovæ odorem quietis* (ſcil.) *juvencum filium bovis unum, arietem unum, agnos anniculos ſeptem, integri ſint vobis. Etiam ferta eorum; Similam perfuſam oleo; Tres decimas pro juvenco illo; Duas decimas pro ariete uno, ſingulas decimas pro unoquoque agno, quoad ſeptem illos agnos hircum* (quoque) *caprarum unum* (ſacrificium) *pro peccato præter illud* (ſacrificium) *pro peccato* (illuſtrium) *illarum expiationum; Holocauſtum etiam juge cum ferto ſuo & libamina eorum.*

§. 540. Lex hæc partim repetit priora, partim nova addit. Priora, quæ continet, ſunt tempus ſolennitatis expiatoriæ, tria communia jura præter ſacrificia jam præcepta Lev. XVI. Nova ſunt illa ſacrificia, quorum Moſes ante nondum meminit, de quibus poſtea κατὰ μέρος.

§. 541. Repetitio minime ſupervacanea. Circiter triginta octo anni jam elapſi, quando Leges ſuperiores expoſitæ, ſpeciatim plenior illa Lev. XVI. data erat. Pauci ſupererant, qui tempore νομοθεσίας vixerant. Accedit, quod Leges ceremoniales præ moralibus

bus repetendæ videantur. Moralia sunt in natura Dei & hominum fundata, habentur hinc æterna. Longe alia est ratio ceremonialium, quæ à solo Numinis arbitrio dependent. Olim non erant præcepta, postea præcepta. Tolli quoque queunt ex arbitrio Legislatoris. Igitur Josua jam Mosi substituto Num. XXVII. 18. - fin. imminente introductione populi in Canaan, confirmabantur Leges ceremoniales de sacrificiis Cap. XXVIII. XXIX. ut Israel nosset cultum hunc in Canaan testandum esse. Tanto magis sacra solennis expiationis iteranda erant, eo quod nova sacrificia hactenus nondum præcepta superaddita fuerint.

§. 542. Quæ jam alibi explicavi, verbo tantum indico. Quo refero primo *tempus solennioris expiationis*, quod est *dies decima mensis septimi.* vid. Lev. XVI. 19. §. 419.

§. 543. Secundo jus Israelis commune primum: *Convocatio sancta erit vobis.* v. 7. de qua quoque dixi ad Lev. XXIII. 27. §. 492.

§. 544. Tertio secundum: *Atque tum affligetis animas vestras.* v. 7. vid. ad Lev. XVI. 29. §. 423 - 426.

§. 545. Quarto tertium: *Nullum opus facietis.* v. 7. vid. dicta ad Lev. XVI. 29. 30. §. 426. 427.

§. 546. Quæ nunc in textu sequuntur pleraque nova sunt, scil. memorantur sacrificia hoc die offerenda. Ordinem tenebimus, quem Moses observavit. *Offeretis vero Holocaustum Jehovæ, odorem quietis.* Pluribus imponitur oblatio *offeretis*; Quæ vero alibi restringitur ad Pontificem Lev. XVI. 6. 7. 15. Responsio facilis. Solus quidem pontifex functiones sacerdotales suscepit implevitque sacrificia mactando, sanguinem excipiendo, spargendo &c. Sed oblatio ab eo facta est nomine coetus, sacrificia coetus hinc ære publico offerenda erant, dicunturque *publica.*

§. 547. Species sacrificii dicitur עלה *Holocaustum*, quod totum igne comburebatur, vid. de hac specie Lev. XVI. 3. §. 43. LXX. pluraliter efferunt ὁλοκαυτώματα. Recte, ut puto. Est enallage numeri, quæ in sacris frequens. Non solum enim juvencus, de quo statim, nomine Holocausti sacer factus, sed etiam aries & agni, qui subjiciuntur. Commode igitur verba sic vertimus: *Offeretis vero Holocausta Jehovæ odorem quietis*; Scil. *Juvencum - arietem - agnos -*

§. 548. Holocauſta hæc offerenda *Jehovæ odor quietis.* Sacrificia ſoli Jehovæ ſacra. Unde ſub Moſe ad iſtum locum, in quo Deus Iſraelis habitaverat, alligata erant. Oncelos habet *coram Adonai.* Idololatria erat, ſi quis immolaſſet alii, quam Jehovæ. Tale ſacrificium Deo תועבה *abominatio*, ſed Deo in fide & obedientia oblatum dicitur ריח ניחוח *odor quietis.* LXX. εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Odorifera grata ſunt naribus noſtris. Deus ſpiritus non capitur odoribus ſuavibus. Imo caro ſacrificiorum incenſa tetrum exhalat odorem. Aliud ergo in Holocauſtis, quod Deo acceptum; Animus offerentis reſipiſcens, credens, humilis, gloriam Dei celebrans, Holocauſti Myſterium.

§. 549. Primum ex Holocauſtis eſt *juvencus filius bovis unus*, vide quæ dicta ſunt ad Lev. XVI. 3. §. 37. Sed cave intelligas juvencum Pontificis l. c. Hic enim erat לחטאת *in ſacrificium pro peccato*, unus expreſſe poſtulatur. Iſraeli haud permiſſum erat in ejusmodi ſacrificiis quidquam immutare. Grave crimen commiſiſſet numerum juvencorum augens ad teſtandam majorem reverentiam. Obedientia plus valet penes Deum, quam copia juvencorum.

§. 550. Alterum: *Aries unus.* conf. Lev. XVI. 3. §. 40 - 43. Cujus hic fit mentio, alius ab illo Lev. XVI. 3. qui offerendus pro Pontifice, ut hic pro cœtu; Ille adeoque Holocauſtum privatum, ſed hic publicum erat.

§. 551. Tertium: *Septem agni anniculi.* כבש *Agnum* notare certiſſimum eſt. Unde omnes verſiones hac in notione conveniunt. Conſtat quoque inde, quia ſpecies eſt pecoris minuti, ſed alia ab hœdis Exod. XII. 5. Ergo intelligenda eſt agnina. Convenit quoque cum כשב *agnis*, voce nonniſi alia per metatheſin literarum. Ætas quoque indicatur בני שנה *filii anni*, anniculi, qui intra primum annum ſunt, qui annum primum nondum abſolverunt. Hæc ætas in agnis ſelectiſſima, unde ſæpiſſime in Lege præcipitur. Hinc inferre licet vocabulum כבש per ſe hanc ætatem non inferre. Alias nulla ætatis exprimenda ratio. Generalior notio alibi obtinet Job. XXXI. 20. Jes. XI. 6. Tandem indicatur numerus *ſeptem agni*, quo Deus in cultu, ſpeciatim ſacrificiis, haud raro delectatur.

§. 552. Additur hoc in verſu: *Integri erunt vobis.* Vox תמים ſæpius de ſacrificiis prædicatur, notatque animalia phyſice perfecta, inſtru-

instructa omnibus partibus majoribus & minoribus, earumque facultatibus, ordine, situ, quæ בלא מום *sine macula* etiam ulla non solum majori sed & minori, non solum expressa Lev. XXII. 22-25. sed & subintellecta, generibus suis comprehensa, ut plenius probavi *in Dissert. de integritate victimarum.* §. LIV. Judæi in traditionibus suis memorant XCIII. victimarum vitia. Si vel unicum animali inerat, aræ non admovebatur. Quare solicita poscebatur exploratio. Plures, qui hæc verba vertunt, restringunt ad agnos, ut Vulgatus, *agnos anniculos immaculatos septem.* Sed præstat extendere ad omnes victimas hoc commate indicatas. Hoc modo: *Offeretis vero Holocausta Jehovæ, odorem quietis*, scil. *Juvencum, filium bovis unum, arietem unum, agnos anniculos septem. Integri sint vobis*, & agni, & aries, & juvencus. Nulla ratio restringendi, sed extendendi. Nam lex postulat integritatem ab omni victima Levit. XXII. 19 - 26.

§. 553. Holocausta hæc poscunt juncta ferta: *Etiam ferta eorum* scil. juvenci, arietis & agnorum. Unde constat ratio, quod nomen singulare מנחתם recte pluraliter vertatur. LXX. transferunt h. l. θυσία, Vulgatus *sacrificia.* Malo *ferta* sive oblationes farinaceas, quæ Deo sacræ offerebantur. Vocabulum enim sub œconomia Mosaica ad dona incruenta restringitur, vid. Lev. II. & distinguitur à cruentis.

§. 554. Quando vero ferta varii generis erant, lex hæc, quam exponimus, determinat *similam oleo perfusam.* scil. offeretis. Dabantur enim etiam ferta ex hordeo, sine oleo vel ferta conjuncta thuri. Hæc vero constare debebant ex *simila oleo perfusa.* Vox סלת non generaliter *farinam*, sed specialiter *florem farinæ* notat. Unde recte LXX. σεμίδαλις, Luth. Semmel-Mehl. Si Judæis credimus præparabatur plurimis fricationibus, calcationibus, cribrationibus, quo furfur & crassior farina penitus secernatur & nonnisi supersit flos purissimus. Species frumenti sumebatur חטה *triticum* Exod. XXIX. 2.

§ 555. Flos hic permiscendus *oleo*, bono, libero à fœtore, ex olivis maturis, quale convenerat Legi, subsequente tempore æstimabatur *Thekoense* ceu præstantissimum.

§. 556. Lex dein determinat quantitatem fertorum: *Offeretis tres decimas pro juvenco illo; Duas decimas pro ariete uno; Singulas decimas pro unoquoque agno quoad septem illos agnos.* עשרון notat *decimam partem Ephæ.* Epha autem continet tantum, quantum 432. ova. Decima adeoque ejus pars comprehendit capacitatem 43. ovorum & paulo plus. In universum ergo pro memoratis victimis offerendæ erant XII. decimæ similæ.

§. 557. Ferta hæc erant insuper sale condienda. Non quidem hic expressa ejus fit mentio. Attamen constat ex generali Lege, quæ exstat Lev. II. 13.

§. 558. Lex pergit præcipere: Offeretis quoque *hircum caprarum unum* (in sacrificium) *pro peccato.* De hac animalis specie jam dictum ad Lev. XVI. 5. vid. §. 78. Dictum quoque de hac sacrificii specie ad Lev. XVI. 3. §. 38.

§. 559. Monet vero lex, ne hircum hunc habeamus pro hirco, cujus sanguis in sanctissimum inferendus erat מלבד חטאת הכפרים *præter illud* (sacrificium) *pro peccato* (illustrium) *illarum expiationum.* Observat hoc ipsum *Ruschius* ad h. l. שעיר הנעשה בפנים אמור באחרי מות שגם הוא חטאת *Intelligendus est hircus, qui factus intra, de quo agitur* Lev. XVI. *in sectione, quæ incipit: Post mortem; Etiam is fuit sacrificium pro peccato.*

§. 560. Præcipitur præterea *Holocaustum juge cum ferto suo.* Quando enim singulis diebus illud erat offerendum, ut exstat Deut. XXVIII. 3. 4. Die Expiationum illustri haud erat omittendum. Est ergo distinctum à supra memoratis.

§. 561. Ultimo additur: Offeretis etiam *libamina eorum.* נסך dicitur *vinum*, quod Deo sacrum fiebat, effundendo illud integrum in ara Holocausti. Sacerdotes nihil de illo participabant. LXX. transferunt σπονδὴ, Vulgat. *Libamen*, Luth. Tranck-Opffer, vel potius Wein-Opffer. Nonnisi enim constabat è vino. Qui hoc in loco singulariter transferunt, ut LXX. & Lutherus, recedunt à textu originali, in quo expresse נסכיהם *libamina eorum*, non attendentes ad verbum regens & nexum. Verbum regens jam exstat v. 8.

offere-

offeretis vero; Tum ſubjiciuntur offerenda. Tandem additur: *Et libamina eorum*, ſcil. Juvenci, arietis & ſeptem agnorum offeretis v. 8. Hinc pro peccatis libaminibus carent. Sacrificium juge, cujus quoque mentio fit v. 11. offerebatur quidem cum libamine, ſed in textu præſenti non intelligitur, alias legeretur ונסכו & *cum libamine ſuo.* Hoc jam ſupra notatum C. XXVIII. 7.

§. 562. Menſura libaminum pro magnitudine ſacrificiorum variaverat. Dimidia pars *hin* pro juvenco, tertia pro ariete, quarta pro agno. Species menſuræ *hin* continet tantum, quantum 72. ova. Quare vocabulum נסכיהם & *libamina eorum* præcipit, ut pro unaquaque ſpecie ſacrificiorum כמשפט *ſecundum jus*, vinum ad libandum ſumatur, unde conſtat pro juvenco v. 8 Menſuram, quæ reſpondet capacitati 36. ovorum, pro *ariete* v. cit. 24. & pro agno v. cit. 18. adeoque pro ſeptem agnis quantitatem menſuræ vini reſpondentem capacitati CXXVI. ovorum effundendam fuiſſe.

§. 563. Poriſmata è v. 7 - 12. Num. XXIX.

I. *O dies plane admirandus, cui ſimilis non datur! Dies quietis. Dies defatigationis. Dies afflictionis animarum. Dies lætitiæ. Dies mortis. Dies vitæ!* Totus Iſrael ſpatio XXIV. horarum ab omni opere ceſſare debuerat, ut ſine ulla diſtractione rebus divinis meditandis vacaret. Magna quies! At moleſtus & gravis labos Pontificis, qui jejunans à mane ad veſperam plurimis, variis, moleſtis functionibus ſolus exercebatur. Totus Iſrael ab omni eo, quod deſiderabat, abſtinere, concupiſcentias vero repellere & affligere tenebatur. Finitis vero functionibus expiatoriis effuſe lætabatur & Pontifex & populus. Maxime lætitia ingens erat hac die in anno Jubilæi, qua cornua arietum inflata per totam terram perſonabant, promulgabantque ſervis libertatem, pauperibus hæreditatem paternam. A mane ad veſperam victima poſt victimam mactabatur. Non tot horas dies habet, quot animalia mactanda erant. Mactanda enim erant ſedecim. Atrium, altare ſanguine madebat. Imo ipſum ſanctiſſimum, ſanctum, locus quoque extra caſtra, ſequente tempore extra Hieroſolymam, ſanguinibus conſpergebantur. Flamma ignis carnes ſacrificiorum tum in ara, tum extra atrium omnes modo extraordinario devoraverat. Piacularia, quæ communiter non erant Holocauſta, hoc die Holocauſta

causta rigore superaverant, uno hirco tamen excepto. Erat sane dies occisionis & ardoris. Israelitæ spirituales hæc attente aspicere haud poterant, quam venerando terribilem sanctitatem & justitiam Dei propter peccata, cogitando passiones & mortem Messiæ. Hæc ipsa dies iræ & mortis conversa erat in diem gratiæ & vitæ. Erat enim hoc modo dies *illustrium expiationum* ad vitam Israelis.

II. *Illustris insuper hæc dies ex omni genere quadrupedum* (sexus tantum masculini) *bovino, hircino, agnino.* Juvenci duo, arietes tres, agni novem, hirci duo sacri fiebant. Dein ex publicis & privatis, cœtus & Pontificis. Insuper Holocaustis tredecim, piacularibus tribus. Invaluerat numerus Holocaustorum & agnorum.

III. Præstantia & necessitate excellit hircus piacularis pro cœtu cum socio suo emissario. Illius morte, hujus vita Israel expiabatur. Reliqua tantum מוספים *additiția* vel singulis diebus comunia aut propter idoneitatem Pontificis, ut ipse prius expiatus populum expiare queat, sacra.

IV. *Magna ἀκρίβεια in cultu sacrificiorum, speciatim hac die. Omnia secundum typum legis curate observanda erant.* Ferta quoque & libamina determinabantur. Quantitati ordinatæ nihil addendum nihil adimendum. Sed quare qui βαρύτερα τȣ̃ νόμȣ æstimat, præfert circa minima solicitus? Non quidem, quod his in se delectetur, sed rebus spiritualibus depictis, promissis.

V. *Vel clare hoc scire licet ex requisito integritatis victimarum & εὐωδία in naribus* de v. 8. Natura quippe Dei, & sacræ literæ evidenter docent, spiritum perfectissimum his non capi Psal. XL. 7. L. 9 - 14. Jes. I. 11 - 15.

MYSTE-

MYSTERIUM
Solennis Expiationum Diei.

§. 564. *Tandem ad rem ipsam.* Labor, isque satis molestus in inveniendo, dijudicando ac probando sensu Legum Mosaicarum, quæ de solenni Ministerio Diei Expiationum agunt, literalis *umbrosus* nonnisi est. Certe indignus, qui exerceat interpretes per longius tempus, nisi nobile depingeret *corpus* ex *umbra* rite picta tuto dignoscendum. Æstimamus picturas, umbras, quæ personas aut res nobis charissimas & æstimatas recte referunt. Quanto ergo majori pretio habemus umbras sapientissimi Numinis sive Leges ceremoniales, quæ Deum, præprimis Filium Dei, Jesum Christum, ejus personam, naturas, status, munera, beneficia, servos & fideles, admirando adumbrant penicillo. Hinc in sacris veniunt sub ὑποδείγματι, σκιᾷ, re, quæ aliam maximi momenti latentem considerandam sistit, docet ac promittit. v. Hebr. VIII. 5. IX. 23. X. 1. Coloss. II. 7. Quando vero inter omnes umbras divinas nulla ad excellentiam hujus, quam tractamus, assurgit, operæ pretium me fecisse puto, quando non sine cura omnes ejus lineas, etiam lineolas, distincte notavi, alienas quoque delevi. Res se habet cum pictura hac divina, quemadmodum cum artificiali humana. Pictor peccat tum omittendo, quod personam ab alia distinguit, tum addendo, quod ab ea abest. Persona enim, quæ repræsentanda, ita vel non dignosci potest, vel fingitur alia. Hæc ipsa studio sunt evitanda in studiis typicis. Quare exercitatior in iis veniam mihi dabit haud raro minutiores circumstantias, ut videntur, longiori indagine scrutanti. Una litera vel omissa vel ficta mutilum sistit Mysterium vel etiam detorquet. Sume exemplum: Qui statuunt Pontificem cum vestibus aureis hac die sanctissimum intrasse, atque hunc introitum mysticum habent, non possunt non errrare; Non enim aureis vestibus indutus locum sanctissimum ingressus erat. Hujus generis plura deducta reperies.

§. 565. Mysterium, quod nunc eruendum est, eruam σὺν Θεῷ sequentem in modum: Primo generatim probabo: *Ministerio solennis Expiationis Diei decimæ tisri inesse Mysterium.* Tunc specialius ostendam, *quænam non contineant δήλωσιν πνευματικήν.* Præterea *quænam hanc contineant & vere mystica sint.* Denique addam *Tabellas comparationum & differitatum.*

§. 566. Generale argumentum, quo Mysterium hujus solennis expiationis probo, hoc est: *Omne, quod certos characteres veri typi continet est Mysterium.* Typus enim est persona vel res in sensus incurrens, quam Deus speciatim instituit, ut mediantibus similitudinibus personam vel rem majoris momenti referret, doceret, promitteret, obsignaret ac etiam traderet.

§. 567. Ministerium vero solennis Expiationis tales plures & varios veri typi characteres habet. Primus: *Lex ceremonialis, quam ipse Spiritus S. alibi in Scriptura disertis verbis mysticam habet, explicat, deducit, talis revera est.* Jam vero Spiritus S. qui certissimus verborum suorum interpres est, hanc Legem ceu mysticam sæpius allegat, ejusque docet Mysterium. Constat ex Epistola ad Hebræos Cap. IX. 11. 12. *Christus accedens, Pontifex futurorum bonorum per majus & perfectius Tabernaculum, non manufactum, hoc est, non hujus structuræ; Neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, per proprium vero sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemtione reperta.* Dein v. 24. *Non enim in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* Cap. X. 19. 20. *Cum igitur habemus libertatem intrandi in sancta in sanguine Jesu, ceu via, quam vobis dedicavit novam & vivam per velum, hoc est, carnem ejus.* Cap. XIII. 11. 12. 13. *Quorum animalium sanguis* (sacrificiorum) *pro peccato in sancta per Pontificem illatus erat, horum corpora extra castra comburebantur. Quare & Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, extra portam passus est. Igitur exeamus ad eum extra castra opprobrium ejus ferentes.* Ne alia conquiram. Vel tyro hoc in studio judicabit, auctorem hujus Epistolæ in Mysterio tradendo clare respicere ad Aharonem & quidem solum unica die sacra piacularia offerentem, suffitum coram facie Dei adolentem, sanguinem in sanctissimum inferentem, ad Sacerdotes corpora extra castra comburentes, ut Israel remissionem peccatorum consequatur & sanctificetur.

§. 568. *Secundus : Tota lex ritualis typica vel myſtica eſt.* Habet enim Σκιὰν *umbram* futurorum bonorum in corpore Jeſu Chriſto Hebr. X. 1. Cibus, potus reliqua ſunt σκιὰ *umbra futurorum, corpus vero Chriſti* Coloſſ. II. 16. 17. *Quod vero valet de toto, valet quoque de parte, maxime præcipua. Legem de Miniſterio Diei Expiationis partem eſſe, eamque præcipuam, nemo, ut puto, negabit.* Vel unicum Caput XVI. in Levitico clariſſime docet. Pauci ritus integro traduntur Capite. Typus eſt lex de noviluniis Coloſſ. II. 16. 17. quanto magis Miniſterium Diei Expiationum fuſe & ſæpius præſcriptum.

§. 569. *Tertius : Pontifex V. T. ejusque communes functiones*, ut oblationes, mactationes victimarum, ſpeciatim piacularium, ſparſiones & effuſiones ſanguinis ad remiſſionem peccatorum & purgationem, incenſiones ſuffitus, *ſunt typicæ.* Unde Jeſus Chriſtus toties vocatur Pontifex Hebr. III. 1. IV. 15. ſiſtitur ſeipſum obtuliſſe, tradidiſſe in mortem Tit. II. 14. Hebr. IX. 14. animam ſacrificium pro reatu poſuiſſe Jes. LIII. 10. expiaſſe 1. Joh. II. 2. in ſanguine ejus habere nos peccatorum remiſſionem Eph. I. 7. purgationem 1. Joh. I. 7. ſuffire eum vel intercedere pro nobis Rom. VIII. 34. Hebr. VII. 25. 1. Joh. II. 1. *Hinc ſequitur, quod Pontifex, ejusque functiones ſpeciales, illuſtriores, ſolennes, propitiationes Iſraelis typicæ ſint.*

§. 570. *Quartus : Perſona vel res, quæ habet figuræ nomen, typica eſt.* Vel quare alias figuræ nomen haberet ? Meſſias dicitur *David* Hos. III. 5. Chriſtus dicitur *agnus paſchalis* 1. Cor. V. 7. Neſcio enim aliam ſolidam rationem, quam quia David Filius Iſai, agnus paſchalis Salvatoris noſtri typus erant. Pariter ſe res habet cum voce ἱλαςήριον. Paulus ait : Deus propoſuit Chriſtum ἱλαςήριον & quidem *in ſanguine ad demonſtrationem juſtitiæ propter remiſſionem peccatorum* Rom. III. 25. Hoc vero nomine venit כפרת *operculum propitiatorium* in ſanctiſſimo, quod arcam texerat. LXX. vertunt per ἱλαςήριον. Ita quoque vertit Scriptor divinus Hebr. IX. 5. Quare vero Chriſtus hoc nomine venit ? Quia operculum propitiatorium typice propitiationem Chriſti referre debuerat. Et quod notandum, ſpeciatim ut conſideratum in Die Expiationis. Sola hac die erat propitiatorium ἐν τῷ αἵματι Levit. XVI. 14. 15. Pontifici per totum annum prohibitum erat in ſanctiſſimum ingredi, tum ſingulariter ſparſione ſanguinis ſupra propitiatorium & coram eo demonſtrabatur juſtitia Dei ad remiſſionem peccatorum.

§. 571. *Quintus: Ministerium Diei Expiationis in se & absque typo consideratum Deo Spiritu sapientissimo, sanctissimo, candido prorsus indignum est, indignum quoque Pontificibus, Ministris Dei. Etiam Israele, populo Dei peculiari.* Vel perpende Leges hujus Ministerii externas, corporales, carnales, certis personis, sacrificiis, locis, tempore, modis &c. curatissime circumscriptas, semel ac iterum iteratas, veluti de modo intrandi in sanctissimum, cum vestibus definiti numeri, materiæ, speciei, corpore bene loto ac aquis immerso, victimis tum pro Sacerdotio, tum pro populo specifice determinatis, earum mactatione, sanguinis exceptione, illatione, varia aspersione, commixtione, colligendis prunis, thure pugillo capiendo, adolitione extorum in ara, combustione cadaverum extra castra, altero hirco in libertatem mittendo, interveniente certo viro, ejusque juribus, ut & juribus cadavera exportantium, comburentium, pariter de officiis totius Israel communibus severe & sub excidio inculcatis, quiete & jejunio ad consequendam universalem remissionem peccatorum. Hæc & tot alia Die Expiationum præcepta an per se Deo digna? An externe observata Deo sunt grata? Minime. Deus, qui toties externum ejusmodi cultum rejicit, detestatur Psal. L. 7 - 14. Jes. I. 11 - 16. Jer. VII. 21 - 24. Mich. VI. 6 - 9. & tot aliis in locis sibi non contradicit. An in his vera ratio peccata totius populi remittendi? An Pontifices, Sacerdotes, Israelitæ his externis actibus evadebant meliores, sanctiores, sapientiores? Certe non, Hypocritæ, infideles, pessimi talia externa æque ac veri, fideles, boni suscipere & præstare queunt. Minime mirum homines, qui judicio pollent, etiam Gentiles talem ἄλογον, carnalem, cruentum cultum spernere, Judæos externos his captos valde rudes & stolidos habere. Mysterium est anima ceremoniarum, speciatim Ministerii expiationis. Mysterio cognito Deus Israelis cognoscitur Spiritus sapientissimus, sanctus, justus, gratiosus, misericors, candidus, liberrimus. Populus, qui Mysterium perspicit, peculium Dei spirituale, sapiens, sanctum, fidele. Mysterium hoc complectitur rationes divinæ originis, & ornat religionem Dei.

§. 572. *Unus ex citatis characteribus jam probat sensum mysticum Ministerii quod explicamus. Conjunctim sumti secum ferunt fortissimum pro Mysterio solennis Expiationis argumentum.* Unde Christiani, qui varie de rebus Religionis judicant, generatim conveniunt in agnoscendo

ſcendo & confitendo hujus Thematis ſenſu myſtico. Illi ipſi, qui ægre Chriſtum & ejus beneficia in legibus ritualibus adumbrata credunt, concedunt tamen & cernunt ac tanta luce expiationis ſolennis vel inviti perfunduntur, ut Myſterium ei ineſſe fateri cogantur. Ex pluribus duos tantum allegabo: *Philippum à Limborch* & *Johannem Spencerum.* Illum *in Theol. Chriſtianæ* L. III. C. IX. 4. his verbis teſtantem: *Sacerdos ſummus ſeu Pontifex maximus typum geſſit Pontificis noſtri æterni Jeſu Chriſti; Et ſpeciatim ingreſſu in Sancta Sanctorum ad expiandum peccata adumbravit ingreſſum Jeſu Chriſti in cœleſte ſacrarium per proprium ſanguinem, ut æternam expiationem perficiat* Hebr. IX. 24. 25. 26. Hunc vero ſequentibus *in Legibus Hebræorum Rit.* L. III. Diſſert. VIII. C. IX. p. m. 502. *Cum expiatio ſanguinis aſperſione facta & hircus in quem populi peccata transferebantur imaginem Chriſti peccata noſtra ferentis & expiantis tam vivam & pene loquacem præferant, ipſa ratio monet, ut ritus* eos & alios *Chriſti prophetias reales fuiſſe, & ob rationes tantum evangelicas inſtitutos exiſtimemus. Lubens agnoſco - - Legem Moſaicam umbram futurorum habuiſſe.*

§. 573. Argumentis ergo evictum eſt Aharonem & totum Iſraelem die decima tiſri futura prædixiſſe & promiſiſſe bona ſpiritualia. Sed nunc pergimus ſcrutari: An tota illa hiſtoria, quæ Miniſterium Diei Expiationis in præmiſſo ſenſu literali continet, myſtica ſit? Vel an pars ejus tantum & quænam? A Myſterio primo excludendi ſunt omnes literæ ſenſus in Lege non fundati & ab interpretibus Chriſtianis ficti. Non enim datur verus typus, quem legislator non inſtituit. Veluti quando nonnulli Chriſtiani Myſterium quærunt in Pallio cum Tintinnabulis & Malogranatis Pontificis hac die ſanctiſſimum intrantis. Probavimus vero §. 59 - 66. Pontificem absque hac veſte intraſſe. Excludendi dein omnes ritus & actus novis Synedrii vel Pontificum conſtitutionibus inventi, introductique. Quo referimus comitatum ejus, qui hircum in deſertum duxerat, tabernacula in via exſtructa, formam & ſpeciem auri, ex quo thuribulum conſtiterat, ac tot alia. Eccleſia nullam habet poteſtatem typos, qui ſacramenti naturam habent, inſtituendi, futura, promiſſiones ſpirituales in ſola Dei manu ſtant. Excludendi tertio quam maxime ritus Legi divinæ contrarii, qualis eſt præcipitatio hirci de rupe, quæ poſteriori tempore obtigit. Hircus enim hic ex voluntate legislatoris in libertatem mittendus erat,

 mini-

minime præcipitandus. Excludendi quarto & ultimo actus inscitia & malitia hominum contra intentionem Dei facti, qualis vellicationes, exspuitiones sive hirci, sive ducis, de quibus §. 347. 348. Comparationes etiam argutæ nihil probant deficiente natura typi. Ingenium & phantasia hominis facillime comparat.

§. 574. Quæ ergo in Ministerio Expiationis typica recte habentur? Leges divinæ claris verbis datæ, veluti de duobus hircis, uno mactando, altero vivo dimittendo Lev. XVI. 7-11. 15. 21. 22. suffitu v. 12. 13. aspersionibus in sanctissimo, sancto v. 14-21. combustione cadaverum v. 27. & aliis consimilibus. Dein ritus & actus non quidem disertis verbis memorati, qui tamen continentur in virtute horum. Quæ enim ratio aliarum partium verbi divini, eadem typicæ. At aliæ partes gaudent virtute certarum consequentiarum, quæ non minus pro verbo Dei habentur, quam expressa verba. Nolo argumentis probare, quæ extra controversiam posita sunt. Hinc nunc recte argumentor pro jure ejusmodi consequentiarum in parte typica. Attentior lector reperiet legislatorem ceremoniarum sæpius brevitati studere, eas non plane recensere, non omnem & specialem rituum historiam tradere, præsupponere quod plura subintelligenda sint, ceu necessaria ad actum, de quo sermo: Aut omitti hoc in loco, quæ in alio deducta sunt. Sensus literalis hujus capitis plura dabit exempla. Sufficiat unicum exemplum. Capite hoc v. 11. 14. fit mentio juvenci mactati, sanguinis ad spargendum sumti & sparsi, non illati in sanctissimum. Nihilo minus nemo dubitat de illatione ejus. Insuper typica sunt, quæ posteriori tempore mutata, quæ tamen exacte respondent legibus divinis, ut illæ exstant in Mose. Ab initio cadavera extra castra exportabantur ac comburebantur v. 27. sed postea extra Hierosolymam. Quare unum idemque *extra castra & extra Hierosolymam* quod clare scimus ex Hebr. XIII. 11. 12. 13. Quæ hoc capite expresse dicuntur de Aharone v. 2. 3. Tabernaculo conventus v. 16. valent de omni Pontifice, Templo. Imo sparsio typica, quæ stante Tabernaculo & Templo I. coram arca erat facta, talis quoque typica sub Templo II. nulla arca præsente. Quod absque culpa hominum abest, non tollit cultum, vel impedit gratiam Dei.

§. 575. Ut deductio sensus mystici, quæ nunc sequitur, majorem reperiat fidem, duo extrema evitabo. Illorum, qui animum tenent

tenent averſum à myſteriis typorum, ridentque albis dentibus cultores eorum, eosque ſimplices, credulos, phantaſticos habent. Horum quoque, qui ſolis capiuntur comparationibus figuræ & figurati, nulla habita ratione concinni connexus aut ſpecialium argumentorum. Medium ingredior declinaturus & vitium incredulitatis & phantaſiæ à judicio non rectæ. Quare præter generalia fundamenta ſolennis expiationis myſticæ, quæ ſupra §. 566. - 573. produxi, proferam ſpecialiora circa ſingulares Leges ac ritus, qui plures & varii à Moſe notati ſunt. Quando opus vel juvat, memorabo etiam aliorum cogitata ac ea examinabo. Si obſervavero Myſterium ſpeciale minus apte cum aliis cohærere aut materiam ridendi hoſtibus hujus ſtudii dare, potius tranſibo. Si enim verum, quod Paulus ait: *Ex parte cognoſcimus ; Ex parte prophetamus*, id veriſſimum de typis, ceu parte ſcripturæ difficiliore, prophetica. Plura hoc in ſtudio docte ignoramus, ac interea exſpectamus novum cœleſte lumen. Quæritur igitur

§. 576. Primo: *Quis mandatum de ſolenni expiatione dederit & quo modo legislator menti ſit ſiſtendus ?* Reſp. Ipſe *Jehova* præcepit Levit. XVI. 2. 34. Id quod probe tenendum. Hoſtes Theologiæ typicæ opinantur conſtare eam ſterilibus nonniſi ordinationibus, ab initio haud datis ad futura prædicendum, promittendum. Quin Deum condeſcendiſſe ad ineptos mores & propenſiones populi Iſrael in cultu externo more vicinarum gentium; Allegorias vel accommodationes poſtea hiſce additas. Non mirum ita opinantes ſiniſtre de ceremoniis ſacris cogitare. Recte igitur obſervamus Jehovam Spiritum ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, optimum, miſericordem, liberrimum Legis hujus eſſe auctorem. Et quidem non ad preces populi aut præfectorum. Ipſe gravibus rationibus commotus ſolennem annuam præſcripſerat expiationem ac Iſraelem eo non propendentem ſeveris Legibus obligaverat. Lev. XXIII. 29. 30. Specialius notandum, quod legislator commode habeatur Deus Pater ac Spiritus S. Ille, utpote Filius Patris ordinatione Pontifex conſtitutus, ut caro factus ſe ipſum pro peccatoribus traderet 1. Pet. I. 10. Joh. III. 16. Hic vero ob Hebr. IX. 7. 8. *Secundum vel ſanctiſſimum intravit ſemel quotannis ſolus Pontifex non ſine ſanguine, quem offert pro ſeipſo & pro populi ignorantiis.* Τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου *hoc manifeſtante Spiritu S. nondum manifeſtatam eſſe ſanctorum viam*

adhuc

adhuc priore Tabernaculo consistente. Qui igitur sub N. T. mysteria regni cœlorum docent, filium glorificant Eph. I. 18. 19. Joh. XVI. 13. 14. jam sub vetere arcana gratiæ in Messia indicarant. Si fideli animo tantum legislatorem obsignamus, facile credimus ceremonias has spirituales, sapientes, sanctas esse, promittere mortem & resurrectionem Messiæ, peccatorum remissionem, purificationem omnibus resipiscentibus & credentibus, non vero externas tantum corporales, carnales & inanes habebimus. Talia de Jehova non sine contemtu cogitantur. Quæritur

§. 577. Secundo: *An Moses, eo quod ejus mentio hoc in mysterio ut Lev. XVI. 1. 2. 34. fit, etiam spectandus sit, referens Christum expiatorem peccatorum?* Resp. Proprie non. Unde N. Testamentum, in quo Mysterium hoc explicatur, Mosis cum respectu ad hunc typum non meminit. Aharon frater ejus typicam personam egerat. Moses considerandus ceu servus Jehovæ divinum ferens mandatum de expiatione adumbranda. Lex hæc data per Mosen ad indicandum, quod violata gratiam Dei & remissionem peccatorum deneget, nisi intercedat mors vicaria, conjunctaque sit resipiscentia & fides. Atque ita erat Moses Pædagogus ad Christum. Quæritur

§. 578. Tertio: *An Aharon frater Mosis Christum reconciliatorem mundi typice expresserit?* Resp. Omnino: Clare testante Epistola ad Hebræos, Jesum Christum non solum Ἀρχιερέα cum respectu ad Pontificem V. Testamenti nominante sed & eum sistente sub functionibus sacerdotalibus Die Expiationis Hebr. III. 1. IX. 14. IX. 7. 11. Unde plures comparationes inter Aharonem & Pontificem Jesum Christum commode instituuntur, de quibus vero inferius in tabellis comparationum. Minime obstat magnam esse differentiam inter Aharonem Pontificem V. Testamenti & Jesum Christum Pontificem N. Testamenti. Poscit hoc natura typorum & antitypi. Imo concedimus etiam oppositionem. De his vero suo loco. Quæritur

§. 579. Quarto: *An præparatio Pontificis ad Ministerium solennis Expiationis fuerit typica?* Resp. Distinguo. Præparatio, quæ noviter instituta & cujus causa erat Pontificum ignorantia, ruditas, suspecta fides, de qua supra §. 453 - 461. typica esse nequit. At typica recte habetur, quam grave Ministerium postulaverat, licet disertis verbis

verbis non exprimatur v. ſupra §. 574. Sine dubio Aharon ſerio perpendebat inſtantes functiones, ſeque ad eas parabat. Cui reſpondet frequens cogitatio ac etiam diſcurſus Pontificis Jeſu Chriſti de inſtantibus paſſionibus ac morte ſua, maxime ultimis ejus diebus, in quibus Hieroſolymam aſcenderat ſeipſum manibus hoſtium traditurus. Quæritur

§. 580. Quinto : *An anſa hujus ſolennitatis μυστικῶς ſpectanda ?* Anſa autem erat illegitima appropinquatio filiorum Aharonis, Nadab & Abihu, ad cultum Dei Lev. XVI. 1. Reſp. Non videtur. 1. Novum Teſt. ſpeciatim Epiſtola ad Hebræos nullum ejus præbet indicium. 2. Nec video congruum typum. Nimis coactum videtur dicere Nadab & Abihu protoplaſtos peccantes vel totum genus humanum peccatis obnoxium ita ſtitiſſe, ut quemadmodum lex de expiatione typica lata eſt filiis Aharonis peccantibus ; Sic vera expiatio Jeſus Chriſtus conſilio Dei tum fuerit ordinata, quando protoplaſti peccaverant, vel peccatum in mundum intraverat. Talia typica minus ſunt accepta, quo magis ſolido carent fundamento ac longiſſime petita ſunt, oriunturque à luxurianti ingenio, quod nullos habet limites. Quæritur

§. 581. Sexto : *An locus interior à Moſe deſcriptus inter velum verſus propitiatorium, quod ſupra arcam* Lev. XVI. 2. *Myſterium contineat & quodnam ?* Reſp. Certiſſime Myſterium continet, teſtante Apoſtolo Hebr. IX. 7. 8. 11. 12. 24. X. 19. 20. IV. 14. 16. VII. 26. Myſterium vero eſt cœlum ſummum ob peccata noſtra, exigente juſtitia & ſanctitate Numinis clauſum, nonniſi aperiundum morte Sponſoris, velo ſeu carne ejus rupta, ſanguineque ad reconciliationem coram oculis ſancti Dei ſparſo ; Atque ita liber patet introitus ad gratiam cœleſtem conſequendam. Plenior collatio differetur, donec Tabellæ comparationum dabuntur. Quæritur

§. 582. Septimo : Quodnam Myſterium inſit rationi : *Nam in nube apparebo ſuper operculo propitiatorio* Lev. XVI. 2. ? Reſp. Generatim docet Deum glorioſum, terribilem, admirabilem, ſanctum, nullam habere communionem cum peccatoribus extra Pontificem Meſſiam & ejus ſacrificium. Aliter accedentes lumine cœleſti conſumi. Quæritur

§. 583. Octavo: *Quid verba: Hoc modo ingredietur* Lev. XVI. 3. *mystice significent?* Resp. Solum Jehovam monstrare viam & media salutis, ἐθελοθρησκείαν, doctrinam salutis ab hominibus inventam Deo displicere. Quare Paulus tenacissime inhæret Evangelio cœlitus nonnisi manifestato. Anathema dicit Angelis, hominibusque aliam viam docentibus Gal. I. 8. Quæritur

§. 584. Nono: *An Aharon Lege obligatus ad offerendum juvencum filium bovis in sacrificium pro peccato* Lev. XVI. 3. *personam Messiæ Pontificis expresserit?* Resp. Non. Pontifex Jesus Christus erat à nativitate usque ad mortem sanctus, inculpatus & à peccatoribus separatus. Hæc decens qualitas in Pontifice dignissimo semel ac iterum notatur Hebr. VII. 26. IV. 14. 15. Luc. I. 35. Opponitur vero Pontifici V. Testamenti Hebr. VII. 27. V. 3. Hæc circumstantia potius Israelem docebat Aharones haud esse veros mediatores, qui valeant peccatores cum sancto Deo reconciliare; Quin imo ipsos esse reos ac mortem fuisse promeritos, quorum peccata sanguine sint expianda. Tum demum pro aliis peccatoribus recte intercedere, quando ipsi prius in morte Jesu Christi veniam & gratiam quæsiverunt. Quæritur

§. 585. Decimo: *An ergo etiam juvencus Pontificis Mysterio caruerit, vel quodnam ejus sit Mysterium?* Resp. Mysterio non caruit more aliorum sacrificiorum piacularium. Generatim certissimum est retulisse Christum περὶ ἁμαρτίας. Specialiter δήλωσις tamen non liquet. Quando alii putant (1.) *Juvencum* denotare *fideles & electos ex Judæis, hircum electos ex Gentibus*; Vel (2.) *juvencum Christum pro seipso oblationem factum* sibique absolutionem à reatu imposito, gloriam & jus adducendi suos; *Hircum* vero *Christum quatenus venit loco peccatorum* aut (3.) *juvencum Christum se sistentem Deo, ut judici*, cuique peccata imposita in monte oliveti; *Hircum* autem *Christum de cruce pendentem*; Vel (4.) denique *juvencum Christum ipsum se offerentem*, sed *hircum corpus electorum*, qui communionem habent cum passionibus Christi (vid. *Cl. Ries. in Dissert. Theol. de Sacerd. S. ingressu in S. S.* §. XLV.) partim nullam speciem probabilitatis habent, ut prolata ad N. 1. Vel quæ species, quod juvencus offerendus pro peccatis sacerdotii distincte referat electos ex Judæis? Pariter ad N. 3. Aliquam speciem habent, quæ exstant ad N. 2. & 4. carent tamen demonstratione vel convenientia typica. Christus

non

non indiget oblatione piaculari pro ſe ; Peccatum quippe non habet. Oblatio piacularis tantum eſt ob ſuſcepta peccata mundi. Quæritur

§. 586. Undecimo : *An etiam Myſterium inſit arieti in Holocauſtum v. 3. & quodnam ?* Vide infra Quæſt. XXXVIII. §. 629. Quæritur

§. 587. Duodecimo : *An veſtitus Pontificis extraordinarius, conſtans nonniſi ex IV. veſtibus, femoralibus, tunica, baltheo & pileo, iisque vilioris ſpeciei lini, quam etiam gregarii geſtaverant inter typos numerandus ?* Interdictum enim erat geſtatione veſtium aurearum, laminæ, ephodi, pectoralis, pallii cum tintinnabulis & malogranatis quando Aharon in ſanctiſſimum hoc die intraverat. v. *in Exeges.* §. 59-66. Reſp. Omnino. Argumenta ſunt. Veſtitum ſacerdotalem in genere myſticum eſſe docet ipſa Scriptura Pſal. CXXXII. 9. 16. Jeſ. LXI. 10. Apoc. III. 3. 4. Dein ſpeciatim prolixa veſtitus pontificialis deſcriptio Exod. XXVIII. XXIX. Lev. VIII. Vel quæ ratio hujus præcepti veſtiarii ? An in ſe Spiritu ſapiente, ſancto dignum ? An Pontifex ſapientior, ſanctior & Deo acceptior veſtium numero, pretio ? Certe non. Solum Myſterium commendat hanc Legem. Si vero veſtitus Sacerdotum in genere myſticus ; Si myſticus pontificialis ordinarius, quare non extraordinarius & qui tantum Die Expiationis ſolenni, imo illa die in ſolis ſolennibus expiationibus geſtandus erat ? Nulla ratio præter Myſterium dari poteſt, quare ſapiens legislator Legem dederit de veſtitu in ſolennioribus expiationibus mutando. Deus Spiritus ſapiens per ſe non curat, qua veſte miniſtri veſtiti incedant. At hic mandat de certis veſtibus, numero quatuor, lineis geſtandis v. 4. Imo poſtea mandat, ut hic veſtitus hirco emiſſario in deſertum miſſo & expiatione ſolenni finita ſeponatur ac veſtitus magnificus induatur v. 23. 24. Quare ? Quum tamen ſæpius obtingat, ut laceris veſtibus veſtitus Deo exiſtat cariſſimum caput ; Sed ſplendido deteſtabilis in oculis ejus ſit vid. Luc. XVI. 19. 20. Act. XII. 21. Quæritur

§. 588. Decimo tertio : *Quodnam ergo Myſterium inſit extraordinario huic veſtitui Pontificiali* Lev. XVI. 4. ? Reſp. Cultores ſtudii typici variant. Quare, ceu in themate difficiliori, primo varia judicia proferam. Tum vero ἐπίκρισιν ſubjungam.

§. 589. In eo communiter conveniunt vestitum hunc extraordinarium figuram præbuisse extremæ Jesu Christi exinanitionis ac purissimæ innocentiæ. Nulla tum fulserat gloria. Tecta erat & valde occultata divinitatis Jesu Christi gloria, sponsore ad terram prostrato, tristissimo, à Deo deserto, mortuo, sanguine ejus effuso, ut legimus apud *Ainsworth* in Lev. XVI. 4. *Ries* in *Diss. cit. Langium in Bezaleel* p. 236. *Braunium de Vestitu Sacerd.* P. II. p. 937.

Alia peculiaria habent; Primus, secundus & quartus citatus. *Ille* l. c. confert Ezech. XLIV. 17. & addit: *Contineri prophetiam de statu Ecclesiæ sub Evangelio; Ministros Novi Test. non aliter vestiendos, quam in Die Expiationis. Hoc arcanum nobis revelari* 2. Cor. V. 19. At *iste*. *Christus offerendo sacrificium suum apparebat sub mortuorum habitu. Habitus enim albus etiam mortuorum erat, qui sindone involvi solebant.* Verum *hic*; Indignum igitur fuisset, si Pontifex in ejusmodi pompa & ornatu mundano ad Deum accedere ausus fuisset. *Omnis enim pompa & gloria elatum animum superbiamque notat.* Observatio *prima* non placet. Mysterii ratio danda, quæ spectat Pontificem, non Sacerdotes gregarios, de quibus Ezech. XLIV. 17. Non *secunda*. Sacerdotes jugiter albas gestarunt vestes, qui vero mortuos non retulerant. Vestes albæ & magnatibus Judæorum in honore habebantur. Nec etiam *tertia*. Pontifex quotidie etiam ipso Die Expiationis ex mandato divino gloriosum vestitum induerat, sed absque fastu, saltem in relatione ad Mysterium.

§. 590. Placet vero Mysterium hujus extraordinarii vestitus supra §. 589. Viris doctissimis, de sensu mystico meritissimis commune, quod nonnihil deducam. Attendendum primo ad qualitatem personæ, quam Pontifex vili habitu repræsentaverat. Obversatur Deus non solum ut gloriosus, sed insuper ut justus Judex maledictionem & mortem hostiæ vicariæ inferens. Attendendum secundo ad functionem & scopum Pontificis, qui erat gratiam pro se & populo in sanguine sacrificii demississime petere. His in circumstantiis constitutus commode seposuerat vestes gloriosas, pontificales, regias, muneris prophetici, evangelici testes, gestaverat vero viles, lineas, viliores lineis Sacerdotum gregariorum, candidas tamen. Typice ita sistebatur Jesus Christus summe exinanitus, in summa tamen innocentia omnem, quam habuerat, gloriam abnegans. Tempore, quo sanctum & justum Deum morte glorificaverat, gratiam

&

& promissa pro se & populo humillime petierat, noluerat comparere ceu Pontifex consummatus, Rex coronatus & publicus gratiæ jam datæ præco. Morte vicaria perlata demum à Patre Pontifex consummatus Hebr. I. 3. VIII. 1. Rex gloriosus Jes. LIII. 10. Act. II. 36. Phil. II. 8 - 12. summus Ecclesiæ Doctor ac Dominus constitutus declaratusque est Matth. XXVIII. 18. 19. Eph. IV. 10 - 13. Quam humilis exutus omni auctoritate, splendore, & omni eo, quod oculis placet, fuerit, testatur tota ejus vita Matth. VIII. 20. maxime tamen ejus finis, humiliatio *usque ad mortem crucis*, qua coronidem expiationi peccatorum imposuerat, poscente verbo prophetico, speciatim Jes. LIII. 5. Tum enim anima tristissima in faciem coram Deo Judice prolapsus erat, corpus ejus varie affligebatur, contemnebatur, lacerabatur, cruci affigebatur, ludibrio erat ipse habitus ejus, toties exutus, cum sarcastice splendida purpurea commutatus, tandem contumeliose ablatus & sorte ludicra inter milites romanos distributus. Certe vilissimus habitus, fratribus gregariis vilior. Quæritur

§. 591. Decimo quarto: *An lotiones, immersiones, ad quas Aharon expiaturus obstringebatur, typi naturam habuerint, & quæ ejus* Δήλωσις? Resp. Distinguo. Aharon, quatenus impurus, qui purificatione indiget, referre nequit eum, qui ab utero & per totam vitam sanctus purusque erat. Quin clare docuit, se haud esse Pontificem Dei, qui impuros vere mundare valet. At Aharon bene lotus ac ita purus Christum sanctissimum retulerat. Quæritur.

§. 592. Decimo quinto: *An uterque hircus typicus habendus sit* Lev. XVI. 4.? Resp. Sine ullo dubio. Omnium Christianorum consensu typicus est ille hircus, qui sorte ad mortem destinatus, cujusque sanguis in sanctissimum illatus, cujus quoque cadaver extra castra exportatum, Apostolo speciatim docente Hebr. IX. 12. 13. 14. XIII. 11. 12. Ergo typicus quoque alter, ceu socius conjunctissimus, una datus *in sacrificium pro peccato.* Una ergo cooperabantur ad tollendum peccata populi. Fata, quæ huic subeunda, æque sortilegio divino destinabantur, manus quoque huic impositæ, ceu peccata Israelis publica confessione imputata, ut ea vivus exportaret in desertum. Talia nos minime dubitare sinunt etiam hunc hircum typicum esse habendum. Quæritur

§. 593. Decimo ſexto : *Quænam δήλωσις πνευματικὴ comprehendatur hirco mactato , ſanguine ejus in ſanctiſſimum illato & cadavere ejus extra caſtra combuſto ?* Reſp. Mors Jeſu Chriſti peccata totius mundi ſuſcipientis (qui hinc ſub hirco , animali ſalaci ac fœtido commode ſiſti poterat) cujus ſanguis coram oculis ſancti Dei , juſti judicis in cœlo ſparſus & corpus ira divina extra Hieroſolymam conſumtum erat. Quoniam circa hoc Myſterium Chriſtiani interpretes conſentiunt, alia addere nolo. Plura dabit plenior comparatio typi hujus & antitypi in tabellis , quæ ſubjicientur. Quæritur

§. 594. Decimo ſeptimo : *Quænam inſit δήλωσις πνευματικὴ hirco vivo ad Azazel miſſo ?* Reſp. Quantus conſenſus circa Myſterium prioris hirci , tantus diſſenſus circa poſterioris. Diſſentientes primo citabimus , tum judicium feremus.

§. 595. Qui diſſentiunt , per Azazel intelligunt Satanam , per hircum emiſſarium populum Iſrael Diabolo tradendum. Vel per duos hircos intelligunt duplex ſacrificium ex duplici ſed diverſo Sacerdotio, Melchiſedeciano & Aharonico, oriundum, Judæos carnales adhærere Aharonico, ſed veros Melchiſedeciano. Alii ſubintelligunt genus humanum morte Chriſti à morte liberum. Alii etiam hoc ſub hirco Chriſtum ſiſti putant , ſed varie, intelligentes vel animam ejus, vel duas ejus naturas, vel duplicem σχέσιν Mediatoris, unam erga Deum judicem , cui ſatisfaciendum erat per meritum mortis , alteram adverſus Diabolum, hoſtem , cum quo luctandum fuit efficacia vitæ. Vel tandem duplicem ſtatum , mortis & vitæ Jeſu Chriſti , ſcil. Hircus immolatus typus Chriſti mortui, ſed vivus & liber declaratus ejusdem vivi habetur.

§. 596. Κατὰ μέρος Examen inſtituemus. Ipſi quidem Judæi antiquiores , tum nonnulli Chriſtiani ſub Azazel Satanam latere opinantur *V. Exeg.* §. 136. Sed carent ſolidis probationes argumentis , imo contrariis premuntur. vid. ſupra §. 137. 138.

§. 597. Qui vero aſſerunt ſub hirco emiſſario ſiſti populum immorigerum Satanæ tradendum, illi ex duplici maxime argumento errant. *Primum* ex dictis patet. Azazel non notat Diabolum. E. Populus ſiſti nequit traditus Diabolo ceu Azazeli. *Alterum.* Hircus ad Azazel populum immorigerum referre nequit. Nam eſt alteri

teri simillimus, ad eundem finem destinatus *in sacrificium pro peccato* Lev, XVI. 5. Sorte ad vitam ordinatus ut alter ad mortem v. 8. 9. 10. Morte socii expiandus v. 10. *vid. Exeg.* §. 127. Unde socio mortuo & sanguine ejus effuso ceu vivus ferens & auferens peccata totius Israel honorifice libertati restituebatur. Hæc sane imaginem Israelis reprobi & maledicti non referunt. Minime scopo hujus diei conveniens (scil. expiare universum populum Dei) haberi potest, Deum iratum partem populi Satanæ tradere constituisse. Certe durissima cogitata! V. alia, quæ huc faciunt apud *Cl. Witsium in Oecon. Fœderum Dei* L. IV. C. VI. §. 63. 64. 65.

§. 598. Duos vero hircos exprimere duplex sacrificium ex diverso Sacerdotio Melchisedeciano & Aharonico oriundum &c. opinio est, si quid judico, quæ omni destituta est colore. Qui hircos coram Deo sistit, qui unum mactavit, alterum vivum in desertum ablegavit, est unus idemque Pontifex, isque Aharonicus. Uterque hircus cesserat ad expiandum Israelem. Nullum vestigium Sacerdotii diversi aut carnalium & spiritualium Judæorum.

§. 599. Hircus vivus typus generis humani esse nequit, ut *Cyrillus Alexandrinus*, notante *Marpergero* L. cit. p. 295. putaverat. Hoc enim est expiandum, non vero expiat. Genus humanum vel etiam pars ejus minime cum *hostia piaculari mundi* concurrit ad expiationem 1. Joh. II. 1. 2.

§. 600. Si vero *Procopius*, eodem Viro Doctissimo notante p. 206. Azazelem habet *pro typo animæ Christi* (ut hæc libera à corpore in morte ad Deum transiit, sed tertia die reversa est) non videtur convenienter figuræ legali judicare. Vel ubi *umbra* animæ secedentis & revertentis? Hircus *pro Jehova* mactatus potius adumbrat animam à corpore abeuntem.

§. 601. Denique hircus ad Azazel admodum incommode imago divinæ Christi naturæ dicitur. Erat enim animal, naturæ corporeæ, visibilis, fœtidæ, brutæ, vilis. Quomodo referret Deum, spiritum purissimum, invisibilem, gloriosum, sanctissimum, sapientissimum? Christus ceu Pontifex rectius consideratur Deus, sed ut victima homo Hebr. IX. 14. Psal. CX. 1. 4. Sed

§. 602.

§. 602. Tandem duplicem χέσιν Mediatoris, quæ pluribus Theologis placet, sub duobus his hircis latere, ideo maxime probare non possum, quia altera χέσις referre debet Christum Mediatorem agentem adversus Diabolum hostem, hircum, sorte destinatum Azazeli, ut Diabolo in locis solitariis plurimum agenti Matth. XII. 43. vexandus exponeretur, quemadmodum *Cel. Witsius* loquitur in *Oecon. Fœderum* Lib. IV. C. VI. §. 71. 72. Hircus enim hic, ut libertati datus in Lege depingitur, ab omni vexatione, Diaboli maxime, ceu quem vicit, immunis. Azazel, quod in exegesi probatum, Diaboli imago nequaquam est.

§. 603. Mysteriis his rejectis non aliud superesse video, quam quod hircus immolatus Christum mortuum, sed vivus vivum in omnia secula referat, ut plures ex Theologis non solum recentioribus, sed & antiquis judicant. Quando communia sacrificia nonnisi passiones & mortem Christi depinxerant, solenni Expiationis Die, ceu Israeli singulariter proficua, simul depingebatur mors & vita ejus. Erat vero impossibile, ut unum aliquod animal referret status Christi oppositos, mortis & vitæ, quare ex præcepto Dei sapientissimo duo sumendi erant hirci, ceu commodæ delineationes status mortis & vitæ sponsoris ad maximam Israelis consolationem. Argumenta præcipua sunt. *Primum*: Ambo hirci destinati erant לחטאת *in sacrificium pro peccato*, non in sacrificia v. 5. Pariter ac juvencus Pontificis ordinatus לחטאת *in sacrificium pro peccato* v. 3. Unde sequitur, quod unum eundemque antitypum expresserint. Si vero mactandus Jesu Christi typus, tum etiam vivus dimittendus. Nam una dati *in sacrificium pro peccato*. *Alterum*: Duo hi hirci, qui unum constituerant piaculare, sorte divina opposita fata subire jubebantur, alter mortis, vitæ alter v. 9. 10. Et quod notandum, immolatus morte sua expiare debuerat vitæ destinatum *ad expiandum eum* v. 10. Hic per responsum divinum חי *vivus coram facie Dei* statim habebatur, non tamen prius libertati dandus, quam altero & mactato & sanguine ejus in sanctissimum ad veniam & purgationem à peccatis illato v. 10. 15. 22. Perquam commode. Christus morte demum lata justificatus est, vivitque in secula seculorum. Act. II. 36.

§. 604. Duo sunt, quæ *Cel. Witsius L. cit.* huic explicationi opponit I. *Quod hirco vivo peccata Israelis imponerentur, Christus autem à mor-*

mortuis suscitatus & in gloriam introductus sine peccato est Hebr. IX. 28. II. *Quod idem ille hircus, ut peccatis onustus, impurus censeretur, adeo ut is, qui eum in desertum duxerat, mundationis indigeret* v. 26. *In Christo autem resuscitato nulla impuritas vel cogitatione fingi potest.* Resp. Hæc quidem speciem habent, sed plenius examinata eam amittunt. Verissimum est hircum, cui peccata imponuntur, ut maledictioni subjiciatur, Christum in gloriam introducendum nullatenus adumbrare posse. Sed probe sciendum priori hirco hac sub relatione peccata Israelis fuisse imputata, unde ei moriendum ac sanguis ejus erat effundendus. At posterior notanter חי & יחי *vivus, vivus ille* in vita manserat, libertate donatur. Unde sequitur alio longe scopo ei peccata Israelis fuisse imposita, non ad luendum sed ad auferendum, ut in posterum nulla eorum sit recordatio. Id quod commode docet ablegatio *in desertum, ad terram excisam.* Non ergo peccata suscipiebat luenda, sed morte socii expiata à conspectu Dei auferenda. Qualis pictura conveniens ad sistendum Christum, qui peccata nostra aufert. *Quis* electos *damnet?* Nemo. Quare? *Christus* enim *mortuus*, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς *magis vero etiam, qui resuscitatus est* Rom. VIII. 34. In vita ergo Christi maxima peccatorum ablatorum certitudo. Confer quoque Rom. V. 9. 10. Ita se habet. Dux hirci mundatione indiguerat. Sed minime sequitur: Ergo ipse Christus impurus censetur. Censetur nonnisi peccata expiata à conspectu Dei abscondens Jer. XXXI. 34. Mich. VII. 19. Dux vero, qui Ministrum Evangelii refert, sistitur gratia sanctificationis indigus, occupatus licet circa sanctissimum ac gratiosissimum objectum. Ministri, etiam qui habentur optimi, non sunt puri, ut scimus Esajæ Exemplo Jes. VI. 5. Præ aliis misericordia Dei indigent, quod constat ex votis ad Ministros 1. Tim. I. 2. II. 1. 2. Tit. I. 4. Misericordia vero præsupponit miseriam peccati. Quæritur

§. 605. Decimo octavo: *An Pontifex triplicem peccatorum confessionem edens repræsentarit Pontificem Jesum Christum orantem* Joh. XVII.? Ratio hujus quæstionis est, quod Mischnici tradunt Aharonicos Die Expiationis tres dixisse peccatorum confessiones; Primam ante sortitionem *Tr. Joma* C. III. §. 8. Alteram post sortitionem *Tr. cit.* C. IV. §. 2. Tertiam, quando hircus vivus dimittendus *Tr. cit.* C. VI. §. 2. v. *Formulas in Exegesi* §. 97. 153. & 316. Huic triplici confessioni respondere nonnulli putant orationem Jesu Christi Pon-

tificialem Joh. XVII. constantem tribus partibus, oratione pro se à v. 1 - 5. Dein pro Apostolis à v. 9 - 20. Denique pro fidelibus in genere à v. 20. f. Resp. Non. Nam *primo* : Aharon confessus erat propria peccata. At Jesus Christus neque confessus fuerat peccata, neque confiteri poterat. *Secundo* : Jesus Christus glorificationem nominis sui postulaverat innitens glorificationi nominis paterni à se factæ. *Tertio* : Non tam peccata Apostolorum & fidelium confessus fuerat, quam pro iis intercesserat varia beneficia petendo. *Quarto*: Suffitus, qui memoratur Lev. XVI. 12. 13. rectius Christum intercedentem sistit, quam confitentem. Accedit *quinto*, quod confessiones, ut illæ exstant in *Mischna Tract. Joma* speciatim duæ priores C. III. 8. IV. 2. sint instituti ecclesiastici, non divini, adeoque non typicæ. Non enim conveniunt cum Lege divina Lev. XVI. 6. 11. ceu quæ idem expiationis objectum proponit *pro se & domo sua*. At Mischnici distinctum. Ante sortitionem confitetur Pontifex : *Ego & domus mea*. At post sortitionem : *Ego & domus mea & filii Aharon*. Quæritur

§. 606. Decimo nono : *Quid sibi velint sortes projectæ supra duos hircos una destinatos in sacrificium pro peccato, determinantes unius mortem, alterius vitam & libertatem ?* Resp. Ex supra dictis jam constare potest adumbrasse definitum consilium patris, quo unus idemque Salvator mundi sistitur traditus ad mortem & præcognitus ad vitam passionibus ejus consummatis ad plenam remissionem peccatorum pingendam. Quæritur

§. 607. Vigesimo : *Quare hircus, animal vile, male olens, petulans, lascivum, Diabolum alias repræsentans, sit electus, ut Christum, qui sanctus, justus, bonus & sæpius sub agno adumbratus, referret. Contrariari hæc videntur.* Resp. Videntur. Non contrariantur. Sapientissimus Deus, qui plura, diversa, imo opposita symbolice depingere intendit, symbola quoque plurima, diversa, opposita eligit. Elucet quam maxime ex picturis Messiæ. Una vel paucæ picturæ haud suffecissent ad adumbrandum tot & tam diversas χέσεις Messiæ. Unde jam venit sub agno, jam sub leone, jam sub serpente, jam sub hirco, eoque & mactato & vivo. Agnus commode quidem sistit puritatem, mansuetudinem, patientiam Christi, sed non genus humanum peccatis corruptum, cui substituebatur, peccatorum δυσφημίαν, petulantiam, similitudinem cum spiritibus impuris. Sapienti igitur

igitur consilio Numinis hirci, ut in genere destinati in sacrificia piacularia publica Num. XXVIII. 15. 22. 30. XXIX. 5. 11. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38. sic in specie in omnium maxime solenne sacrificium piaculare cœtus Lev. XVI. 7. ceu quod retulerat verum piaculare suscipiens, ferens, auferens omnes impuritates, prævaricationes omnes, omnia omnino populi peccata. Pictura minus commoda hunc ad finem exstitisset, vel columba aut turtur vel etiam agnus. Commodior longe hircus ad depingendum Sponsorem missum in similitudine carnis peccati, qui cum sacrificio pro peccato peccatum condemnavit Rom. VIII. 3. Certe Christus hirci instar vilissime habebatur peccator & peccatorum patronus Matth. XI. 19. pessime olens, ceu potator vini Matth. l. cit. Violator Sabbathi Joh. V. 16. Blasphemus Matth. XXVI. 65. Pseudopropheta & Pseudomessias, imo ut Dæmon Joh. VIII. 48. 52. Sub hirco olim cultus, saltem ut quidem arbitrantur. Quæritur

§. 608. Vigesimo primo: *An suffitus hujus diei, isque in sanctissimo, mysticus fuerit?* Resp. Utique suffitus ordinarius in sancto erat mysticus. Ergo multo magis extraordinarius simul in sanctissimo talis. Extraordinaria ordinariis potiora sunt. Quotidiana sacrificia typi habent naturam. Multo magis solenni expiationi propria. Quæ vero ratio sacrificiorum, eadem suffitus. Si Mysterium hujus suffitus tollis, tollis simul cultum, qui Deum decet. Tandem reliqui actus & vasa in sanctissimo Mysterium tenuerant. Ergo etiam thuribulum cum suffitu. Tenuerant v. gr. sparsio sanguinis, ut statim dicemus, velum, ara, sanctissimum. Quæritur

§. 609. Vigesimo secundo: *Quæ ergo* Δήλωσις πνευματικὴ *suffitus incensi generalis?* Resp. Intercessio apud Deum, ut populo Israel sit propitius, ut sacra, quæ offeruntur, sint accepta. Constat *primo* ex locis Scripturæ, qualia sunt Psal. CXLI. 2. *Firma*, constans sit *Oratio mea, suffimentum coram facie tua.* Psaltes vocat preces suas *suffimentum.* Quare? Sine dubio, quia suffimentum orationem refert. Suffimentum naturale non ἐυωδία coram Deo. Est vero oratio, quæ recte se habet. Hæc coram facie Dei certa est constansque. Dein Prov. XXVII. 9. *Oleum & suffimentum exhilarabit Cor.* Ἐν δυνάμει hæc vera sunt de oleo Spiritus & suffimento spirituali. Spiritus S. est *oleum lætitiæ* Psal. XLV. 8. in se & effective. Precatio fidei, quæ exauditur, animam reddit hilarem Joh. XVI. 22. 23.

tificialem Joh. XVII. constantem tribus partibus, oratione pro se à v. 1 - 5. Dein pro Apostolis à v. 9 - 20. Denique pro fidelibus in genere à v. 20. f. Resp. Non. Nam *primo :* Aharon confessus erat propria peccata. At Jesus Christus neque confessus fuerat peccata, neque confiteri poterat. *Secundo :* Jesus Christus glorificationem nominis sui postulaverat innitens glorificationi nominis paterni à se factæ. *Tertio :* Non tam peccata Apostolorum & fidelium confessus fuerat, quam pro iis intercesserat varia beneficia petendo. *Quarto:* Suffitus, qui memoratur Lev. XVI. 12. 13. rectius Christum intercedentem sistit, quam confitentem. Accedit *quinto*, quod confessiones, ut illæ exstant in *Mischna Tract. Joma* speciatim duæ priores C. III. 8. IV. 2. sint instituti ecclesiastici, non divini, adeoque non typicæ. Non enim conveniunt cum Lege divina Lev. XVI. 6. 11. ceu quæ idem expiationis objectum proponit *pro se & domo sua.* At Mischnici distinctum. Ante sortitionem confitetur Pontifex : *Ego & domus mea.* At post sortitionem : *Ego & domus mea & filii Aharon.* Quæritur

§. 606. Decimo nono : *Quid sibi velint sortes projectæ supra duos hircos una destinatos in sacrificium pro peccato, determinantes unius mortem, alterius vitam & libertatem ?* Resp. Ex supra dictis jam constare potest adumbrasse definitum consilium patris, quo unus idemque Salvator mundi sistitur traditus ad mortem & præcognitus ad vitam passionibus ejus consummatis ad plenam remissionem peccatorum pingendam. Quæritur

§. 607. Vigesimo : *Quare hircus, animal vile, male olens, petulans, lascivum, Diabolum alias repræsentans, sit electus, ut Christum, qui sanctus, justus, bonus & sæpius sub agno adumbratus, referret. Contrariari hæc videntur.* Resp. Videntur. Non contrariantur. Sapientissimus Deus, qui plura, diversa, imo opposita symbolice depingere intendit, symbola quoque plurima, diversa, opposita eligit. Elucet quam maxime ex picturis Messiæ. Una vel paucæ picturæ haud suffecissent ad adumbrandum tot & tam diversas χέσεις Messiæ. Unde jam venit sub agno, jam sub leone, jam sub serpente, jam sub hirco, eoque & mactato & vivo. Agnus commode quidem sistit puritatem, mansuetudinem, patientiam Christi, sed non genus humanum peccatis corruptum, cui substituebatur, peccatorum δυσφημίαν, petulantiam, similitudinem cum spiritibus impuris. Sapienti igitur

igitur consilio Numinis hirci, ut in genere destinati in sacrificia piacularia publica Num. XXVIII. 15. 22. 30. XXIX. 5. 11. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38. sic in specie in omnium maxime solenne sacrificium piaculare cœtus Lev. XVI. 7. ceu quod retulerat verum piaculare suscipiens, ferens, auferens omnes impuritates, prævaricationes omnes, omnia omnino populi peccata. Pictura minus commoda hunc ad finem exstitisset, vel columba aut turtur vel etiam agnus. Commodior longe hircus ad depingendum Sponsorem missum in similitudine carnis peccati, qui cum sacrificio pro peccato peccatum condemnavit Rom. VIII. 3. Certe Christus hirci instar vilissime habebatur peccator & peccatorum patronus Matth. XI. 19. pessime olens, ceu potator vini Matth. l. cit. Violator Sabbathi Joh. V. 16. Blasphemus Matth. XXVI. 65. Pseudopropheta & Pseudomessias, imo ut Dæmon Joh. VIII. 48. 52. Sub hirco olim cultus, saltem ut quidem arbitrantur. Quæritur

§. 608. Vigesimo primo: *An suffitus hujus diei, isque in sanctissimo, mysticus fuerit?* Resp. Utique suffitus ordinarius in sancto erat mysticus. Ergo multo magis extraordinarius simul in sanctissimo talis. Extraordinaria ordinariis potiora sunt. Quotidiana sacrificia typi habent naturam. Multo magis solenni expiationi propria. Quæ vero ratio sacrificiorum, eadem suffitus. Si Mysterium hujus suffitus tollis, tollis simul cultum, qui Deum decet. Tandem reliqui actus & vasa in sanctissimo Mysterium tenuerant. Ergo etiam thuribulum cum suffitu. Tenuerant v. gr. sparsio sanguinis, ut statim dicemus, velum, ara, sanctissimum. Quæritur

§. 609. Vigesimo secundo: *Quæ ergo Δήλωσις πνευματική suffitus incensi generalis?* Resp. Intercessio apud Deum, ut populo Israel sit propitius, ut sacra, quæ offeruntur, sint accepta. Constat *primo* ex locis Scripturæ, qualia sunt Psal. CXLI. 2. *Firma*, constans sit *Oratio mea, suffimentum coram facie tua.* Psaltes vocat preces suas *suffimentum.* Quare? Sine dubio, quia suffimentum orationem refert. Suffimentum naturale non εὐωδία coram Deo. Est vero oratio, quæ recte se habet. Hæc coram facie Dei certa est constansque. Dein Prov. XXVII. 9. *Oleum & suffimentum exhilarabit Cor.* Ἐν δυνάμει hæc vera sunt de oleo Spiritus & suffimento spirituali. Spiritus S. est *oleum lætitiæ* Psal. XLV. 8. in se & effective. Precatio fidei, quæ exauditur, animam reddit hilarem Joh. XVI. 22. 23.

 Cla-

Clarius constat ex Novo Test. Apoc. V. 8. *Phialæ aureæ plenæ suffituum, quæ sunt αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων Preces sanctorum.* Conf. Apoc. VIII. 3. 4. Dein Luc. I. 10. *Tota multitudo populi preces fundebat extra hora suffitus.* Ergo quando suffitus incendebatur, preces quoque fundebantur. Συζυγία hæc docet preces repræsentatas fuisse suffitu incenso, in cœlum ascendente. Quod respicitur Act. X. 4. *Preces tuæ ascendunt in conspectum Dei* suffitus instar. Constat *secundo* ex comparationibus suffitum inter & preces. Aromata minutissime contusa, varia, thuribulo aureo contenta, igne sacro coram Deo incensa, hinc in altum elata precum pontificialium egregiæ sunt figuræ, ut inferius docebit comparatio plenior. Quæritur

§. 610. Vigesimo tertio: *An suffitus extraordinarius in sanctissimo adumbret intercessionem Christi ad dextram Patris exaltati, de qua* Rom. VIII. 34. 1. Joh. II. 1. 2. Hebr. VII. 25. *An vero intercessionem Christi in statu exinanitionis, maxime in fine vitæ, de qua* Hebr. V. 7. Matth. XXVI. 38. 39. Luc. XXIII. 34. Joh. XVII.? Resp. Prius negatur, posterius affirmatur.

§. 611. Negationis rationes sunt. Pontifex suffiturus vestibus vilis pretii, pedibus nudus, isque stans, hostia piaculari pro populo nondum oblata, sanguine nondum sparso, hirco vivo nondum libertati dato nequit exprimere Pontificem Jesum Christum gloria coronatum, sedentem ad dextram Dei, Regem Ecclesiæ & mundi, virtute sanguinis sui fusi, viventem in æternum.

§. 612. At affirmationis: Pontifex Jesus Christus in diebus carnis exinanitus, contemtus preces fundens ex anima tristissima, maxime tempore emortuali pro se & peccatoribus morte vicaria nondum perlata commode sistebatur ab Aharone dicto modo comparato. v. Hebr. V. 7. Matth. XXVI. 38. 39. XXVII. 46. Luc. XXIII. 34. 36. Joh. XVII.

§. 613. Duo cum specie opponuntur. *Primum:* Suffitus incendebatur in sanctissimo coram facie Dei velo remoto. E. sistitur Christus in cœlo intercedens morte lata, vel, ut Apostolus habet, velo carnis in morte ablato Hebr. X. 19. 20. *Secundum:* Aromata incendebantur juvenco, sacrificio piaculari, jam mactato Lev. XVI. 11. 12. 13. Ergo intercessio, quæ pingitur, post mortem est intelligenda. Resp. Difficultates has agnosco. Minime tamen tanti sunt

valoris,

valoris, ut argumenta antecedente §. prolata. Infirmiora cedunt fortioribus. Dein respondemus: Christus ante mortem precans corpore suo nondum quidem erat in cœlo, sed anima fide plena, unde exstat Joh. XVII. 1. *Jesus sustulit oculos suos in cælum dixitque: Pater! venit hora; Glorifica Filium tuum.* v. 21. *Rogo, ut omnes unum sint, quemadmodum tu Pater in me, & ego in te.* Patrem fide tenuerat sibi præsentissimum Matth. XXVI. 39. 42. Verum insuper est: Christus precans in terris nondum plene mortuus, anima adhuc cum corpore unita. Attamen mortuo simillimus. *Anima erat tristissima* ἕως θανάτου *usque ad mortem.* Matth. XXVI. 42. Exstiterat ἐν ἀγωνίᾳ *in agone,* erat *sudor ejus guttarum sanguinis instar in terram descendentium* Luc. XXII. 44. Sanguis, in quo vita, magna copia tum flagellatione, tum crucifixione ex corpore ejus emanaverat. Denique fateor juvencum Pontificis ante incensionem fuisse quidem mactatum, non tamen hircum piacularem pro populo. Hujus maxima habenda est ratio. Juvencus nonnisi mactabatur, ut Aharon ad solennem expiationem pararetur dignus. Aromatum incensio faciunda, antequam juvenci sanguis in sanctissimum erat inferendus Lev. XVI. 12-15. Quæritur

§. 614. Vigesimo quarto: *Quare juvenco mactato non statim sanguis ejus in sanctissimum illatus sparsusque fuerit? Intercesserat quippe incensio aromatum* v. 12. 13. *At hirco mactato mox sanguis ejus illatus sparsusque fuit.* Resp. Ordine quem lex observat, commendatur gratia & efficacia precum ex ardente veri Mediatoris mente pro sacrificio piaculari, quod Aharon peccator sacrificare debuerat, fusarum. Non prius Pontifici permissum erat sanguinem juvenci sui in adytum coram facie Dei inferre, ac hic intercessione acceptus factus. Clara videtur nota Pontificatus Aharonici infirmi, impuri, gratia erat conciliandа per submissas fervidasque preces. Intercessione vero unica facta erat copia & sanguinem juvenci in sanctissimo spargendi, hircum & mactandi & etiam exceptum sanguinem aspergendi. Suffecerat una precatio valida, non repetenda.

§. 615. Inquirendum nunc in Mysterium sanguinis excepti sparsique. Quando vero jura utriusque sanguinis, juvenci & hirci, quæ describuntur v. 14. 15. conveniunt, conjunctim scrutabimur. Quæritur

§. 616. Vigeſimo quinto: *Quæ* Δήλωσις πνευματικὴ *ſanguinis dicti?* Myſticum enim eſſe Chriſtiani omnes fatentur, atque etiam ex ſupra dictis conſtat. Reſp Sanguinem Chriſti notat, ut ſcire licet ex pluribus locis Novi Teſt. quæ *ſanguinis Jeſu Chriſti* cum alluſione ad ſanguinem victimarum mentionem faciunt, ſpeciatim iis, quæ ſequuntur. Rom. III. 25. Deus filium propoſuit ἱλαςήριον in fide ἐν τῷ ἀυτȢ ἅιματι *in ſanguine* non juvencorum & hircorum, qui coram propitiatorio ſparſus, ſed ipſius Chriſti. 1. Petr. I. 2. ῥαντισμὸς ἅιματος *Aſperſio ſanguinis Jeſu Chriſti.* Hebr. XII. 24. *Vos acceſſiſtis ad ſanguinem aſperſionis meliora loquentem præ Abele.* Alius ſanguis non ita ſolenniter ſparſus, ac dictus in ſanctiſſimo. Hic quoque optima bona locutus erat, dederatque Iſraeli fideli. Quare ſingulariter intelligendus is eſt. Hebr. XIII. 12. *Jeſus ut ſanctificaret populum* διὰ τȢ ἰδίȣ ἅιματος *per proprium ſanguinem extra portam paſſus eſt.* Conf. IX. 13. 14. Specialius notat animam Chriſti; Hoſtia ſcilicet tota retulerat totum Chriſtum, conſtantem corpore & anima. Quando hoſtia mactabatur, corpus adeoque à ſanguine ſeparabatur picturam habemus ſeparationis corporis & animæ Chriſti. Cadaver hoſtiæ aliter tractabatur ac ſanguis ejus. Illud non ferebatur in ſanctiſſimum, exportabatur extra caſtra ac ibi comburebatur Levit. XVI. 27. Solus ſanguis in adytum erat illatus. Alia fata memorantur corporis & animæ Chriſti. Illud haſta laceratum, à cruce ablatum, ſepulchro ac ſtatui mortis erat commiſſum. At anima corpore relicto paradiſum ſive cœlum intraverat, eratque ſingulariter in manu Dei, uti conſtat ex hiſtoria evangelica Luc. XXIII. 43. 46. 53. 60. Unde in ſacris ceu phraſes æquipollentes occurrunt, *ſanguinem effundere pro peccatoribus* Matth. XXVI. 28. 1. Pet. I. 18. 19. Eph. I. 7. & dein *animam dare* v. Matth. XX. 28. Joh. XX. 12. 18. Conf. Jes. LIII. 10. Sine dubio Chriſti anima pars excellentior erat quoque typice depingenda. Typus convenientior animæ, ſi ſanguinem excipis, non datur. Huc apprime facit Lev. XVII. 12. נפש *anima carnis eſt in ſanguine*, ſanguine deficiente deficit vita corporis. Commode huc faciunt verba Abarb. in Comment. ad Lev. XVII. 11. pag. 254. c. 2. m. והנה צוה שעל המזבח יקריב אדם את קרבנו ויהיה גוף הבהמה ובשרו תחת גופו ובשרו על הבעל המקריב ויהיה דם הבהמה מפאת הנפש החיונית הנשראה בה תחת

תחת נפש האדם נפש תחת נפש כי לא יוכל אדם להקריב דבר ממושש מתיחס אל הנפש כי אם הדם *Ecce mandatum est homini datum, ut offerat oblationem suam in ara sitque corpus animalis & caro ejus loco corporis & carnis ejus, cujus est offerre; At sanguis bestiæ propter animam vivam quæ in eo loco animæ hominis; Anima ergo pro anima. Nequit enim homo quidquam palpabile, quod ita respondet animæ, offerre. si sanguinem excipis.* Quæritur

§. 617. Vigesimo sexto: *Quodnam Mysterium sanguinis sparsioni, eique octava vice repetitæ, semel supra propitiatorium, septies coram eo à parte orientali arcæ in sanctissimo insit.* Resp. Quæstio constat V. membris. Ad singula respondebimus. *Primo ad primum.* Sanguinis sparsio sistit mortem Christi vicariam præsentatam, ut vis ejus vergeret ad reconciliationem sancti Dei & remissionem peccatorum, sicuti ex Q. XXV. clare fluit. Dein ad *secundum.* Unica sparsio, quæ supra propitiatorium, quod quoque sanguis tetigerat, ac sparsionibus reliquis præcesserat. sistit lytrum animæ Christi Deo judici semel præsentatum, quod statim acceptum, in æternum validum, quodque ἱλασμὸς pro peccatis totius mundi est, declaratum. Paulus hinc Rom. III. 25. *Deus proposuit Jesum Christum* ἱλαστήριον *in sanguine suo* (typicum hilasterium aspergebatur sanguine bestiæ; At antitypicum sanguine Christi proprio) *ad demonstrationem justitiæ propter remissionem peccatorum antefactorum sub V. Testamento* non solum in posterum faciendorum. Unica hæc superior sparsio fundamentum sparsionum inferiorum vel applicationis fructuum mortis Christi ad salutem peccatorum. *Insuper ad tertium.* Septem hæ inferiores sparsiones sanguinis, qui in pavimentum delapsus erat, sistunt præconium mortis Christi & meritorum ejus gratiosissimum perfectissimum per omnes Ecclesiæ periodos, peccatoribus faciendum in terris. *Præterea ad quartum.* Sparsio facta conversa Pontificis facie ad Deum docet παῤῥησίαν Pontificis Jesu Christi, qui ipse animam suam judici Deo proposuerat pro vita hominum accipiundam. *Ultimo ad quintum.* Sanctissimum sistit cœlum summum, Dei judicis palatium, vel, ut exstat, Hebr. IX. 24. *Jesus Christus* cum sanguine suo in cœlum ipsum intravit ad apparendum nunc in conspectu Dei pro nobis. Quæritur

§. 618. Vigesimo septimo: *An sparsiones memoratæ referant Pontificem Jesum Christum sedentem in throno Majestatis ac intercedentem pro*

homi-

hominibus? Resp. Minime. Sparsiones enim hæ factæ sunt à Pontifice stante, viliores vestes gestante, ante dimissionem hirci vivi. Vid. quoque *Quæst. XXIII.* Occurrit Sponsor, qui præsentata morte sua vicaria gratiam judicis pro peccatoribus petit. Antitypus ergo quærendus in Christo statim post mortem ante exaltationem coram Deo comparente Luc. XXIII. 43. 46. Quæritur

§. 619. Vigesimo octavo: *Quid mystice significet effectus* Levit. XVI. 16. *Et expiet ita sanctum illud ab immunditiis Filiorum Israel & à defectionibus eorum, ab omnibus peccatis eorum?* Resp. Mysterium hoc ex dictis patet. Præsentatus sanguis Christi statim Deum cum hominibus reconciliavit. *Hostes existentes reconciliati sumus cum Deo per mortem Filii Dei.* Rom. V. 10. *Deus erat in Christo mundum sibi ipsi reconcilians, non imputans iis peccata eorum.* 2. Cor. V. 19. *In Christo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Christus ita factus est* ἱλασμὸς *pro peccatis totius mundi* 1. Joh. II. 2. cujuscunque speciei & gradus, Filii Israel certi sunt de remissione omnium peccatorum in ipso coelo facta. Quæritur

§. 620. Vigesimo nono: *Quis antitypus verborum.* Lev. XVI. 16. b. *Et sic faciet tentorio conventus habitanti cum illis in medio immunditiarum eorum.* V. Exeg. 269 - 278. Resp. Quemadmodum sanctissimum cœlum, sic sanctum Ecclesiam, spirituale tentorium Dei, quod inhabitat 1. Cor. VI. 9. 2. Cor. VI. 16. refert. Est & hoc impurum coram oculis Dei. 1. Joh. I. 7. II. 1. Unde indiget sanguine Christi, quo expiatur purgaturque. Fit vero hæc expiatio & purgatio in Ecclesia, quemadmodum in cœlo. Unica sparsione superiori confirmabatur valor æternus sanguinis Jesu Christi effusi. Confirmabatur ejus applicatio per omnes Ecclesiæ Periodos septem aliis inferioribus sparsionibus. Mysterium sparsionum contra velum ex Decreto Ecclesiæ Judaicæ faciundarum ideo omittimus, quod constitutiones humanæ significatione spirituali careant. Quæritur

§. 621. Trigesimo de mysterio verborum v. 17. *Ullus autem homo non erit in tentorio Conventûs, quando ille intrat ad expiandum in sancto, usque dum is exit & expiaverit pro se & pro domo sua & pro toto Israel.* vid. Exeg. §. 278 - 285. Resp. Lex hæc manifestat unicum nonnisi esse Mediatorem Deum inter & homines, qui se dedit Ἀντίλυτρον *pro omnibus* 1. Tim. II. 5. 6. Ex posteris Adami nullum pror-

prorſus eſſe, qui כפר *redemtionis pretium* ſolvere queat. *Frater redimendo non redimet virum ; Non dabit Deo כפרו expiationem ejus. Pretioſius namque eſt פריון pretium redemptionis animæ eorum.* Pſal. XLIX. 8. 9. Non in cœlo ipſo, non etiam in Eccleſia dari, qui peccatores expiet, reconcilietque cum Deo, imo nequidem, qui Myſterium Expiationis introſpexerit, nec qui queat dirigere. Omnes Adami poſteros extra ſtare & ſupplices gratiam & miſericordiam per Pontificem Jeſum quærere, exſpectare ; Conſilium pacis nonniſi eſſe בין שניהם *inter duos*, Jehovam & verum Pontificem, Angelum interpretem, qui redemtionem Jehovæ præſentaverat. Quare hic dixerat ; *Redime illum, quo minus in foveam deſcendat. Inveni* (enim) כפר *λύτρον redemtionis* (ſuæ). Pontifex Aharonicus erat homo, qui quidem typice expiaverat in ſanctiſſimo & ſancto, quique ceu peccator indiguerat expiatione pro ſe, ſed qui repræſentaverat verum Pontificem *θεάνθρωπον* ſanctum, à peccatoribus ſeparatum, cui aliter non neceſſaria erat redemptio, quam ut abſolvatur à peccatis generis humani ipſi injectis, ſanguine ſuo pretioſo fuſo. Notandum etiam ſingulariter introitum nonniſi prohiberi usque ad factam expiationem. Hac vero facta liberum fuiſſe aditum ad Deum. v. Eph. II. 13. *Nunc vero vos in Chriſto Jeſu, qui aliquando eratis procul, propinqui facti eſtis in ſanguine Jeſu Chriſti.* Conf. III. 12. Rom. V. 1. 2. Col. I. 21. Hebr. X. 19. 20. IV. 14. 16. Quæritur

§. 622. Trigeſimo primo : *Quæ ſit ratio antitypica altaris ſuffitus expiandi, purgandi, ſanctificandi & quidem factis jam ſparſionibus in ſanctiſſimo & in ſancto, dando ſanguinem ſuper quatuor ejus cornua, ſepties ſpargendo.* v. Lev. XVI. 18. 19. Reſp. Deo per unicum ſacrificium Jeſu Chriſti plene reconciliato, Eccleſiæ gratiam eapropter per omnia offerri & dari ſecula ; Speciatim optimum, quem teſtamur, cultum, preces ipſius indigere expiatione, purificatione, ſanctificatione, ceu quæ magnam partem conſtant deprecationibus plurimorum, variorum, graviorum peccatorum, quæ quoque aliis laborant defectibus & infirmitatibus. Ceremoniis his vero ſiſtitur, promittitur, datur reatus ablatio, ſordium purgatio, ſanctitatis donatio, virtute ſanguinis Chriſti per omnes quatuor mundi plagas, omni loco & omni tempore. Hinc fideles ſpem habent cultum non fore irritum, deteſtabilem, quin gratia Jeſu Chriſti gratum acceptumque, infirmum licet. Quæritur

§. 623. Tricesimo secundo : *Quid significet ordo, juxta quem hircus vivus non prius adducendus, ut dimittatur, quam absoluta sanctissimi, sancti & altaris suffitus expiatione* v. 20. Resp. Circumstantia hæc maximopere est tenenda. Nam clare docet statum vitæ & libertatis hirci vivi à morte socii & vi expiationis factæ esse arcessendum, ut cognoscamus statum exaltationis vitæ & libertatis Jesu Christi esse fundatum in morte ejus & hinc facta reconciliatione Phil. II. 6 - 12. Luc. XXIV. 26. Antea morti tradendus propter peccata, postea ad vitam excitandus, ut justi declaremur Rom. IV. 25. Imperfectio, quæ typis inesse solet, non permiserat, ut idem occisus hircus ad vitam resuscitaretur. Nihilominus statuit sapientissimus legislator, ut ab initio ambo hirci piaculares essent pro populo, alter non solum mortem pro populo obiret sed & morte sua expiaret socium, liberaretque à reatu prius adjudicato & hinc morte. Quare præstitis omnibus præstandis alter hircus *vivus* coram Deo manserat constitutus, ut cum solennitatibus libertati redderetur. At ob summam perfectionem, quæ in antitypo, idem, qui mortuus, qui Deum glorificavit, nos sanctificavit, revixerat, ut in æternum gloriose viveret. Quæritur

§. 624. Tricesimo tertio : *Annon huic mysterio contrarientur, quæ sequuntur* v. 21. scil. *χειροθεσία, confessio peccatorum, impositio peccatorum in caput hirci hujus. Si vero non contrariantur, quodnam ceremoniarum harum Mysterium ?* Resp. Quoad *primum.* Non contrariantur. Utique si secuta fuisset hujus hirci mors ex sententia Dei Mysterium, quod significatum est, nullum. At manserat vivus, notanter dicitur החי *vivus ille*, dimittebaturque in libertatem. Si peccata hirco huic, ut hostiæ piaculari fuissent imposita, certo maledictioni & morti traditus fuisset. Quoad *secundum* : Peccata itaque vi oppositionis erant capiti hirci *vivi* imposita, ut, ceu jam expiatus, & absque vi maledictionis auferret extra conspectum Dei. Quare v. 22. legitur : *Portabit hircus hic supra se omnes perversitates eorum ad terram excisionis.* Non luendum ipsi pro peccatis impositis ; Nonnisi ferenda erant *ad terram excisionis*, in qua nulla eorum recordatio. v. Exeges. §. 341 - 367. Quæritur

§. 625. Trigesimo quarto : Quid notet *Azazel*, ad quem *hircus vivus* deductus v. 26. *Desertum* v. 21. 22. *Terra excisionis* v. 22. Resp. *συνάφεια* typi postulat, ut intelligam Christum redivivum, gregi redditum

ditum esse, vivere cum grege & hunc certum facere de omnimoda remissione peccatorum, nullam eorum esse memoriam. v. *Myst.* Quæst. XXXIII. Quæritur

§. 626. Tricesimo quinto: *Quem referat vir opportuni temporis, hirci dux* v. 21.? Resp. Non clare liquet. Existimaveram quidem significari ipsum Sponsorem v. *Exeg. Por. VIII.* §. 367. Sed nunc cogitata hæc non placent. Videtur contrariari elegantiæ picturæ divinæ. Hircus ipse sistit Christum. Ergo dux aliud quid. Dein vir hic adstringitur ad lotionem, qua Christus non indiget v. 26. Incidit nunc annon rectius intelligamus *Ministros Evangelii*, qui se *viros* gerunt, qui prædicant Christum, maxime redivivum, in plena libertate & gloria, idque *temporibus opportunis propriis* 1. Tim. II. 6. & qui ob infirmitates & peccata sua commiseratione Dei indigent, ut purgentur. Quæritur

§. 627. Tricesimo sexto: Quodnam Mysterium v. 23. *Et intrabit Aharon in tentorium Conventûs ac exuet vestes lineas, quas induerat, quando intraverat in sanctum illud, & relinquet eas ibi?* Resp. Christus opere salutis per Passiones peracto & excitatus in æternum relinquit statum exinanitionis, ceu vestem vilem deponit, induit vero gloriam æternam ac in throno Majestatis in cœlis sedet. v. Exeg. §. 377. Quæritur

§. 628. Tricesimo septimo: Quæ δήλωσις πνευματικὴ v. 24. b. *Lavabit quoque carnem suam aquis in loco sancto & postea induet vestes suas?* Resp. Consummato Ministerio expiationis Aharon lavando carnem suam Pontificem verum glorificatum proprie referre nequit. Semper purissimus lotione haud indiguerat. Qui in cœlo purificat, ipse impurus non est. Talia luculento testantur de imperfectione Pontificatus Aharonici v. *Exeg.* §. 378. p. 6. Porisma vero 4. ex numero observationum moralium potius est, quam vere typicarum. v. ibi *Notam in fine* §. *cit.* Quæritur

§. 629. Tricesimo octavo: An & quis sensus mysticus lateat in verbis Lev. XVI. 24. *Ex hinc prodibit & faciet Holocaustum suum & Holocaustum populi & expiabit pro se & pro populo.* Vid. *Exeg.* §. 278-285. Resp. Est mysticus ex generalibus, quæ præmissa sunt, argumentis. Ipsum vero Mysterium non ita clarum, maxime hac ex causa, quod expiatione per sanguinem juvenci & hirci jam facta

§. 623. Tricesimo secundo: *Quid significet ordo, juxta quem hircus vivus non prius adducendus, ut dimittatur, quam absoluta sanctissimi, sancti & altaris suffitus expiatione* v. 20. Resp. Circumstantia hæc maximopere est tenenda. Nam clare docet statum vitæ & libertatis hirci vivi à morte socii & vi expiationis factæ esse arcessendum, ut cognoscamus statum exaltationis vitæ & libertatis Jesu Christi esse fundatum in morte ejus & hinc facta reconciliatione Phil. II. 6 - 12. Luc. XXIV. 26. Antea morti tradendus propter peccata, postea ad vitam excitandus, ut justi declaremur Rom. IV. 25. Imperfectio, quæ typis inesse solet, non permiserat, ut idem occisus hircus ad vitam resuscitaretur. Nihilominus statuit sapientissimus legislator, ut ab initio ambo hirci piaculares essent pro populo, alter non solum mortem pro populo obiret sed & morte sua expiaret socium, liberaretque à reatu prius adjudicato & hinc morte. Quare præstitis omnibus præstandis alter hircus *vivus* coram Deo manserat constitutus, ut cum solennitatibus libertati redderetur. At ob summam perfectionem, quæ in antitypo, idem, qui mortuus, qui Deum glorificavit, nos sanctificavit, revixerat, ut in æternum gloriose viveret. Quæritur

§. 624. Tricesimo tertio: *Annon huic mysterio contrarientur, quæ sequuntur* v. 21. scil. *χειροθεσία, confessio peccatorum, impositio peccatorum in caput hirci hujus. Si vero non contrariantur, quodnam ceremoniarum harum Mysterium?* Resp. Quoad *primum*. Non contrariantur. Utique si secuta fuisset hujus hirci mors ex sententia Dei Mysterium, quod significatum est, nullum. At manserat vivus, notanter dicitur החי *vivus ille*, dimittebaturque in libertatem. Si peccata hirco huic, ut hostiæ piaculari fuissent imposita, certo maledictioni & morti traditus fuisset. Quoad *secundum*: Peccata itaque vi oppositionis erant capiti hirci *vivi* imposita, ut, ceu jam expiatus, & absque vi maledictionis auferret extra conspectum Dei. Quare v. 22. legitur: *Portabit hircus hic supra se omnes perversitates eorum ad terram excisionis.* Non luendum ipsi pro peccatis impositis; Nonnisi ferenda erant *ad terram excisionis*, in qua nulla eorum recordatio. v. Exeges. §. 341 - 367. Quæritur

§. 625. Trigesimo quarto: Quid notet *Azazel*, ad quem *hircus vivus* deductus v. 26. *Desertum* v. 21. 22. *Terra excisionis* v. 22. Resp. *συνάφεια* typi postulat, ut intelligam Christum redivivum, gregi redditum

ditum esse, vivere cum grege & hunc certum facere de omnimoda remissione peccatorum, nullam eorum esse memoriam. v. *Myst.* Quæst. XXXIII. Quæritur

§. 626. Tricesimo quinto: *Quem referat vir opportuni temporis*, hirci dux v. 21.? Resp. Non clare liquet. Existimaveram quidem significari ipsum Sponsorem v. *Exeg. Por. VIII.* §. 367. Sed nunc cogitata hæc non placent. Videtur contrariari elegantiæ picturæ divinæ. Hircus ipse sistit Christum. Ergo dux aliud quid. Dein vir hic adstringitur ad lotionem, qua Christus non indiget v. 26. Incidit nunc annon rectius intelligamus *Ministros Evangelii*, qui se *viros* gerunt, qui prædicant Christum, maxime redivivum, in plena libertate & gloria, idque *temporibus opportunis propriis* 1. Tim. II. 6. & qui ob infirmitates & peccata sua commiseratione Dei indigent, ut purgentur. Quæritur

§. 627. Tricesimo sexto: Quodnam Mysterium v. 23. *Et intrabit Aharon in tentorium Conventûs ac exuet vestes lineas, quas induerat, quando intraverat in sanctum illud, & relinquet eas ibi?* Resp. Christus opere salutis per Passiones peracto & excitatus in æternum relinquit statum exinanitionis, ceu vestem vilem deponit, induit vero gloriam æternam ac in throno Majestatis in cœlis sedet. v. Exeg. §. 377. Quæritur

§. 628. Tricesimo septimo: Quæ Δήλωσις πνευματική v. 24. b. *Lavabit quoque carnem suam aquis in loco sancto & postea induet vestes suas?* Resp. Consummato Ministerio expiationis Aharon lavando carnem suam Pontificem verum glorificatum proprie referre nequit. Semper purissimus lotione haud indiguerat. Qui in cœlo purificat, ipse impurus non est. Talia luculento testantur de imperfectione Pontificatus Aharonici v. *Exeg.* §. 378. p. 6. Porisma vero 4. ex numero observationum moralium potius est, quam vere typicarum. v. ibi *Notam in fine* §. *cit.* Quæritur

§. 629. Tricesimo octavo: An & quis sensus mysticus lateat in verbis Lev. XVI. 24. *Ex hinc prodibit & faciet Holocaustum suum & Holocaustum populi & expiabit pro se & pro populo.* Vid. *Exeg.* §. 278 - 285. Resp. Est mysticus ex generalibus, quæ præmissa sunt, argumentis. Ipsum vero Mysterium non ita clarum, maxime hac ex causa, quod expiatione per sanguinem juvenci & hirci jam facta

denuo alia memoretur. Ἥττημα expiationis typicæ, quæ toties repetenda, docetur. Holocaustum Pontificis sistit Filium Dei Pontificem peracto opere redemtionis integrum, lætum, sacrum gloriæ Patris & saluti peccatorum. *Vivit* nonnisi *Deo* Rom VIII. 10. Est Holocaustum vivum. Holocaustum vero populi repræsentat redemtos *Deo in Christo Jesu Domino nostro vivos.* Rom. VIII. 11. *Exhibentes corpora hostiam vivam, sanctam, gratam Deo.* Rom. XII. 1. Quibus Holocaustis expiatio semel facta confirmatur ac applicatur. Quæritur

§. 630. Tricesimo nono: De Mysterio verborum v. 25. *Adipem hujus sacrificii pro peccato incendet in ara.* v. Exeg. §. 386 - 390. Resp. Non una est mens. Explicatur de intensissima & constantissima Salvatoris jam consummati voluntate servandi suos, qua ipse vim meriti sui electis applicans indesinenter pro iisdem intercedit. Ratio hæc datur, quod oblatio vel incensio sequatur sparsionem sanguinis in sanctissimo, id est, repræsentationem Spiritus Christi humani & meriti jam impetrati. Dubito, num stringat hæc ratio ex ordine sumta. Obstare videtur combustio cadaverum v. 27. incensione adipis adhuc posterior, quæ tamen adhuc demonstrationem justitiæ Dei contra peccata sistit. Quare & mactatio & sparsio & incensio adipis & combustio cadaverum concurrunt ad expiationem peccatorum. Male itaque adipem comburendum explicari de affectibus carnalibus vi fervoris divini consumendis. Vid. *Ainsworth in in Lev. III. 9.* & *Exeg.* §. 390. Quæritur.

§. 631. Quadragesimo: De sensu spirituali Legis v. 27. *Juvencum vero sacrificii illius pro peccato & hircum quoque sacrificii illius pro peccato, quorum sanguis illatus fuit ad expiandum in sancto, educat extra castra & comburent igne pelles eorum & carnem eorum ac fimum eorum.* v. *Exeg.* §. 398 - 406. Qui clare aperitur Hebr. XIII. 11. *Quorum animalium pro peccato sanguis per Pontificem in sancta illatus erat, illorum corpora comburebantur extra castra;* Διὸ *ideo & Jesus, ut sanctificaret populum proprio sanguine* ἔξω τῆς πύλης *extra portam passus est.* Plura in porismatibus ad h. v. in Exeg. §. 406.

§. 632. Quadragesimo primo: Quodnam durationis hujus expiationis Mysterium: *Et erit vobis statutum seculare.* v. 29. Resp. Uti Aharonica expiatio durabat per seculum œconomiæ Mosaicæ tandem

dem finiendæ ; Sic vera Pontificis Filii Dei per œconomiam regni ejus nunquam finiendi. Est enim sanguis Jesu Christi, quo *Testamentum absolute æternum* corroboratum est. Hebr. XIII. 20. Quæritur

§. 633. Quadragesimo secundo *de Mysterio temporis hujus solennis expiationis, quod incidit in unicam diem & quidem decimam in initio anni politici mensis Tisri, quodnam illud sit.* Lev. XVI. 29. Exod. XXX. 10. Lev. XXIII. 27. XXV. 9. Num. XXIX. 7. Curatissime ergo hoc tempus definitum erat. Quare hic dies notanter audit dies הכפורים prorsus insignium *illarum expiationum* & penes Judæos κατ' ἐξοχὴν יומא *dies*. Resp. Mysterium *unicæ Diei* satis clarum est & docet, unica die peccata esse ἐν δυνάμει tollenda. Quo recte refertur promissio Zach. III. 9. *Removebo iniquitatem terræ hujus* ביום אחד *die uno.* Quo tempore cruci affixus, sanguis in sanctissimo illatus, opus reconciliationis substantialiter consummabatur 2. Cor. V. 19. 21. *Jesus per proprium sanguinem* in sancta intravit αἰωνίαν λύτρωσιν εὑρόμενος *æternam redemtionem inveniens* Hebr. IX. 12. Unde morti proximus exclamaverat : *Consummatum est* Joh. XIX. 30. Profecto *dies judicii & gratiæ*, si quis unquam illustris. Pater filio non pepercit, ut parceret peccatoribus.

§. 634. Non ita clarum Mysterium *diei decimæ in initio novi anni.* Accommodatius non habeo, quam quod indicetur reconciliatio generis humani ab initio novæ œconomiæ Messianæ, pauco interjecto tempore facta. *Decem* accipio pro tempore exiguo, ut Gen. XXIV. 55. Amos. V. 3. VI. 9. Apoc. II. 10. *Afflictio decem dierum*, quæ cito transit. Ex quo œconomia Messiæ illucescere incepit scil. à diebus Johannis usque ad mortem Jesu Christi decem dies sive exiguum interlapsum est tempus , ימי תשובה *dies resipiscentiæ* in quibus Johannes & Christus resipiscentiam prædicarunt , quales, testantibus Judæis, intercurrerunt inter initium anni & solennitatem expiationis. Quæritur

§. 635. Quadragesimo tertio de sensu spirituali officiorum ; *Affligetis animas vestras & nullum opus facietis.* Lev. XVI. 29. quæ semel ac iterum repetuntur. Resp. Docet clarissime, non alios spem habere remissionis peccatorum gratiosæ, quam pœnitentes , fideles, cultui divino vacantes v. Jes. I. 16 - 19. Luc. XXIV. 47. Act. II. 38. XIII. 39. Heb. V. 9. Quæritur

§. 636. Quadragesimo quarto de mysterio Legis : *Indigena & peregrinus, qui peregrinatur in medio vestrum* Lev. XVI. 29. Resp, Omnes resipiscentes, credentes, obedientes, Deum colentes non solum ex Judæis, sed & Gentibus actu participare de reconciliatione & remissione peccatorum 2. Cor. V 19. Act. X. 34. 35. Rom. III. 22. X. 12. Peregrinus, qui resipiscit, credit, veniam peccatorum accipit. Non item irresipiscens, infidelis, hypocrita, licet sit Pontifex, imo licet Apostolus, ut Judas.

§. 637. Mysterium, quod Lev. XVI. 30. clarum est ex *Exeg.* vid. §. 444. vid. quoque supra Quæst. XXVIII. §. 629.

§. 638. Mysterium, quod spectat Lev. XVI. 31. 32. vid. in Exeg. §. 465.

§. 639. Vide quoque Mysterium in Exegesi §. 473.

§. 640. Quandoquidem mysteria ex Legibus Exod. XXX. 10. & Lev. XXIII. 26 - 34. jam notata sunt ad Lev. XVI. hic supersedeo. Quæritur

§. 641. Quadragesimo quinto de mysterio Lev. XXV. 9. 10. *Et facies, ut personet buccina clangoris fracti in mense septimo* (die) *decima mensis, in die* (insignium) *illarum expiationum facta, ut personet buccina per totam terram vestram. Et sanctificabitis annum quinquagesimum & proclamabitis libertatem in terra omnibus inhabitatoribus ejus. Jubilæum hoc erit vobis & redibitis quisque ad possessionem suam & quisque ad familiam suam revertemini.* Sequens videtur fundamentum hujus solennitatis. Datur quidem expiatio annua peccatorum totius populi Dei, cujus per omnes dies Novi Testam. participes evadent omnes resipiscentes, credentes in Deo quiescentes. Attamen exspectandum est tempus illustrius ipsis ultimis felicibus N. T. diebus posterius (quippe Jubilæum immediate celebrandum post septimum Sabbatismum) ac longe lætius, quod primo voce jubila ex sententia synedrii superioris, dein omnium communi per totam terram sonabit, plenissima gratia omnibus sine discrimine nationis conferenda, tollenda, quæ adhuc supererat, inæqualitate divitum, pauperum, herorum, servorum, testato mutuo erga omnes effusissimo amore, servis in plenam missis libertatem, restituta possessione v, *Exeg.* à §. 518 - 537. maxime porismata in §. 538. Quæritur

§. 642. Quadragesimo sexto de sensu mystico Legis plenioris Num. XXIX. 7 - 12. Quorum Δήλωσις πνευματικὴ jam supra est significata, eam nunc mitto. Hircus ille piacularis *Jehovæ* Lev. XVI. 9. est omnium præcipuum sacrificium, referens Christum manifestatum in similitudine carnis peccati, veram hostiam, qua peccata mundi erant expiata. Reliqua hujus diei sacra integra, plurimum Holocausta, ex pecore bovino, arietino, ovino cum fertis, oleo, thure sale, libaminibus proportionatis, ceu מוספים *addiditia*, sistunt Christum in fidelibus, liberis à peccatis malitiæ, sinceris, omnium classium, pastoralis, politicæ, gregariæ, ardenti amore, in Spiritu S. precibus, moribus & juxta mensuram χαρισμάτων, quam quisque habet, verbis bene salsis se totum tradere, paratumque esse, ut sit patri gratus cibus, potusque usque ad mortem, quo ita passiones in propria carne latæ per passiones in carne fidelium suppleantur, sintque patri εἰς εὐωδίαν. Fideles omnium ordinum & Sacerdotes & sacrificia spiritualia esse liquet ex 1. Pet. II. 5. 9. Psalm LI. 19. Speciatim Holocausta Rom. XII. 1. Ferta Psal. CXLI. 2. Malach. I. 11. in Epist. Judæ v. 20. 2. Cor. II. 15. 16. Rom. XV. 16. Marc. IX. 47. 50. Libamina 2. Tim. IV. 6.

§. 643. His præmissis tuto pede progredimur ad comparationes typum inter & antitypum in illustri, quod tractamus, themate. Comparationes hæ hunc habent usum, ut in brevi Συνόψει ab uno latere divinam Σκιὰν, ab altero depictam Ἀλήθειαν oculis lustrare queamus. Quo vero labore ita defungar, ut primo generalem comparationis Tabellam, tum speciales sim prolaturus. Hisce subjungam differitates notabiles typum inter & antitypum, quo anima fidelis non Judæorum infidelium more pictura nimium capiatur, utpote qui personam divinam cum bonis spiritualibus depictam nullo aut vix ullo habent loco.

* *
* *

§. 644.

TABELLA
Comparationis generalis inter expiationem ſolennem.

Typicam per Aharonem.	*Antitypicam per Jeſum Chriſtum.*
Expiator. Gratioſa Numinis Providentia Pontifex V. Teſtamenti conſtitutus eſt, ut Iſraelem expiaret. Lev. XVI. 31. 32.	*Expiator.* Jeſus Chriſtus gratioſiſſima Patris voluntate æternus Pontifex datus, ut mundum ſecum reconciliaret. Pſ. CX. 4. 2. Cor. V. 19 - fin.
Duo expiationis media. Expiaturus interceſſit & ſacrificium piaculare pro populo obtulit Lev. XVI. 11. 12. 15. 16.	*Duo expiationis media.* Reconciliavit intercedendo & ſeipſum offerendo. Joh. XVII.
Medium primum. Incenſio ſuffitus prunis ignitis ab ara ſumtis coram facie Jehovæ immediate facta, ut ſacrificium eſſet acceptum. Lev. XVI. 11. 12.	*Medium primum.* Fervida & fidelis Jeſu Chriſti precatio coram Patre per Spiritum S. ut varie ſuis benediceret virtute mortis pro iis obeundæ. Joh. XVII. 1. 11. 15. 17. 19.
Medium alterum, quo peccata populi expiabantur, conſtabat ex duobus hircis, qui tamen quaſi unus habebantur, & una expiationem perfecerant. Speciali voluntate Dei unus morti, alter vitæ addicebatur. Lev. XVI. 5 - 11.	*Medium alterum* peccata mundi expians eſt humana Chriſti natura in ſimilitudine carnis manifeſtata, primo morti tradita, tum ad vitam æternam excitata Non ſunt duo diſtincta ſacrificia. Eſt unum idemque. Qui *traditus propter peccata noſtra, idem ad juſtificationem noſtram eſt excitatus.* Rom. IV. 25. 1. Tim. II. 5. 6. Apoc. I. 18. V. 6.

Fata

Fata hirci morti addicti. Hic ex judicio Dei ceu hostia piacularis mactabatur, sanguis ejus in sanctissimum inferebatur, spargebatur, adeps comburebatur, cadaver extra castra cremabatur.

Lev. XVI. 15. 25. 27.

Fata Christi in statu exinanitionis. Ob peccata mundi ipsi imposita morte afficiebatur, sanguis ejus in cœlum inferebatur, spargebatur, interiora ceræ instar virtute zeli divini liquescebant & corpus extra Hierosolymam crucifigebatur.

2. Cor. V. 21. Jes. LIII. 6. 10. Psal. XXII. 15. Hebr. XIII. 12.

Effectus hujus hostiæ. Populus expiabatur, purificabatur ac sanctificabatur.

Lev. XVI. 16. 18. 19.

Effectus mortis Jesu Christi. Remissio peccatorum, purificatio à peccatis & sanctificatio.

Eph. I. 7. 1. Joh. I. 7. 9. Apoc. I. 5. 1. Cor. VI. 11.

Fata hirci vivi. Hic morte socii expiatus vivus coram Deo manet, mittiturque in libertatem, peccata expiata à facie Dei ita ablaturus, ut nulla eorum amplius sit recordatio.

Lev. XVI. 10. 21. 22.

Fata Jesu Christi in statu exaltationis. Morte perlata, superata non solum ipse in æternum Deo vivit ac gaudet gloriosa libertate, sed & peccata ita abstulit, ut nulla eorum sit memoria.

Rom. VI. 9. 10. Apoc. I. 18. Rom. VIII. 33. 34. Jer. XXXI. 34. Mich. VII. 19.

Hircus hic vivus per virum ἐυκαιρίας intuente & lætante populo in desertum ducebatur, qui negotio, quod ei committebatur, absoluto lotus castra sancta denuo erat ingressus.

Lev. XVI. 21. 22. 26.

Christum ex morte vivum cum plenitudine gratiæ acquisitæ Viri Dei *temporibus propriis* in desertum mundi producunt, excitantque ingens gaudium. Qui vero memores suarum in munere hoc infirmitatum misericordiam divinam quærunt, seque cœtui sancto associant. 1. Tim. III. 16. II. 5. 6. I. 12-17. Tit. I. 4. 2. Cor. IV. 10. 11.

Subjectum expiationis. Erat populus Israel, tum originarius, tum adventitius, uterque testans animæ afflictionem propter peccata ac quietem à proprio profano labore unice in fide intentus in consideratione mortis hostiæ piacularis & fructuum ejus.

Lev. XVI. 29 - 34.

Subjectum veræ expiationis omnes & soli resipiscentes, ab operibus mortuis abstinentes, fideles, annuntiantes mortem Christi, obedientes ex Judæis & Gentibus.

Marc. I. 15. XVI. 15. 16. Hebr. IX. 14. 1. Cor. XI. 26. Hebr. V. 9.

Tempus expiationis erat communiter una dies mox post initium novi anni præmissis diebus resipiscentiæ; Singulariter modo illustri post annum septimum sabbathicum in Jubilæo.

Lev. XVI. 29. Exod. XXX. 10. Lev. XXV. 9. 10.

Tempus expiationis antitypicæ semel per Christum factæ incidit in initium œconomiæ Novi Testamenti finito Ministerio Johannis solennis resipiscentiæ præconis; At manifestabitur fructus ejus modo illustrissimo finito molesto labore ac certamine, ipso quoque anno sabbathico, qui populo Dei superest in omni numero consummato jubilæo.

Hebr. IX. 12. 25 - fin. X. 14. Luc. XVI. 26. Matth. XI. 12. 13. Hebr. IV. 9. Jes. LXI. 1 - 4. Zach. III. 9.

§. 645.

TABELLA

Comparationis specialis prima sistens Pontificem

Veteris & *Novi Testam.*

Solenniter expiaturus populum Israel poscebatur Pontifex, Sacerdotum gregariorum caput.

Lev. XVI. 3. 31. XXI. 10. 2. Chron. XIX. 11.

Qui peccata totius mundi expiat, est vere magnus Ἀρχιερεὺς Jesus Christus, communium Sacerdotum Dominus.

Hebr. IV. 12. III. 1. Apoc. I. 6. V. 9. 10.

A Pa-

Isque vocatus à Deo ad tantum munus confirmatusque miraculo ac judiciis contra malevolos, Pontificatum ejus abnegantes.

Exod. XXVIII. Num. XVI. XVII. Hebr. V. 4.

A Patre vocatus ac firmiter corroboratus divinis signis, prodigiis, judiciisque, frustra hostibus insurgentibus & horribiliter deletis.

Psal. CX. 4. Hebr. V. 5. Matth. XXI. 43. Luc. XX. 18. XXVI. 64. Constat ex historia devastatæ Hierosolymæ, speciatim Templi.

Publice initiabatur totali corporis lotione.

Exod. XXIX. 4. Lev. VIII. 6. XVI. 3.

Initium muneris publice faciebat baptismo vel totali immersione corporis in Jordane.

Matth. III. 13. 16.

Nec non larga olei in caput ejus effusione.

Lev. XVI. 31. Exod. XXIX. 7. Quare olim dictus *Sacerdos ille unctus*. Lev. IV. 3.

Cum baptismo conjuncta erat constans ac dives largitio Spiritus S. hinc ἐν δυνάμει nuncupabatur משיח χριςὸς Psal. II. 2.

Matth. III. 16. Joh. I. 33. juxta vaticinia Psal. XLV. 8. Jes. LXI. 1. Psal. CXXXIII. 2. & typum Aharonis.

Solenniter initiatus munus suum pontificiale actu aggressus erat.

Lev. VIII.

Mox post baptismum Mediator Jesus Christus publicum munus suum etiam pontificiale aggressus erat.

Luc. IV. 1. Act. X. 38. Matth. III. 17. Hebr. V. 7.

Quod vero singulariter notandum, expiatione solenni non aliter, quam humillimo vestitu, viliori præ vestibus Sacerdotum, defungi poterat.

Vere & supra modum humilis Pontifex Jesus Christus æternam pro peccatoribus redemtionem consecuturus per omnem vitam, hinc sine ulla auctoritate, dignitate humana, ecclesiastica, opibus, publice contemtissimus, maxime circa finem prostratus in terram & depressus usque ad mortem crucis erat.

Lev. XVI. 31. 34.

Heb. V. 7. Matth. VIII. 20. Marc. VI. 2. 3. Matth. XXVI. 38. 39. Phil. II. 8. Juxta vaticinia Zach. IX. 9. maxime Jes. LIII.

Quod pariter notandum, *solus*, nemine juvante, solennem hanc expiationem susceperat egeratque.

Lev. XVI. 17. 1. 2.

Μόνος, *solus* quoque salutem generis humani acquisivit iram judicis ferendo, tollendo, gratiam & vitam æternam promerendo, qui hinc solus causa salutis nostræ.

Act. IV. 12. Hebr. V. 9. 1. Cor. I. 30. juxta vaticinium Jes. LXIII. 3. 5.

Unde molestissimum erat hoc Pontificis munus, quod eum varie tota die exercuerat.

Lev. XVI.

Quantus Pontificis Jesu Christi labos & molestia, scire licet ex Passionibus animæ & corporis, lamentabilibus clamoribus, *anima mea tristis usque ad mortem. Pater, si possibile, transeat hic calix. Deus mi! Deus mi! Quare me deseruisti?* Molestia hæc duraverat quidem per omnem vitam, maxime tamen publicam, omnium maxime emortualem.

Hebr. V. 7. Luc. XII. 49. 50. Joh. XII. 27. Matth. XXVI. 38. 39. XXVII. 46.

§. 646.

TABELLA
Comparationis specialis secunda sistens

Suffitum Aharonis.

Pontificis erat Die Expiationis solenniter in sanctissimo suffire.

Preces Pontificis Jesu Christi.

Pontifex Jesus Christus expiationem nostram in morte perfecturus intensas preces, etiam solus, in sinum Patris cœlestis effudit.

Lev. XVI. 12. 13.

Joh. XVII. Luc. XXII. 41. 42.

Suffitus hic constabat ex suavis odoris aromatibus.
Lev. XVI. 12.

Et quidem ei acceptas gratasque.
Hebr. V. 5. Erat enim exauditus ac glorificatus. Contenta hoc ipsum probant.

Maxime quinque; Stacte, Onyche, Thure, Galbano & Sale.

Lev. XVI. 12. Exod. XXX. 34. 35.

Speciatim glorificationem, eucharistiam, adprecationem, deprecationem & intercessionem.
Joh. XVII. 1. 4. 23. 11. 17. 20. Luc. XXIII. 34.

Iisque minutim contusis.

Lev. XVI. 12. Exod. XXX. 36.

Constantes cogitationibus, gemitibus, verbis, gestibus humillimis, tristissimis, fidelibus tamen. Testantur clamores, prostrationes supra citati, sudor sanguineus. v. Psal. XXII. 15. 16.

Quæ plenis pugillis accipiebat indebatque acerræ sacræ.

Hæ diviter erant collectæ in mente sua sanctissima, ceu sacro precum vase.

Lev. XVI. 12.

Ex dictis patet. v. Ps. LXII. 9. Pontifex hic ipsa quasi תפלה *precatio.*

Tum in sanctissimo effundebat super prunas ignitas, ab ara coram facie Dei depromtas.
Lev. XVI. 12. 13.

Et incensæ per Spiritum suum, qui Spiritus ignis cœlestis coram facie Dei.
Judæ v. 20. Matth. III. 11. 1. Thess. V. 19. Joh. XVII. 1.

Unde nubes ascenderat repleveratque illud, excitaveratque ἐυωδίαν.
Lev. XVI. 13.

Preces hæ ascenderant in benevolam recordationem fœderis & hinc gratiæ.
Pater enim exaudivit filium. Joh. XVII. Hebr. V. 7.

Hac incensione peracta, Aha-

Post has preces secuta erat mors

ron poteſtatem habuerat hoſtiam piacularem mactandi & ſanguinem ſpargendi, cum ſpe gratioſæ acceptationis.

Lev. XVI. 13. 14.

mors ejus vicaria cum approbatione acceptata pro peccatis generis humani.

Joh. XVII. XVIII. XIX. XX. 2. Cor. V. 19 - fin.

§. 647.

TABELLA

Comparationis ſpecialis tertia ſiſtens victimam piacularem

Typicam.	*Antitypicam.*
Conſtantem hoſtia hircina, male olente, laſciva, horrida, populum peccaminoſum referente.	Chriſtum Filium hominis fratribus peccatoribus ſimilem, etiam ſimilitudinem carnis præſentantem.
Lev. XVI. 5.	Hebr. II. 19. IV. 15. Rom. VIII. 3.
Hoſtia hæc ex duobus hircis dupla, attamen intentionaliter tantum una, ceu quæ una Iſraelem expiaverat.	Qui duplo in ſtatu exinanitionis & exaltationis in ſacris depingitur; Eſt tamen unus idemque operans ad ſalutem noſtram.
Lev. XVI. 5. Ob infirmitatem, quæ typis ineſſe ſolet. Non datur animal νεκροζῶον.	Rom. IV. 25. Pſ. CXVIII. 22. Jes. LIII. Quidam Judæi duplum finxerant Meſſiam humilem & glorioſum. Eſt unus idemque. v. 1. Tim. II. 5. 6.
Uterque ab initio una datus in ſacrificium pro peccato. Utrique itaque populi peccata imputata erant.	Unus hic ſacrificium piaculare pro mundo factus, concurrente tamen utroque ſtatu.
Lev. XVI. 5.	2. Cor. V. 21. Agnus Dei fert & aufert peccatum mundi. Ut mactatus fert, ut vivus aufert.

Unus

Singulari prorſus conſilio Dei duo hi hirci, qui quaſi unus, oppoſita ſubire jubebantur fata; Alter per ſortem morti, vitæ alter addictus erat.

Lev. XVI. 8. 9. 10.

Unus idemque definito conſilio Dei primo dabatur morti; Poſtea vitæ.

Act. II. 23. 24.

Ille, qui morti addicebatur, ſolus populi peccata, hinc maledictionem & mortem ferre debebat.

Lev. XVI. 9.

Ut deſtinato ad mortem juſtus Deus omnium noſtrum peccata injecerat cum vi eorum venenata & maledictione luenda.

Jes. LIII. 2. Cor. V. 21. Gal. III. 13.

Quare ille mactandus, ſanguis ejus ſpargendus, adeps flamma altaris conſumendus, cadaver vero extra caſtra erat comburendum.

Lev. XVI. 15. 25. 27.

Unde actu graviſſime paſſus, mortem maledictam, penetrantes animæ angores tulit, ſanguinem effudit, paſſus ac ſepultus eſt extra Hieroſolymam.

v. L. cit. dein Pſ. XXII. 15. 16. Matth. XXVI. 38. 39. XXVII. 46. Joh. XIX. 34. Hebr. XIII. 11. 12.

At hic morte ſocii ipſe expiatus immunis à maledictione & morte judicabatur. Hinc vivus coram Deo habebatur. Peccata populi expiata à conſpectu Dei abſtulerat portaveratque in deſertum, ut nulla eorum amplius eſſet recordatio, viveretque in libertate.

Lev. XVI. 10. 21. 22.

Eidem, ut deſtinato vitæ, Deo Judice per paſſiones glorificato, peccatis expiatis, vita glorioſa, æterna, libera promiſſa, remiſſio quoque peccatorum populi ita plena, ut nulla eorum ſit ἀνάμνησις, data eſt.

Rom. IV. 24. Pſalm XVI. 11. Jes. LIII. 10. Eph. I. 7. Hebr. X. 17. 18.

§. 648.

§. 648.

TABELLA
Comparationis ſpecialis quarta ſiſtens

Aſperſionem ſanguinis hirci.	*Aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.*
Mors hirci piacularis erat quidem ad ſalutem populi neceſſaria; At nondum ſuffecerat. Lev. XVI. 15.	Neceſſe quidem erat, ut Jeſus Chriſtus Sponſor pro peccatis mundi moreretur. Lev. XXIV. 26. 46.
Poſcebatur inſuper ſanguinis ejus aſperſio. Loc. cit.	Sed & neceſſe, ut ſanguis ejus aſpergeretur. 1.Pet. I. 2. Ezech. XXXVI. 25.
Peccata quippe, ceu ſpirituales ſordes, penetrant in ſanctuarium interius coram facie Dei, polluuntque. Lev. XVI. 15. 16.	Peccata enim aſcendunt in Cœlum, patrantur coram oculis Dei ac contaminant. Gen. XVIII. 21. Pſal. LI. 6. 1. Joh. I. 7.
Penetrant quoque in ſanctuarium exterius, ipſum etiam ſanctiſſimum precum cultum, ac polluunt. Lev. XVI. 16. 18. 19.	Eccleſia Dei, vi peccatorum, quæ in ea patrantur, ſordida fit conſpurcaturque, ipſæ etiam preces imperfectionibus ac pollutionibus non carent. Unde excitant iram Dei. 1. Cor. V. 6. XI. 29.30. 1.Tim. II. 8. 1. Pet. III. 7.
Quare ſanguis & expians & ſanctificans in ſanctiſſimum coram conſpectu Dei erat inferendus. Lev. XVI. 14. 15.	Sanguis Chriſti vere expians & ſanctificans ſiſtendus in cœlo coram facie Dei. Hebr. IX. 14. 24.
Ubi ipſum propitiatorium hoc ſanguine ſemel erat conſpergendum; Septem vero vicibus ſan-	Cujus ſancta vis, ut unica ejus in cœlo aſperſio Deum nobiſcum reconciliaverit. At applicationes ejus

guis hic coram propitiatorio ita ſpargendus, ut guttæ ejus in pavimentum deciderint.	ejus ſæpiſſime per omnes Eccleſiæ Periodos repetuntur, ſuntque validæ, vi primæ aſperſionis, quæ propitiatorium tetigerat.
Loc. cit.	Rom. III. 25. V. 10. Apoc. I. 5.
Sanguis dein ſimiliter ſpargendus in ſanctuario exteriori.	Eccleſia in terris imitatur Eccleſiam in cœlo. Gratia Dei in Jeſu Chriſto in terris manifeſtatur, quemadmodum in cœlo abſcondita ſe habet.
Lev. XVI. 16. b.	Matth. XVIII. 18. VI. 10.
Sanguine hoc ſpeciatim tingenda erant quatuor altaris ſuffitus cornua; Ipſum altare ſepties quoque erat aſpergendum.	Cultus in Eccleſia, ipſæ preces, quæ robur & gloria ejus, ſanguine Jeſu Chriſti purgantur, corroborantur, fiuntque εἰς εὐωδίαν Dei.
Lev. XVI, 18. 19.	Joh. XVI. 23. 2. Cor. II. 14. 15.
Sparſionibus his peractis non ſolum Iſrael acceperat veniam omnium peccatorum, ſed & purgabatur à peccatis, ſanctusque conſtituebatur.	Unde Iſrael Dei per ſanguinem aſperſionis non ſolum conciliatus cum Deo, ſed & purgatus à ſordibus, ac ſanctus factus coram Deo, Angelis, Eccleſia, funditque preces acceptas efficacesque, ac cultus ejus Numini placet.
Lev. XVI. 16 - 21.	2. Cor. V. 19. Hebr. IX. 14. XIII. 12. 1. Joh. I. 7. Apoc. I. 5.

§. 649.

TABELLA

Comparationis ſpecialis quinta ſiſtens

Ducem emiſſarii in deſertum.	*Duces Evangelii de fructibus Chriſti vivi.*
Hirco uno pro peccatis mortuo, altero hinc vitæ adjudicato hic non amplius in cuſtodia reti-	Chriſto paſſo & mortuo pro peccatis mors nullam amplius poteſtatem eum retinendi habuerat, quin

nendus, quin plenæ libertati erat dandus.	quin gloriose resurrexerat in omni libertate vitam æternam ducturus.
Lev. XVI. 21. 22.	Rom. IV. 25. Act. II. 24. Heb. II. 14. Rom. VI. 9. 10. Eph. I. 20 - fin.
Constituebatur hunc ad finem איש עתי *vir opportuni temporis.*	Eligebatur מבשר *Evangelista* vel Chorus Evangelistarum, virorum veræ Ἐυκαιρίας.
Lev. XVI. 21.	Jes. LII. 7. 1. Tim. II. 6.
Cujus erat hircum vivum peccata expiata absque vi venenata efferentem præsente, intuente & gaudente populo educere.	Quorum est uno ore & animo prædicare reconciliationem per vitam & mortem Christi ac digito quasi monstrare; Hic est reconciliatio nostra.
Lev. XVI. 22.	2. Cor. V. 19. 20. 1. Joh. II. 1. 2.
Peccata expiata ferebantur in desertum, terram excisam.	Evangelium læte nuntiat nullam ideo amplius esse peccatorum recordationem, profunde esse sepulta.
Lev. XVI. 22.	Jer. XXXI. 34. Mich. VII. 19. Hebr. X. 17.
Hircus vero liber gregi in deserto restituebatur.	Excitatum vero Jesum Christum cum fidelibus in cœlo & terra quasi in deserto loco occulto in omni vivere libertate.
	Matth. XXVIII. 20. XVIII. 20. Coloss. III. 4.
Dux hic negotio sibi commisso finito & lotione peracta ad castra vel Hierosolymam revertebatur.	Præcones Evangelii præconio ex voluntate Dei sed non sine infirmitate & pollutione absoluto quærunt misericordiam in sanguine Jesu Christi accipiuntque, & ita genuini evadunt cives urbis Hierosolymitanæ.
Lev. XVI. 26.	2. Tim. IV. 6 - 9. I. 2. Apoc. VII. 14. §. 650.

§. 650.

TABELLA

Comparationis specialis sexta sistens genuinum expiationis subjectum

Sub V. Testamento.	*Sub N. Testamento.*
Erat totus Israel. Lev. XVI. 16. 17.	Est Israel DEI. Gal. VI. 16.
Circumcisus, legaliter purus, affligens animam suam, intentus huic negotio expiationis, & ideo totus vacans cultui huic solenni, absque discrimine nationum, tribuum, statuum, sexus.	Qui spiritualiter circumcisus, sanctificatus, resipiscens, abnegans seipsum, credens Evangelio & pie vivens.
Lev. XVI. 33. Exod. XII. 43. Num. IX. 6.	Rom. II. 29. Col. II. 11. Marc. I. 15. Matth. XVI. 24. Hebr. V. 9.
Constans non solum ex Judæis, sed & Gentilibus, Proselytis justitiæ.	Sive Judæus, sive Gentilis, qui baptizatus in Nomen Christi & credit.
Lev. XVI. 29. Exod. XII. 47 - 50.	Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. 16. Eph. II. 13 - fin.
Qui vero animas non afflixerunt, nec exacte erant feriati, illi non solum beneficiis expiationis caruerunt, sed & rei excidii & punitionis divinæ.	Spiritualiter incircumcisi, impuri, irresipiscentes, infideles, impii propria culpa excidunt salute per Christum parta, damnanturque.
Lev. XVI. 29. 30. XXIII. 29. 30.	Act. VII. 51. Apoc. XXI. 27. Matth. XVIII. 3. Marc. XVI. 16. Joh. III. 18. 36.

§. 651.

TABELLA

Comparationis specialis septima sistens Tempus Expiationis

Sub V. Testamento.	*Sub N. Testamento.*
Hoc erat unica dies in anno. Lev. XVI. 34. Exod. XXX. 10.	Unica oblatione, una adeoque die peccata mundi vere expiabantur. Hebr. X. 10. 14. Zach. III. 9.
Inciderat hæc communiter mox post principium novi anni tuba Clangoris significati, peractis diebus resipiscentiæ præparatoriis. Lev. XVI. 29. XXIII. 29.	Non diu post exordium novi anni gratiæ vel œconomiæ in diebus Messiæ Johanne ejus præcursore aliisque tempus gratiæ tuba Evangelii annuntiantibus resipiscentiam & fidem prædicantibus. Matth. III. 2. Luc. XVI. 16. Matth. XI. 12. 13.
Inciderat etiam prorsus singulariter & solennissime eadem die in Jubilæo; Anno scil. quinquagesimo, finitis annis tum laboris, tum sabbathicis, etiam ultimo proxime præcedente. Lev. XXV. 9. 10.	Reliquum, ut speramus, verum Jubilæum populo Dei est solennissime celebrandum absolutis periodis novi Test.; Temporibus tum laboriosis, tum quietis, speciatim sabbathico ultimo. Apoc. XI. 15 - 18. XIX. 6. 7. Hebr. IV. 9 - 12.
Plena tum in Israel regnabat libertas, fiebatque restitutio in integrum. Lev. XXV. 10.	Læte in populo Dei dominabitur perfecta redemtio & restitutio omnium rerum juxta vaticinia Prophetarum. Rom. VIII. 21 - 24. Luc. XXI. 28. Act. III. 21.
Speciatim servi hebræi in plenam mittebantur libertatem, heris similes facti. L. cit.	Quodsi adhuc reliquum de servitute externa, abrogabitur, succedetque manifestata regia dignitas. L. cit. Apoc. V. 10. III. 21.

Hære-

Qui hactenus caruerant paterna avitaque hæreditate, postliminio ad eam reversi sunt, evaseruntque cohæredes fratrum.	Hæreditatem cœlestem, qua propter peccata exciderant, plene reportabunt, eruntque cohæredes Filiorum Dei.
Loc. cit.	Matth. XXV. 34. Rom. VIII. 17. 1. Pet. I. 4. 1. Joh. III. 1. 2.
Hæc libertas per totam Canaan publicis privatisque clamosis clamoribus nuntiabatur. Loc. cit.	Tum cœlum & terra ingenti jubilo personabunt. *Apoc.* XI. 15 - f. XIX. 4 - 8.

§. 652. In studio typico maximam obtinere differitatem typum inter & antitypum, hunc illum præstantia (ut corpus umbram & persona ejus picturam) longe superare notissimum est. Quare sensum mysticum exaltaturus superaddam tabellas differitatum, quæ non tantum Σκιὰν esse Ministerium Expiationis Aharonicæ, sed & aliquando manifestam oppositionem ostendent. Recte sequor illuminatum Epistolæ ad Hebræos auctorem omni studio id agentem, ut Hebræi confirmandi in fide M. Pontificis Jesu Christi cernant ab una parte hujus divinam gloriam, ac veram æternam acquisitam salutem, ab altera Aharonicorum infirmitatem, umbram, imo aliquando nequidem umbram, sed contrarium. Opposita enim subinde typi & antitypi est ratio, sicuti, quæ sequuntur ad oculum ostendent.

§. 653.

TABELLA
Differitatum specialis prima sistens

Aharonem in infirmitate.	*Pontificem Jesum Christum in gloria.*
Hic erat merus homo. Hebr. V. 1.	Hic Θεάνθρωπος. Hebr. IV. 14. 15.
Et quidem peccator.	Isque sanctus, inculpatus, separatus à peccatoribus.
Hebr. V. 3. VII. 27.	Luc. I. 35. Hebr. VII. 26. IV. 15. IX. 14. 1. Pet. II. 22.

Unctus oleo terreſtri. Exod. XXIX. 7. XXX. 23.	Perfuſus Spiritu S. oleo lætitiæ. Pſal. XLV. 8. Act. X. 38. Jes. LXI. 1.
Lotus aqua. Exod. XXIX. 4.	Lotus quoque aqua Jordanis, ſed & deſcendente ac manente ſuper eo Spiritu S. Matth. III. 16.
Inauguratus Miniſterio Moſis. Exod. XXIX. Lev. VIII.	Inauguratus voce Patris cœleſtis in cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo*, tanquam vero ſacrificio, *acquievi.* Matth. III. 17. Jes. XLII. 1.
Solenniter expiaturus inveſtiebatur quatuor tantum lineis *materialiter* vilibus veſtibus, ſpeciatim tunica, femoralibus, baltheo, pileo, humilitatis teſtibus. Lev. XVI. 4.	Mortem vicariam obiturus, genus humanum redemturus ſpiritualiter veſtitus erat, juſtitia, caſtitate, veritate, ſpe in ſumma humilitate. 1. Cor. I. 30. Phil. II. 8.
Abſque juramento. Lev. VIII.	Cum juramento Jehovæ. Pſal. CX. 4. Hebr. VII. 20. 21.
Ob infirmitatem, impuritatem aut ſimilem cauſam aliquando vicario indigus ad expiationem populi. Fatentibus ipſis Judæis, & rei, de qua quæſtio, natura.	Prorſus immunis à tali caſu, ſolus in perpetuum Pontifex manet, ſalvatque. Hebr. VII. 3. 25.
Quem mors vivere ſemper non permiſerat. Hebr. VII. 23.	Neque dierum initium, neque finem habet, ceu poſſidens potentiam vitæ indiſſolubilis. Hebr. VII. 3. 16. 24.
Quare Pontificatus Aharonicus ad plurimos tranſierat, brevis vitæ homines. Lev. XVI. 31. Hebr. VII. 23.	Unde Pontificatus ejus erat ἀπαϱάβατος. Pſal. CX. 4. Hebr. VII. 24.

Jeſus

Aharon nonnisi erat Pontifex, non simul rex.	Jesus Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci est & Pontifex & Rex.
Exod. XXIX. Lev. VIII.	Ps. CX. 4. Hebr. VII. 1. Gen. XIV. 18.

§. 654.

TABELLA

Differitatum specialis secunda sistens

Imperfectionem suffitus sub V. Testamento.	*Perfectionem precum Christi.*
Quæ suffitum hunc constituunt omnia materialia, terrestria, mortua, ut aromata, ignitabulum, acerra, ligna & prunæ.	Suffitus Pontificis Jesu Christi totus spiritualis, cœlestis, vivus, scil. Preces eæque variæ, spiritus, cor, ardor.
Lev. XVI. 12. 13.	Matth. XVI. 38 - 45. Joh. XVII. Hebr. V. 7.
In se minime suavis in naribus Dei, quin sæpissime detestabilis.	Hinc semper acceptus εἰς ὀσμὴν εὐωδίας ac validus.
Jes. I. 13. Jer. VI. 20. Jes. XLIII. 23. Amos. V. 21.	Joh. XI. 42. Hebr. V. 7. VII. 25. Rom. VIII. 33. 34.
Incensio facta in sanctissimo manu facto, coram arca & symbolica Numinis præsentia; Imo sub Templo II. nequidem coram arca.	In cœlo ipso coram facie Dei.
Lev. XVI. 13.	Hebr. IX. 24. Joh. XVII. Matth. XXVI. 39. Ubi sedet semper vivus, ad intercedendum pro nobis.
Ingressus, egressus nullus finis, annuatim repetebatur.	Rom. VIII. 34. Hebr. VII. 25.

§. 655.

§. 655.

TABELLA

Differitatum specialis tertia sistens

Victimas piaculares Aharonis Die Expiationis.	*Victimam Pontificis Jesu Christi.*
Hæ erant ἄλογοι, irrationales, nihil intellexerant, nihil intenderant, nihil valuerant, externa vi cogebantur, ut mortem obirent vicariam.	Hæc vere λογική, intendens glorificationem Dei, salutem peccatoris, ex amore propenso ad moriendum pro nobis.
Constat ex natura rei.	Liquet speciatim ex oratione Pontificiali Joh. XVII. Matth. XVI. 21 - 24. Hebr. X. 5 - 11.
Triplex erat prorsus distincta. Lev. XVI. 3. 5.	Hæc erat unica. Hebr. X. 14.
Primo juvencus pro propriis peccatis. Lev. XVI. 3. 11. Hebr. V. 3.	Pro propriis peccatis nihil obtulit, nec poterat offerre. Hebr. VII. 26. 27.
Dein duo hirci natura fœtidi, lascivi, petulci. Lev. XVI. 5.	Unica ejus victima erat in se ἄμωμος, suave olens, sancta, casta, patiens, agnus Dei. Peccatum in illo prorsus nullum erat, sed tantum ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας ob imputationem, qualis in piacularibus in usu. Eph. V. 2. Hebr. IX. 24. Joh. I. 29. Jes. LIII. 5. 6. 9. Rom. VIII. 3.
Unus ex illis mactatus non solum erat, sed & in morte manserat, sed alter nunquam mortuus erat, permanserat tempore solennitatis vivus, licet postea mortem obierit aliorum hircorum instar. Lev. XVI. 8 - 11. 21.	Ille ipse, qui mactatus & vere mortuus, revixit manetque in æternum vivus. Rom. IV. 25. VI. 7. 9. XIV. 9.

Suffe-

Singulis annis repetebantur victimæ piaculares pro pontifice & populo.	Suffecerat mors & resurrectio Jesu Christi ad salutem peccatorum semel facta, nunquam repetenda.
Lev. XVI. 34.	Hebr. IX. 25- fin.
Pontifex alius. Victimæ aliæ.	Jesus Christus simul Pontifex & victima.
Lev. XVI. 3.	Hebr. IX. 14. Tit. II. 14. Eph. V. 2. Jes. LIII. 10.

§. 656.

TABELLA

Differitatum specialis quarta sistens sparsionem

Sanguinum bestiarum piacularium.	*Sanguinis Jesu Christi.*]
Sanguis erat juvenci & hirci, isque vilis. Lev. XVI. 14. 15.	Qui sanguis sapientis sancti hominis, Θεανθρώπου, pretiosissimus. 1. Tim. II. 5. 6. Act. XX. 28. 1. Joh. I. 7. 1. Pet. I. 19.
Primo quilibet seorsim postea permixtim spargebatur. Lev. XVI. 14. 15. 18.	Unicus, adeoque impermixtus cum alio. Hebr. IX. 12. 13.
Exceptus è corporibus bestiarum sparsusque manu & digito Pontificis, qui ipse impurus purificatione indiguerat.	Effluens è corpore, quod Templum Dei ἐν δυνάμει, quemque Pontifex sanctissimus Deo immediate obtulit spargendum ad verum peccatorum usum.
Lev. XVI. 11. 14. 15.	Joh. XIX. 34. II. 19. 21. Joh. X. 18. XVII. 19. Hebr. VII. 26. 27.
Sparsus licet XLIII. in sanctissimo, sancto, in ara suffitus & effusus tandem in ara Holocausti non consummaverat neque populum,	Hic vero unica oblatione, effusione, sparsione vere expiat, purgat, sanctificat, consummat in æternum omnes fideles.

neque ipsum Pontificem, ceu qui mox rursus lotione indiguerat.

Lev. XVI. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 24. Hebr. X. 2 - 7.

Hebr. X. 10. 12. 14.

§. 657.

TABELLA

Differitatum specialis quinta sistens

Hircum vivum, libertati redditum, ejusque ducem ductumque.

Vivus quidem audit missusque in libertatem; Attamen mors dominabatur in eum, Judæis fatentibus ex sententia Synedrii ab ipso duce de rupe præcipitabatur. Vel potius juxta Legem pascebatur in rupibus inviis, locis desolatis, cum grege suo, & tamen tandem ei moriendum erat.

Lev. XVI. 21. 22.

Vir εὐκαιρίας hirco hoc longe excellentior, ceu quem ipse duxerat protexeratque.

Loc. cit.

Christum vivum liberum, ejusque præcones.

Christus nunc vivit in secula seculorum fruiturque summa libertate (ceu ipse Dominus Dominorum, agnus simul & magnus ovium Pastor) lætissime cum suis consummatis in pascuo cœlesti oculis nostris tecto agens.

Apoc. I. 18. Eph. I. 21. 22. Apoc. XIX. 16. XIV. 1. VII. 17. Hebr. XIII. 20. Coloss. III. 3. 4.

Christus reviviscens ipse duces Evangelii eligit, mittit, idoneos reddit, ac potenter conservat.

Matth. XXVIII. 18 - f. Joh. XX. 21 - 24. Marc. XVI. 15 - f. Matth. XVI. 18. 19.

§. 658.

§. 658.

TABELLA

Differitatum specialis sexta sistens subjectum expiationis

Sub V. Testamento.	Sub N. Testamento.
Non tam erat populus, quam popellus intra angustos Canaan limites coactus, expiationem typicam è sanctuario manu facto accipiens.	Est populus vere multus, innumerus per totum orbem sparsus, qui veram expiationem è coelo accipit.
Lev. XVI. 14-20.	Apoc. V. 9. VII. 9. 14.
Hic maximam partem ex gente Judaica, perexiguam ex Ethnica.	Ex utraque gente Judaica & Ethnica, maximam tamen partem ex hac.
Lev. XVI. 29.	Marc. XVI. 15. 16. Eph. II. 14-f. Malach. I. 11. Act. XIII. 46. Rom. XI. XV. 19.
Externe & in carne circumcisus, purus, afflictus, jejunans, ferians, jam habebatur expiatione dignus.	Spiritu circumcisus, mente mutatus, sanctificatus, patiens, quiescens in Deo, adorans Deum in spiritu & veritate est vere populus reconciliatus.
Exod. XII. 44. 48. Num. IX. 5-11. Lev. XVI. 29. 30.	Coloss. II. 11. Marc. I. 15. 1. Cor. VI. 11. Matth. XVI. 24. Joh. IV. 24. 1. Cor. VI. 19, 20.

§. 659.

TABELLA

Differitatum specialis septima sistens tempus expiationis.

Sub V. Testamento.	Sub Novo Testamento.
Durabat per unicum annum, imo diem. Sequente anno repe-	Hæc durat per secula seculorum, nunquam repetenda.

tenda erat hæc expiatio. Sequente die nova offerebantur facrificia.

Lev. XVI. 34. Exod. XXX. 10.

Hebr. X. 12 - 14. IX. 25 - fin.

Jubilatum mox excipiebat ejulatus. Jubilæo enim finito anni molesti & laboriosi, paupertas, servitus denuo recurrebant.

Lev. XXV. 9. 10.

Jubilus hic est simpliciter æternus. Labos nullus, lachrymæ nullæ, paupertas nulla, nulla servitus recurrit. Qui hoc Jubilæum vivent, virtute expiationis Jesu Christi, in æternum liberi, vere hilares, imo Reges & Sacerdotes æterni erunt.

Apoc. VII. 15 - fin. XXI. 1. 4. V. 9. 10.

F I N I S.

ADDITAMENTUM,


Quo

Myſterium Diei Expiationis,

ex nova quadam Hypotheſi,

Die XXVII. Martii A. MDCCXLIX.

Tentatum ac publicatum, modeſte examinatur.



SYNOPSIS.

NOva Hypothesis mysterii duorum hircorum publicata occasio est hujus Additamenti. §. I - IV.

In quo Hypothesis hæc consistat. §. IV.
Ordo & Partes Tractationis. §. V.
Primo proferuntur Argumenta, quæ novam hanc Hypothesin destruunt.

Sunt vero sequentia.
Generale. §. VI.
Specialia. א. Hircus mittendus ad Azazel sistitur *vivus*. §. VII.

ב. Dein *expiatus*. §. VIII.
Occurritur objectioni. §. IX.
ג. Porro *in libertatem missus*. §. X.

Talis vero hircus non potest repræsentare traditionem Jesu Christi in manus injustissimorum ad vexationem & mortem. Sed repræsentat statum exaltationis vitæ, justificationis & libertatis Jesu Christi.

ד. Insuper hircus prior actu mactatus, Sanguis ejus illatus, sparsusque typice sistit passiones & mortem Christi vicariam, ad remissionem & purgationem vicariam. §. XI.

ה. Præterea hircus alter honeste ad Azazel educebatur, expiatione jam absoluta Lev. XVI. 20. E. non repræsentaverat traditionem Christi in potestatem hostium. §. XII.

ו. Tan-

9. Tandem salus nostra non consistit in morte Christi solum; sed & in exaltatione ejus. Hinc uterque status in nobilissimo hoc typo repræsentatus erat. Nova vera hypothesis stat solum pro statu mortis. §. XIII. XIV.

Secundo proferuntur objectiones, solvunturque. Prima petitur ex mysterio Hebr. XIII. 11. 12. Sed hic locus non agit de hirco ad Azazel. §. XV. XVI.

Altera, ex Lev. XVI. 27. At non semper curata ordinis ratio in sacris, speciatim typicis, tenetur. In cit. loco minime ob circumstantias Textus. §. XVII.

Tertia: Peccata totius Israel, in caput hirci ad Azazel, imponebantur quidem; Sed non ad luendum, verum ea auferendum. §. XVIII.

Respondetur ad instantiam primam. §. XIX.
Secundam. §. XX.
Tertiam. §. XXI.
Quartam. §. XXII.

Nova hypothesis sub Azazele intelligit diabolum; Quod vero Argumentis rejicitur. §. XXIII.

Consimiliter sub duce non potest intelligi Judas, neque etiam turba promiscua, quam duxerat. §. XXIV.

Pariter desertum non refert statum Judæorum corruptissimum, in quem Servator statim post agoniam devenit. §. XXV.

§. I.

Ex quo Dissertationem inauguralem, de mysterio Diei Expiationum, ex nova quadam hypothesi docte tentato, acceperam, statim avidus eam legeram, relegeramque experturus convenientiam aut disconvenientiam cum cogitatis meis. jam ante IX. Lustra Marpurgi à me inchoatis, posteriore tempore auctis, non ita pridem finitis, de toto mysterio solennis Diei Expiationis, juxta omnes Leges Mosaicas hoc de nobilissimo Themate translatorie, analytice, exegetice & mystice tractato. Gratum mihi erat

erat videre consensum in substantia mysterii, quod præcipuum fidei nostræ in Jesum Christum caput stabilit, licet non conveniamus in omnibus quæstionibus specialibus. Non mirum. In genere valet, quod Paulus affirmat: *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus*; Speciatim in studio typico, (quod quoque propheticum) ejusque parte mystica, quæ communiter *interpretatu difficilis*. Hebr. V. 11. & interpretes exercere solet. Lusit ita providentia divina, ut studiosi hujus studii se invicem excitent, ζήλωσιν πνευματικὴν specialius & profundius scrutentur atque ita ad majorem mysteriorum cognitionem perveniant. *Ferrum ferrum acuit.*

§. II. Quare *Additamentum* hoc operi meo prolixiori hoc de Themate subjicere constitui, non dubitans quin pl. Reverendus mihique amicissimus Auctor in bonam partem interpretaturus & momenta dissensus sit pensitaturus. Hanc spem alit modesta Amici honoratissimi cum fratribus agendi ratio.

§. III. Quæ Cl. Auctor mecum communia habet, non repetam, aut si aliquando opus, paucis tantum, referamque ad præsentem usum. Nec alios dissentientes hoc in *Additamento* examinandos sumam. Labor proprie & intentionaliter versabitur circa novam hypothesin ejusque rationes.

§. IV. Nova vero hæc hypothesis ponit triplicem scenam repræsentatam Lev. XVI. ad evolvendum mysterium Diei Expiationis, scil. *Prima exhiberi prioris hirci mactationem, ipsiusque sanguine factam expiationem. Secunda hirci posterioris, peccatis populi impositis onusti eductionem. Tertia prioris hirci mactati exportationem atque concremationem extra castra.* vid. p. 30. Unde triplex format mysterium. Per prioris hirci mactationem putat Vir Clarissimus *præcipue & in suo formali repræsentari gravissimam agoniam optimi Servatoris in horto Gethsemane, dirissimam animæ ipsius beatissimæ luctam, qua simul corpus ejus ita adfectum urgentissimique angoris ita particeps factum fuit, ut sanguinem sudando profuderit tanta copia, quæ deflueret in terram.* p. 35. Non vero in sensu formali significasse Christi mortem in cruce p. 32. Dein emissionem alterius hirci arbitratur *respexisse ad traditionem Domini in manus injustissimorum hominum judicumque, qui desertum illud constituebant, in quod Servator optimus erat tradendus.* p 46. Denique existimat *nihil evidentius esse, quam Apostolum considerare, atque interpretari concre-*

mationem illorum corporum extra castra, ut figuram passionum Jesu Christi in cruce, in quam sublatus fuit extra portam Hierosolymorum, in monte Calvariæ. p. 74. maxime ob locum Hebr. XIII. 11. 12.

§. V. Proferam primo argumenta, quæ cum nova hac hypothesi stare nequeunt, quæque hanc (saltem ut ego existimo) destruunt. Tum respondebo ad objectiones & exceptiones.

§. VI. Argumentum primum, idque generale. *Hircus mittendus ad Azazel in desertum repræsentat Christum vivum, expiatum vel justificatum, libertati restitutum.* E. *non potest repræsentare traditionem Domini in manus injustissimorum hominum judicumque qui desertum illud constituebant, in quod Servator optimus erat tradendus. Contraria una non consistunt.* Oportet ut conveniat antitypus cum typo & persona depicta cum pictura. Non necesse est, ut probem hircum hunc repræsentasse Christum, ceu quod Cl. Auctor mecum firmiter statuit.

§. VII. Probandum mihi nunc specialiter incumbit hircum hunc repræsentare *Christum vivum.* Notanter enim tertia vice dicitur חי *vivus.* Ex sortitione divina *vivus sistendus coram facie Dei.* Lev. XVI, 10. 20. 21. *Hircus hic, vivus hic.* Quare vero vivus vocatur? Sine dubio opposite ad mortuum? Commode. Prior hircus enim sorte divina ad mortem destinatus v. 9. in sequentibus actu mactatus sistitur. Vi oppositionis ergo posterior החי *vivus ille* ad vitam per sortem destinatus. Si vero tradendus in judicium ad mortem, nulla ratio Nominis *vivus ille.* At hic ex nova hypothesi interficiendus fuisset. v. quoque in Exegesi §. 126. 311.

§. VIII. Dein *Christum expiatum* vel *justificatum.* Constat ex Lev. XVI. 10. Hircus (posterior) *vivus constituatur coram facie Jehovæ* לכפר עליו *ad expiandum eum.* Quem? Juxta subjectum immediate antecedens, est hircus mittendus ad Azazel. Bene. Etenim antea cum priori hirco constitutus erat *sacrificium pro peccato* v. 5. adeoque peccata ad condemnationem ei imposita erant, essetque ei ideo moriendum. Sorte vero divina non tenebatur mori sed vita ei donabatur. Unde חי *vivus* constituendus. Quomodo hoc fieri poterat? Commode. Nam per mortem prioris expiabatur. E. Repræsentat Christum expiatum, justificatum. Rom. IV. 25. Ipse Cl. Auctor fatetur phrasin recte verti *ad expiandum istum & de lytro Christi dici posse, quod se illo mediante sanctificaverit.* v. p. 66. 67. Licet postea

postea hypothesin magis adstruens etiam alium subjecerit sensum. Si vero hircus posterior prioris morte expiatus, nulla ratio eum in judicium tradendi, interficiendi, exportandi & concremandi v. plura in Exegesi. §. 127.

§. IX. Verum quidem Christum in se nulla expiatione, justificatione indiguisse. At in Ministerio Expiationis non consideratur in se sed ut Sponsor generis humani in peccata prolapsi, *cui Deus omnium nostrum peccata injecit* Es. LIII. 6. *Suscipiens peccatum mundi.* Joh. I. 29. Hinc erat expiandus, ut nos expiare posset. Erat justificandus, ut per fidem in illum justum declaratum etiam nos justi declarari possemus. Si enim ipse expiatus, justificatus non fuisset à peccatis nostris, ecquomodo nos per illum expiari & justi declarari possemus? Huc recte referimus Es. LIII. 10. *Si posuerit animam suam sacrificium pro reatu, videbit semen & prolongabit dies.* E. Ille ipse, qui ut sacrificium piaculare à Deo judice tractatus erat, hinc morti tradebatur, non in morte manere debebat sed vivificari & in æternum vivere, ut regnum suum occupare posset, adeoque à peccatis impositis liber declarandus erat. Clarus quoque locus Rom. IV. 25. V. 1. *Christus traditus propter peccata nostra sed justificatus ad justificationem nostram, justi declarati igitur ex fide pacem habemus apud Deum.* Ergo ille ipse, qui propter peccata nostra pati & mori debuerat, postea justificabatur declarabaturque justus ac liber. Unde credentes in illum habent remissionem peccatorum. Unus hircus piacularis non potuisset repræsentare statum mortis & vitæ. Quare sapientissimo Consilio Dei eligebantur duo hirci, alter mortis, vitæ alter.

§. X. Porro *Christum libertati datum ad mittendum eum ad Azazel in desertum.* v. 10. conf. v. 21. 22. Certum est, nec negat Cl. Auctor p. 59. verbum שלח notare *emissionem, dimissionem in libertatem.* v. Exod. VIII. 25. IX. 3. X. 20. XI. 10. Gen. VIII. 7. 8. 10. Deut. XXII. 7. Zach. IX. 11. Jer. XXXIV. 9. 10. 11. 14. 16. Jes. LVIII. 6. Job. XXXIX. 5. maxime Lev. XIV. 7. vid. Exegesin §. 130. 131. Hic significatus fluit ex nexu. Hircus posterior vivus constitutus, expiatus erat, ergo libertati dandus. *Minime ejiciendus in præsentissimum vitæ periculum*, ut Cl. Auctor vult. p. 59. Si vel maxime שלח alibi aliquando notaret ejectionem, expulsionem, nexus præsens respuit hanc notionem.

§. XI. *Insuper prior hircus clarissime repræsentat Christum patientem, morientem, expiantem.* Nam hircus hic sistitur Lev. XVI. 14. &c. mactatus, sanguis ejus exceptus, illatus in sanctissimum, sparsus in sanctissimo &c. Certe si quid mortem fortissime infert, hæc inferunt E. *Mysterium hirci posterioris, vivi, expiati, libertati dati non potest repræsentare Christum tradendum in judicium, occidendum, concremandum.* Novi exceptionem, quam cum aliis differo ad sequentia.

§. XII. *Præterea* v. 10. exstat: *Et postquam absolverit expiare sanctum illud etiam tentorium Conventûs atque Altare illud, hircum illum vivum adducet.* Probe notandum, quod Aharon sistatur non solum מכפר *expians* sed *postquam absolverit expiare* & quidem non unum tantum, sed & *sanctissimum & tentorium Conventûs & Altare suffitus*, tum adducet hircum *illum vivum*, expiatione adeoque hac absoluta demum adducendus erat hircus החי *vivus ille.* Ipse ergo Moses exprimit ordinem functionum, quem tenere tenemur. Si expiatio absoluta, quomodo concipi potest, quod demum in *judicium* tradendus; Quod demum exportatio & concrematio subsequi debeat? v. Exeg. §. 314.

§. XIII. *Denique peccator non salvatur agonia, morte Christi in Cruce, si non accedit ejus justificatio, excitatio cum fructibus* Rom. IV. 25. V. *Recte igitur in illustrissimo hoc typo etiam depingitur status justificationis, exaltationis Christi.* At secundum novam hypothesin nonnisi agonia Christi, traditio ejus in judicium, mors, exportatio & concrematio depicta fuisset. Si vero *hircus ille vivus, expiatus, libertati datus typus est vitæ, justificationis, libertatis Christi, præclare* sistebatur, promittebatur uterque status Christi, exinanitionis & exaltationis, à quo perfecta salus peccatorum dependet.

§. XIV. Probavi ergo hircum ad Azazel mittendum non posse sistere Christum in judicium tradendum, exportandum & concremandum; Quin sistere justificationem vitam & plenam libertatem ejus, post mortem perlatam.

§. XV. Pergo nunc expendere argumenta contraria una cum exceptionibus ad argumenta allata.

§. XVI. Objectio prima sumitur ex Epistola ad Hebr. XIII. 11. 12. *Quorum enim animalium* (sacrificiorum pro peccatis) *sanguis infer-*

infertur in sancta a Pontifice, horum corpora cremantur extra castra; itaque Jesus, ut suo sanguine populum lustraret, extra portam passus est. Unde Cl. Auctor infert. *Nihil evidentius hinc est quam Apostolum considerare, atque interpretari concremationem illorum corporum extra castra, ut figuram passionum Jesu Christi in cruce, in quam sublatus fuit extra portam Hierosolymorum, in monte Calvariæ* p. 74. Resp. In genere verissimum est Apostolum his verbis respicere typum Lev. XVI. 14 - 20. 27. ac tradere antitypum; Hoc vero non quæritur. Sed quæritur: An testimonium hoc sufficienter probet juxta hypothesin tres memoratas scenas? An ergo neget veritatem mortis prioris hirci, quum in typo expresse legamus hircum hunc fuisse mactatum, sanguinem exceptum, sparsum & vim suam exeruisse ad expiandum, purgandum, sanctificandum Lev. XVI. 15 - 19. Attestante Apostolo Hebr. IX. 12. 14. sibi non contradicente. Qualia non legimus de hirco posteriori, utpote hic non legitur mactatus; Cadaver ejus non exportatum & crematum; Hæc tantum prædicantur de hirco priori. Annon ergo argumenta pro hirco vivo prolata pro mysterio status exaltationis Christi sint firma? Adeoque annon negent sub hoc posteriori hirco repræsentari traditionem ejus in judicium ad mortem? Hircus prior non mactabatur demum extra castra, sed jam antea mactatus erat, cadaver ejus tantum exportabatur & cremabatur E. non refert mortem Christi sed quæ mortem secuta erant.

§. XVII. Altera: *Moses Lev. XVI. 27. refert exportationem & concremationem sacrificiorum piacularium ultimo post fata etiam posterioris hirci. Unde videtur consequi fata hujus hirci non posse repræsentare statum exaltationis Christi.* Nam exaltatio sequitur demum mysterium exportationis & concremationis. Resp. Videtur quidem sequi; Sed tamen minus firma est consequentia, Speciatim in Theologia typica. Non enim sequitur. Quod in recensione primum, etiam est primum in mysterio; Quod alterum, tertium &c. etiam alterum, tertium in mysterio. Si quidem ordo talis consistat cum rei natura, typi partibus & mysterio, singulariter æstimo & præfero, si ordo videtur turbari. Ex. gr. Moses Lev. XVI. primo memorat sacrificium piaculare Pontificis, postea cœtus. Ordo hic quam maxime tenendus. Inversus esset ordo, si sacrificium cœtus præmitteretur sacrificio Pontificis. Imo talis cultus fuisset actu inanis. Quod Judæi recte observant v. Exeg. §. 305. Sed non licet simpliciter affir-

mare. Affirmanti incumberet probatio non aliter fide digna, quam omnibus legibus typicis examinatis & in hoc ordine inventis. Argumentum non valet. *Ejusmodi ordo deceret typos & mysteria eorum in clariori sisteret luce.* Nam datur ὕςερον πρότερον in sacris vid. *Glass.* 1253. 2132 - 2139. Attamen sapientibus ex rationibus. Tum vero clarissime ordo narrationis non potest observari, quando cum contextu, rei natura & mysterio consistere nequit. Ita res comparata cum Themate Quæstionis. Moses distincte memorat in prima scena mortem prioris hirci. Non memorat in scena secunda & tertia. Ergo non licet mortem referre ad scenam secundam, tertiam. Cadaver, quod exportatur, concrematurque , jam vita ut dictum, privatum. Hircus alter sistitur clarissime vivus, justificatus & libertati datus E. non potest repræsentare Christum in judicium ad mortem tradendum.

§. XVIII. *Tertia : Juxta Legem* Lev. XVI. 21. 25. 27. *Peccata omnia universi cœtus Israelis per confessionem summi Pontificis in caput hirci posterioris ut victimæ piacularis & figuræ Christi patientis, tum demum erant imponenda quando prior mactatus & sanguis ejus sparsus. Etiam adeps hirci prioris, qui indubitato ad sacrificium solenne hujus diei post ejectionem hirci posterioris demum in altari incendendus atque insuper inprimis cadaver ejus exportandum & cremandum.* E. *Qui expiationem per illatum sparsumque sanguinem, tanquam consummatam concipiunt, illi solennissimum negotium typicum complexum, quod variis actibus distinctis atque divina lege accurate secundum ordinem definitis peragi debebat, discerpere & confundere vel insignes circumstantias negligere, vel illas inprimis exportationem & cremationem cadaveris, invito Apostolo, aliorsum quam ad Passiones Christi ignominiosas extra portam referre coguntur ac solent, quod prudenter evitandum existimamus, ut sibi divina sapientia in rei typicæ ordinatione apertius constet.* v. p. 42. & 43. Resp. Verissimum est Aharonem manus capiti hirci posterioris imposuisse ac etiam confessum fuisse omnia peccata totius cœtus Israel, imo quod plus est, dedisse ea super caput hujus hirci Lev. XVI. 21. Sed quæritur, an hircus hic tum temporis spectandus, ut victima piacularis & figura Christi patientis, quod supra §. 6 - 10 adductis argumentis plenius negavi. Ab initio hircus hic cum socio dabatur in sacrificium pro peccato v. 5. sed postea sorte Domini jacta nonnisi prior sacrificii piacularis instar adducebatur, mactabatur, sanguis spargebatur Lev. XVI 9. 15.

Hæc

Hæc non prædicantur de hirco posteriori, quin contraria. Ternis vicibus sistitur *vivus*, expiatus, in libertatem missus ut supra §. cit. jam dictum. E. non considerandus amplius ut sacrificium piaculare, figuraChristi patientis. Si talis considerandus, tum mactandus, non è templo emittendus fuisset. Omnia sacrificia piacularia erant interficienda. Locus mactationis talium sacrorum erat templum Deut. XII. 11. Non desertum. Aliunde etiam constat, quod hircus hic in deserto non occidendus, quod etiam Cl. Auctor statuit p. 69.

§. XIX. *Attamen Aharon manus imposuit, peccata confessus est posuitque ea in caput hirci.* Resp. Ita est sed non sequitur E. Figuram victimæ piacularis, Christi patientis retulit. Nam, ut jamjam dictum, victimæ piaculares in templo mactabantur, sanguis spargebatur. At hic non mactabatur in Templo, sanguis ejus non spargebatur, vivus manserat, expiatus emittebatur, Christum patientem adeoque repræsentare haud poterat.

§. XX. *Nec juvat dicere: Hircus posterior tamen ejectus & violenter expulsus in desertum.* E. *non in libertatem missus. Sed in præsentissimum vitæ periculum.* Si enim animalia mansueta expelluntur in desertum frequentatum à feris, exponuntur præsentissimæ morti. Resp. Jam dictum §. X. vocem שלח sæpius notare *mittere in libertatem*; Circumstantias Textus hanc notionem poscere. Dicitur enim hircus *vivus* expiatus. Licet reperiantur in Canaan deserta, in quibus feræ carnivoræ vivunt, non tamen omnia, non in locis frequentia hominum celebribus, ut Hierosolyma, vicina. Non in quibus pecus hircinum, caprinum pascitur. At hircus hic in tale desertum mittebatur, quale hinc dictum *Azazel* in quo genus caprinum ire solet conf. v. 21. 22 - 26. maxime Exeges. § 128 - 143. & 326 - 333. Qualis locus etiam commode *terra excisa* audit. Genus hoc animantium *loca prærupta*, *saxea* amat. Uti altera avis leprosi post expiationem suam in libertatem erat missa avolando ad aves cœli, Elementum inhabitationis suæ, ita hircus hic in desertum quod amat genus caprinum. Nec hircus hic violenter erat expulsus sed ductus per virum ἐυκαιρίας. Si vero is traditus in desertum, ut à feris devoraretur, moreretur (de quo nihil in sacris) non adeo vituperandi essent Judæi, qui hircum de rupe præcipitarunt.

§. XXI. *Nec juvat dicere: Pontificem dedisse peccata totius Israel in*

in caput hujus hirci v. 21. & 22. *& tulit hircus ſuper ſe omnes perverſitates eorum ad terram exciſam.* E. Ut victima piacularis, figura patientis ſiſtitur. Reſp. Non ſequitur ob circumſtantias toties allatas. Peccata jam erant expiata per mortem prioris hirci Lev. XVI. 15-18. Ipſe quoque hircus poſterior jam erat expiatus v. 10. E. Peccata impoſita erant non ad maledictionem, mortem ſed ad ablationem. Vox נשא etiam ſignificat *auferre reatum* v. Exeg. §. 341. Hæc notio hic commoda. Prior hircus tulit peccata, hinc pœnam vicariam mortem luit. At hic reatum abſtulit, unde in libertatem miſſus.

§. XXII. *Manet tamen difficultas, quod poſt fata poſterioris hirci demum recenſeantur combuſtio adipis in ara, exportatio cadaveris hirci & concrematio* Lev. XVI. 25. 27. *Unde ſequitur fata poſterioris hirci antecedere combuſtionem, exportationem, concremationem. Si antecedunt, tum nihil aliud ſiſtere valent quam traditionem Chriſti in judicium injuſtiſſimum. Typus enim qui a divino pictore diſtincte & ordinate pictus, etiam diſtincte & ordinate in antitypo repræſentandus.* Reſp. Si commode fieri poteſt, probo, ut jam dictum. Sin, videndum, quomodo aliter ad difficultatem commode reſpondendum. Ipſe Cl. Auctor in conſimili themate, ubi ad difficultatem propoſitam ex typi natura & ordine non ſatis convenientem rationem dare valet, reſpondit difficultatem moventi: *Forte non inepte reſpondebimus factam illam ablutionem viri non pertinuiſſe ad typum ſed pro ipſius negotii ratione fuiſſe neceſſariam* p. 55. Et certe quotquot ſtudium typicum ſolide & moderate excolunt, fateri coguntur, non omnia eſſe expedita, clare ſolubilia, exacte ordinata. Sæpius fugiendum ad τὸ *non liquet.* Vel ſufficit probabilis κρίσις aliorum judicio relinquenda. Omnes partes Scripturæ continent Hyſterologias ſapientes. Quare non typica? Me quod attinet, prorſus non dubito, hircum priorem paſſionem & mortem Chriſti, poſteriorem juſtificationem, vitam & plenam libertatem ejus ſiſtere. Et hæc duo ſunt præcipua & fundamentalia hujus illuſtris typi ad perfectam ſalutem fidelium ſiſtendum. Itaque Moſes Scriptor divinus hæc duo omnium primo expreſſe plenius & clare ordine notavit. Quia tamen etiam alia minoris ponderis hac ſolenni die tum à Pontifice tum ab aliis peragenda ſubjiciuntur v. 23-29. ſcil. mandatum exuendi veſtes lineas, induendi veſtes aureas, offerendi Holocauſta, adipem ſacrificii pro peccato adolendi, ducis jura, exportatio cadaverum & concrematio eorum non per

Ponti-

Pontificem (quod probe notandum) sed alios viros. Cultor studii typici & hæc expendit, scrutatur, inquirit in analogum mysterium & tentat, num etiam commodus ordo & nexus circa hæcobservari queat. Sin minus unumquodque separatim tractat. Scrutans reperiet magnam differentiam. Priora agebantur vestibus lineis huic diei propriis. Posteriora vestibus Pontificis ordinariis. Illa à Pontifice. Hæc ex parte ab aliis v. 27. |Oblatio holocaustorum præcesserat adolitionem adipis, exportationem & concremationem cadaverum v. 24. 25. 27. Si mysteria in se sunt commoda sed ordinem respuunt, hunc prætereo.

§. XXIII. Nova hæc hypothesis, ut ego existimo, non solum laborat concinno ordine juxta historiam typi, sed etiam mysterium adlatum claris demonstrationibus indiget. Exemplis quibusdam deducam: Primum. Ex mente Viri Cl. Azazel notat Diabolum p. 24. &c. Hircus posterior *mittebatur ad Azazelem sive Diabolum. Huic tradebatur vexandus atque exagitandus* p. 62. Sequente exstat: *Satanas forte Christo jam in ipsa agonia plurimum negotii facessiverat suis terriculamentis, sed frustraneo conatu. Nunc vero tradebatur ejus libidini. Nam is in hoc deserto quasi residebat. Princeps in servos tenebrarum habebat potestatem.* p. 65. *Et quidem tradebatur Azazel sive Diabolo secundum sortem coram Domino jactam adeoque ex decreto & ὁρισμῷ definitione divina.* Mitto etymologica vocis Azazel, ceu quæ speciatim non stringunt. Perpendam rem ipsam. Certum est ex Mose, quod uterque hircus ab initio ab Israele Deo datus in sacrificium pro peccato v. 5. Quod postea sorte jacta unus cesserit Jehovæ fueritque mactatus, sanguis ejus sparsus ad expiationem & purgationem omnium peccatorum totius Israel v. 15 - 20. Certum quoque quod hircus posterior post sortem vel ὁρισμὸν definitionem vivus coram Deo sistendus; Quod morte prioris expiatus fuerit v. 10. quod, licet peccata ei imposita fuerint, vivus manserit & vivus missus fuerit, nullo præcepto, ut quicquam pateretur, multo minus occideretur. Quomodo ergo potest considerari traditus in potestatem Diaboli? In potestatem iniquissimorum judicum, Judæorum & Pilati! Hæc quidem quadrant in priorem hircum, non vero in posteriorem, significanter *vivum, expiatum, libertati datum*, peccata auferentem sine ulla nota passionis vel ignominiæ subeundæ juxta Legem divinam.

Hæc hoc loco ſufficiant. In Exegeſi plura protuli contra myſterium Azazelis referens Diabolum. v. §. 137. 138.

§. XXIV. Alterum. *Vir temporis hirci eductor in hac ſcena convenientiſſime repræſentavit Judam Jeſu Chriſti perfidum proditorem* v. p. 54. Reſp. Non video. Rationes quæ ſubjiciuntur, quod Judas commode dicatur *vir opportuni temporis*, non ſtringunt, ſuntque levis ponderis. Maxime ob v. 26. *Is autem, qui hircum hunc ad Azazelem deduxit, eluet veſtes ſuas & labavit carnem ſuam aqua & poſtea ſic veniet ad caſtra.* Quæſo quomodo hæc de Juda proditore prædicari valent? Qui profecto veſtes ſuas non eluerat, nec carnem laverat, nec etiam venerat ad caſtra, ſed ex deſperatione laqueo vitam finierat. Vidit Vir Cl. hanc difficultatem p. 55. Cui occurrere intendit reſpondendo, quod *ablutio forte non ſit typica; vel eductorem inſignite quidem repræſentaſſe proditorem Judam ſed præterea promiſcuam turbam, cui ducem infeliciſſimum ſeſe præbuerat* p. 57. *Ex hac vero turba multos forte illa ipſa die converſos & ita lotos fuiſſe.* Reſp. Notabilis hæc & prolixior relatio, quæ refertur v. 21. 26. non caruit myſterio. Turba quæ infelicem ducem ſecuta eſt, minus commode depicta videtur. Nam Judas caput turbæ & dux, qui *inſignite* repræſentatur, non lotus erat, nec venerat ad caſtra Dei. Quod non verum de præcipua perſona, quomodo verum de aſſeclis? In pictura divina ejusmodi diſcrimen nullum habet locum.

§. XXV. *Tertium. Ante omnia probe notandum eſt, ait Cl. Auctor, cum omnia in hoc negotio typico ſpiritualem habeant ſignificationem, etiam deſertum aliquod, non verum & naturale ſed myſticum atque ſpirituale intelligendum eſſe quod per illud naturale, in quod hircus emittendus erat, figuratum fuit.* p. 46. *Hinc rejicit Myſterium per quod explicari ſolet deſertum, ſive ſtatus Judæorum in quem devenerant poſt Panolethriam everſionemque Reipublicæ Judaicæ. Probatur vero antitypus deſerti, qui eſt ſtatus corruptiſſimus, in quem Servator optimus ſtatim poſt ſanguinem in agonia fuſum, luctamque animæ graviſſimam devenit, manibus improborum hominum judicumque perverſiſſimorum traditus, quod erat deſertum civile & eccleſiaſticum* p. 47. 49. Reſp. Sed quare non intelligendum deſertum naturale? Ipſe hircus animal naturale. Quare non etiam deſertum naturale? Potius convenit. Genus hircinum, caprinum ſolet mitti & paſci in deſerto. Typica communiter ſunt naturalia,

arifi-

artificialia, quæ sistunt spiritualia. Non indigent hæc probatione. Non incommodum est Mysterium; Præcones Evangelii tempore opportuno à Deo destinato mitti in mundum ad annuntiandum gratiam Dei in Christo Jesu mortuo & excitato; Nullam amplius esse recordationem peccatorum expiatorum. Mich. VII. 19. Jer. XXXI. 34. Desertum commode repræsentat mundum maxime ethnicum Jes. XXXII. 15. 16. Apoc. XII. 14. Quæ à Cl. Auctore citantur comparationes inter desertum & perplexum statum hostium Christi p. 49 - 54, quam facillime ad mundum, speciatim ethnicum referri possent. Sed comparationes nullo habeo loco fundamento deficiente. Deficit vero, ut judico, heic. Hircus, ceu antitypice vivus, expiatus, liber, peccata auferens non potest sisti tradendus in desertum mysticum vel potestatem improborum hominum ac perversissimorum judicum.

TANDEM.

* *
* *

Animadversiones Responsoriæ
ad
Difficultates, in Literis Viri Clarissimi, Domini
JOHANNIS WILHELMI KRAFFTII,
Professoris Theologiæ in Universitate Marpurgensi
Celeberrimi, contentas.

SCripserat videlicet Vir Clarissimus „daß er des *Auctoris Hypothesin*, „welcher des *Ainswoorts*, *Bocharti &c.* gar nahe kommen, von „deßwegen nicht annehmen können, weilen er kein Gegenbild „finden könne von dem Mann, welcher den zweyten Bock hin„aus geführet, und NB. dadurch verunreiniget worden. Sodann „und über deme hätte an dem Tag der Versöhnung kein Vor„bild von des HErren JEsu Loßlassung und Auferstehung seyn

„können, weilen ja derselbe an dem Tag seines Leidens und Ster„bens nicht auch wieder auferstanden. Es wurde pergit Vir Ce„leberrimus, an dem Versöhn-Tag das Geheimnuß der Ver„söhnung durch des HErren JEsu Leiden und Sterben allein „angebildet, wie der ganze Text anzeiget, und wann man die „vorbildende Gebräuche durch einander wirft, daß das Schlach„ten den Tod, die Loßlassung des andern die Freylassung, das „Verbrennen wiederum das schmähliche Leiden am Creutz be„deuten sollte, das kan ich mit der allerweisesten Einrichtung „dieses allersolennesten Hauptgeschäfftes nicht reimen, biß mir „weitere gründliche *Remonstration* geschiehet, wornach mich ver„langet."

So weit gehen die hieher gehörige Worte des berühmten Herren Professoris Krafft.

Ad ista vero dubia Auctor hujus Tractatus sequentem in modum respondere cogitabat;

Primo: Vir temporis per ductum hirci ad Azazel polluebatur.

Resp. Non mirum. Ipse Pontifex polluebatur per priorem hircum. v. Lev. XVI. 23. 24. Qui Evangelium prædicant, indigent præ aliis commiseratione. 1. Tim. I. 2. 2. Tim. I. 2. Tit. I. 4.

Dein: Christus die mortis non resurrexit.

Resp. Nimia præcisitas. Si hæc postulantur, certe actum de studio typico. Attamen vere possum dicere: Vita Christi die mortis testata facta per resurrectionem mortuorum.

Porro: Die expiationis sola expiatio adumbrabatur.

Resp. Quo Argumento? Lev. XVI. fit mentio hirci vivi, expiati, in libertatem missi. Expiatio ab omnibus peccatis secum fert absolutionem, justificationem.

Denique: Si ordo Lev. XVI. turbatur, actum de Sapientia Legislatoris.

Resp. Videtur turbatus. Typica sunt imperfecta. Exempla talia plura dantur.

LUCU-

LUCUBRATIONES

De

Sacrificiis, Feſtis, Libaminibus

&

Victimarum integritate.

* *

CULTORIBUS

Antiquitatum Sacrarum gratiam DEI & Sapientiam adprecatur

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.

SApientes Scribæ, qui ipſi regnum cœlorum exſpectant, ac illud ſimul Auditoribus, qua pollent, arte commendant, in omnes formas, quantum licet & honeſtum eſt ſe mutant, ut quosdam carmine lugubri commoveant, terreantque, alios læto excitent & alliciant. Quare jam fiſtula dulcia, jam vero nænias canunt. Hanc prudentiam maxime æſtimant, quorum eſt, hoc noſtro tempore, ingenia juvenum in rebus ſacris inſtituere ac formare. Nam quum ſint per ætatem leves, ob varias naturæ dotes & ipſi varii, ac dominantibus ſtudiorum impedimentis & contagiis in ſummo verſentur corruptionis periculo, atque etiam, qui auctoritate, favore, unitis viribus commoda ſacra promovere deberent, plurimum deſint, & tantum non turpe otium ac diſſolutos Academicorum mores ſatis benigne ferant, modo privatos honores uſusque exinde conſequantur.

Studiorum duces, quorum animæ Βλέμματι καὶ ἀκοῇ torquentur, remedium, ſi poſſibile, inventuri & allaturi, jam ad *Medicum Iſraëlis* confugiunt, jam ipſi arbitrantur, Medicinam parandam eſſe in vario inſtituendi modo, tum ſeveriori, quo curatior Chriſtianismus traditur, inculcaturque, tum amœniori, quo vocum notiones, emphaſes, conſtructiones, philologicæ Κρίσεις, ac plurimum gratæ antiquitates, jucundæ rerum cœleſtium picturæ proponuntur examinantur, ac ad Codicem ſacrum illuſtrandum applicantur, ut qui ab apertis, ſanantibus ſermonibus (quales carneis acerbi eſſe ſolent) aures avertunt, Philologia, criſi & hiſtoria ſacra incruſtati ſenſim capiantur & Chriſto lucrifiant. Nec tamen deſunt

ſunt juſtæ querelæ: Ἠυλήσαμεν, *Tibiis cecinimus, & non ſaltaſtis.* Ἐθρηνήσαμεν, *lugubria cecinimus vobis, & non planxiſtis.* Matth. XI. 17.

Horum prudentiam jam ab aliquot luſtris imitandam mihi propoſui, contendique, triſtibus lætisque carminibus juventutem in cognitione veritatis ad pietatem ædificare. Quem in finem vitam Chriſtianam non ſolum generatim, ſed & ſpeciatim, imo ſpecialiſſime typos officiorum, quæ Paſtoribus ac cultoribus Theologiæ incumbunt, formando & mentibus, quantum pote, imprimendo, tradidi, triſtitiam ſecundum Deum producturus. Nec etiam defui his triſtibus, ut vulgo habentur, dulcia miſcere publice & privatim ſacrum Codicem curatiori Philologia, obſervationibus criticis exponendo, vel etiam ſyſtema antiquitatum explicando.

Etiamnum talem tibicinem ago, ſtudioſam juventutem honeſte recreaturus. Ante triginta & novem annos, quando *Goodwini Moſen & Aaronem* notis meis illuſtratum primum publicaveram, in præfatione ſignificavi, multa eaque egregia Antiquitatum ſacrarum themata, in libro hoc non inutili deſiderari, atque quorundam, quæ jam tunc affecta poſſederam, perfectionem & publicationem promiſi. Quando vero varia fata & graviora negotia me poſtea exercuerant, hactenus fidem datam nondum liberavi. Nunc vero difficulter aliqua ex parte libero hoc, quod vides, Additamento de *ſacrificiis*, *fertis*, *libaminibus*, ac etiam *victimarum integritate*, capitibus ut puto, in hoc ſtudiorum genere præſtantibus. Cuncti, qui à multo tempore *Goodwinum* noſtrum in ſuos uſus legerant, notabilem hunc defectum ægre tulerant. In quorum itaque gratiam hoc Supplementum tanto lubentius conſcripſi, quo illud faciliori opera ex prælectionibus publicis, quas jam ante octo luſtra Marburgi habueram, colligere potui.

Noto vero hanc temporis circumſtantiam, ut æquus Lector intelligat, me non hoc demum tempore, quo materia hæc ab uno alterove erudite tractata eſt, de ea cogitaſſe, ſed jam multo ante.

Teſtes erunt, qui me primis Profeſſionis meæ annis docentem audiverunt; Teſtis eſt prima, quam Goodwino præmiſi, Præfatio. Simul tamen gratus agnoſco, me poſtea recentiores Auctores conſuluiſſe, atque nonnulla his ordinandis, perficiendisque applicaſſe.

Tribus

Tribus prioribus capitibus eam tenui methodum, quæ domesticas institutiones juvat. Quare à fusiori deductione & testimoniorum allegatione abstinui. Nihilominus unum alterumve monumentum, tum divinum, tum ecclesiasticum, subjunxi, ut lector dictis fidem habere posset; Antiquitates quippe sacræ à solis monumentis dependent. Recensiones & ratiocinia, quæ fundamento carent, ridet historicus. Quartum vero, quod de *victimarum integritate* agit, ac hic *Heidelbergæ* publice ventilatum est, ideo solum subjeci, ut specimen, quod gustui meo respondet, ritus sacros plenius tractandi sisterem. Evitavi brevitatem; Evitavi quoque nimiam prolixitatem. Quare aliena, trita, grammatica, testimonia, quæ idem semper tradunt, plurimos Auctores, qui sine causa, etiam non inspecti, prælongi syrmatis instar apponuntur, & egregie scripta πλατύνουσι καὶ μεγαλύνουσι πρὸς τὸ θεαθῆναι, rescidi. Quibus lux & robur deerat, illa ex certis philologiæ principiis, legibus divinis & sapientum, quantum potui, exposui, confirmavique. Et quum Legum carnalium spiritus mysterium sit, solicite studui, illud argumentis apodicticis (habent enim & typi ἀποδείξεις) primo probare, tunc bono ordine, commodis distinctionibus deducere, ac figuras cum figuratis ἐκ παραλλήλου collocare. Hac quippe ratione typica confortant, illustrant, juvant & exhilarant. Quum ritus absque mysterio umbra nonnisi, & mysterium absque fundamento suave insomnium & luxuriantis phantasiæ inanis fœtus sit.

In posterum hujus generis labores non promitto, nisi Deus animum, otium & ansam largiatur, illos, quos olim in Universitate Marburgensi publicaveram, colligendi & curatiori lima poliendi. Mens tamen mea peculiari desiderio sæpius gestiit, telam, quam ibi inceperam, puta *illustrem ritum Diei Expiationis*, perficere. Est enim omnium rituum divinorum citra controversiam Princeps & Rex, ducitque literaliter recte intellectus ad intuendum נפלאות *admirabilem* sapientiam, sanctitatem, justitiam & gratiam Dei in Jesu Christo, ac etiam sanctificationem & spem vivam consequendum. Intensum, quod ante tot lustra conceperam, desiderium facile, si ita Deo videbitur, nunc impleri valet; Quippe sensus literalis hoc de ritu, omni, qua poteram, cura indagatus, ductusque ad finem. Ipsum etiam mysterium jam actu erutum probatum

ac in classes suas est dispositum. Patienter exspecto placidam Numinis providentiam de publicando hoc labore. Benedicat Deus omnibus integro animo attendentibus ad sacras literas, tanquam lucernam lucentem in tenebris mentis nostræ, Ecclesiæ & mundi, & jubeat, exoriri diem, imo ipsum solem justitiæ, qui ἐν δυνάμει φῶς φέρει, *lucem adfert* in cordibus nostris.

O! quantopere lætabimur in divina luce! Si enim suavis lux Solis corporibus nostris, si suavis lux Scripturæ animabus, quanta suavitas in ipsa luce Dei erit. קומי אורי. *Surge lux mea.*

Dabam Heidelbergæ die 16. *Junij*
Anno 1749.



CAPUT I.
DE SACRIFICIIS,
Eorum nominibus, origine, materia, speciebus, tum Laicorum tum Sacerdotum circa illa functionibus ac finibus.

Σύνοψις.

Sacrificiorum, quæ nobilissimum antiquitatum sacrarum thema constituunt. §. 1.

A. Nomina §. 2.
Hebraica. §. 3.
Græca. §. 4.

B. Res; quæ comprehendit.

I. In specie Sacrificiorum Patriarchalium
Originem divinam. §. 5 - 12.
Adversus objectiones vindicatam. §. 12.
Intentionem Dei circa illa. §. 13 - 15.
Discrimen eorum à Mosaicis. §. 15. 16.
Convenientiam eorundem. §. 17.

II. In genere.
א. Sacrificiorum materiam, quæ peco-

ב. De-

(4.) Aut ſacrum tempus. §. 145.

(5.) Sive votum vel ſpontaneitatem. §. 146.

Hæc Sabbathum non pellunt. §. 147.

Adduntur ſacra privata publicis ſimilia. §. 148.

Tertia ſpecies agit de ſacrificiis ſanctitatis gradu variis. §. 149.

Eorumque differentia. §. 150.

Notatur Canon Miſchnicus de gradibus ſanctitatis. §. 151.

Quarta ſpecies tradit ſacrificia alia præcepta, alia libera. §. 152.

ט· Functiones, quarum aliæ laicæ, aliæ ſacerdotales ſunt. §. 153.

Illæ ſunt.

(a.) Victimas emere. Publicæ pecunia publica privatæ vero privata emebantur. §. 154.

Formantur quæſtiones

(1.) An privatus pro privato ſacra ſolvere potuerit? §. 155.

(2.) An aliæ victimæ præter paſchalem nomine Societatis offerri potuerint? §. 156.

Ante emtionem victimæ explorabantur. §. 157.

(b.) In conſpectum Domini adducere. §. 158. 159.

Tum per portam oblationis, tum per portam primogenitorum. §. 160.

(c.) Nomen ſacrificii indicare. §. 161. 162.

(d.) Aliquando victimam vivam agitare. §. 163.

Subjicitur modus agitandi. §. 164.

(e.) Manus imponere. §. 165.

χειροθεσία tum ex Lege. §. 166.

Tum ex traditionibus deducitur, dijudicaturque. §. 167. 168.

(f.) Confiteri. §. 169.

Confeſſiones celebriores ſunt, quæ dictæ in ſolennitate expiationum. §. 170.

Hinc varia affunditur lux explicationi ſcripturæ. §. 171.

(g.) Mactare.

Explicatur mactatio primo ex Scriptura. §. 172.

Tum è Magiſtris. §. 173.

Jus mactandi extendendum ad Laicos. §. 174.

Subjicitur modus mactandi. §. 175.

Sub Templo II. ſerviverant annuli mactationi. §. 176.

Loco mactationis in avibus obtinet unguefectio. §. 177.

Quæ perdifficilis habetur. §. 178.

(h.) Ex-

Speciatim interius. §. 235.
Sacra avium. §. 236.

(κ.) Animum circa sacra probe intentum habere. §. 237.

Rationes, quæ Deum moverant.
Falsæ sunt ut

(a.) Alios imitari. §. 238. 239.

(b.) Vel iis se opponere. §. 240.

(c.) Cultum in se gratum præcipere. §. 241.
At genuinæ.

א. Israelem ducere ad cognitionem & cultum Dei. §. 242 - 246.

ב. Excitare ad victimas spirituales. §. 246.

ג. Maxime præadumbrare sacrificium Jesu Christi. §. 247. 248.

§. I.

NObile, quod aggredior *de sacrificiis* Thema, usu eorum ob peccata sublato, collapsum ferme & incognitum penes Judæorum Magistros, *Maimonide* conquerente, hujus ipsius celeberrimi Doctoris vero singulari, qua pollebat, industria ac ingenii acie excultum & in lucem protractum, merito Christianorum studia & labores exercet. Lucem quippe affundit non minimæ cœlestium picturarum V. Testamenti parti, ac præcipua Theologiæ capita, *hominis veluti miseriam, Redemtoris gratiam ac redemtorum officia* præclare docet.

§. II. Quum vero εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν à nominibus exordium faciundum sit, proferam *primo*, *sacrificiorum nomina sacra*, tum *Hebraica*, tum *Græca*.

§. III. *Ex hebraicis primum est* קרבן, *oblatio.* Latioris significatus, ceu quod non solum prædicatur de oblationibus animatis, holocaustis, pacalibus, piacularibus Lev. I. 2. III. 1. IV. 23, sed & inanimatis, fertis veluti Lev. II. 1. lignis Neh. X. 35. donis Principum Num. VII. 13. Dicitur autem קרבן, quia *adducitur* ad eum, cui offertur. *Abarbanel* specialius: *Korban altari* נקרב *conjungitur*, conjungitque illos, à quibus fiebat, arcte cum Deo. *vid. Præf. in Lev. c. 1. Alterum* מנחה *munus à donando*, quod tamen solum ante legem de sacrificiis quoque dicitur. Gen. IV. 4. (unde apud LXX. & Hebr. XI. 4. per θυσία vertitur) sed sub lege *de fertis.* Lev. II. 1.
Psal.

Psalm. XL. 7. ut alibi dicemus. *Tertium* זבח, quod proprie animal mactatum ad cibum, tum communem Prov. XVII. 1. tum, ut hic accipimus, sacrum, notat. Gen. XXXI. 54. Notione tum generali Dan. IX. 27. tum speciali, qua indicatur sacrificium pacale. Lev. III. 1. VII. 29. distinctum ab holocausto, sacrificio pro peccato, & ferto. v. Psal. XL. 7. Jer. VI. 21. 22. *Quartum* אשה sive *oblatio igne absumenda* sine discrimine. Lev. III. 9. VII. 5. I. 9.

§. IV. *Ex græcis vero primum* Δῶρον, *donum* aræ Dei sacrum. Matth. V. 23. 24. XXIII. 18. 19. Speciatim etiam cruentum. Hebr. XI. 4. ut præeunt LXX. Interpretes. *Secundum* προσφορὰ, *allatio* scil. ad Deum ejusque aram Act. XXI. 26. *Tertium* θυσία *victima* in honorem Dei mactata. Luc. II. 24. Hebr. VII. 27. Alia specialiora suo loco producemus.

§. V. Missis nunc sacrificiorum nominibus *inquirendus est eorum ortus.* Ex sacris certum est, non Mosis demum ævo animalia Deo sacra facta fuisse, sed multo ante. Si quosdam sequimur, sacrificia jam ortum habuere in Paradiso. Gen. III. 21. Quæ tamen opinio incertior est. Certissima illa, quod Abel victimas Deo obtulerit. Gen. IV. 4. Cum Grotio enim verba de lana & lacte interpretari, non est interpretari, sed hypothesi, quam habet, servire.

§. VI. Magis difficile videtur, claris probare argumentis, *num Patriarchæ ante & post diluvium à Deo jussi ac de scopo sacrificiorum evangelico edocti; An vero injussi, motu proprio, & pia animorum inductione, quod ita cultum Deo gratum præstent, sacrificaverint.* Auctoritatibus hæc quæstio decidi nequit, tanto minus, quod auctoritas auctoritati, Judæi Judæis, Christiani Christianis & Patres Patribus contrarientur. Argumentis ergo militabimus.

§. VII. *Et primo quidem, sacrificia patriarchalia tum antediluviana, tum postdiluviana jubente Deo, instituta fuisse*, sequentes probant rationes. 1.) Abraham enim, Jacobus & amici Jobi, Deo mandante, sacrificarunt. Gen. XV. 9. XXII. 2. 13. XXXV. 1. Job. XLII. 7. 8. Et quidem Abrahamus fœdus cum Deo corroboraturus. Gen. XV. 18. Typum Jesu Christi oblaturus, amici Jobi vero peccata expiaturi. Talis autem scopus ritu humano obtineri haud potest. Quæ vero ratio Abrahami, Jacobi, amicorum Jobi, jussu Numinis sacrificantium, eadem ratio reliquorum, licet disertum mandati divi-

ni testimonium non exprimatur. Vel an illi jussi, hi injussi ex solo dictamine rationis obtulerunt?

§. VIII. 2.) Abel, cujus sacrificium recensetur Gen. IV. 4. Apostolo explicante, πίστει, *fide obtulit, consecutusque est divinum complacentiæ testimonium.* Hebr. XI. 4. conf. Num. XVI. 15. Fides autem præsupponit verbum Dei Rom. X. 17. Joh. III 33. Maxime, ut in nexu describitur. Hebr. XI. 1. 3. 4. Et qualis erat Enochi, Noachi, Abrahami, aliorumque, qui ibi recensentur. Etiam testimonium divinum, quod probabiliter ἐμπυρισμὸς erat, (uti plures Judæi & Christiani fatentur) non rationis dictamen sed obsequium mandati divini involvit. v. Lev. IX. 24.

§. IX. 3.) Melchisedecus vocatur כהן לאל עליון· Gen.XIV. 18. Ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου. Hebr. VII. 1. *Sacerdos Dei altissimi*, sive à Deo constitutus, ut sacrificaret. Id quod firmiter confirmatur, eo quod Sacerdotium Jesu Christi æterna Patris εὐδοκίᾳ constitutum accomparetur ordini Melchisedeci. Psal. CX. 4, Hebr. V. 6. Si vero Melchisedecus injussus sacrificasset, quomodo Salvator jussus secundum ordinem ejus dici posset?

§. X. 4.) Jobus de liberis solicitus piacularia pro illis sacra fecit. Job. I. 5. Exspectavit ergo veniam peccatorum sacrificiorum oblatione. An vero vir sapiens sibi promittere potest, Deum spiritum peccata condonaturum ob mactationem bestiæ? Non puto. Ergo innitebatur gratiosæ revelationi Numinis.

§. XI. 5.) Qui ab una parte naturam Dei, Spiritus sapientis, ab altera rationem victimæ irrationalis, ejus carnem, ossa, sanguinem, violentam mortem &c. attentius pensitat, ille inde evidentissime cognoscet, gratiam & reconciliationem Numinis morte bruti non acquiri. Quare & Scriptores sacri Psal. L. 13. Jes. I. 12. & profani stultos eos habuere, qui opinantur, Deum donis carneis, osseis, sanguineis delectari.

§. XII Qui aliter judicant, objiciunt 1.) *Ipsum Deum Jer. VII. 22. Jes. I. 12. negare, se quicquam Hebræorum majoribus de sacrificiis offerendis, in mandatis tradidisse.* Resp. Negationem simpliciter intelligi non debere, constat ex legibus Mosaicis sacrificia præscribentibus. Ergo secundum quid intelligenda sunt. Deus à populo suo sacrifi-

cia

cia non primario, absolute, & juxta corruptam Israelitarum mentem postulavit, ut nexus capitum aperte docet. 2.) *Sub simpliciora mundi tempora homines aliam cultus moralis normam præter dictamen rationis non habuisse. Credibile itaque esse, eadem directos fuisse in cultu sacrificiorum præstando.* Resp. Rationem hominibus primo ævo agenda & fugienda dictasse, certum quidem est, sed aliam iis normam non fuisse, hoc falsum. Deus Patriarchis frequenter apparuit, præscripsitque res fidei, morum, cultus, spei, metus, ut ex historia Adami, Enochi, Noachi, Abrahami &c. clarissime constat. Hi vero mandata divina liberis suis inculcarunt. 3.) *Historia docet, Gentiles, qui Mosen & Prophetas non habuerunt, sacrificasse. E. Ratio sacrificia dictat.* Resp. Non valet consequentia; Gentiles plura à majoribus acceperunt. Descendunt & illi ab Adamo, Noacho, & ex parte ab Abrahamo, quemadmodum Hebræi. Cultus patrum communiter ad filios transit. Claritas nominis & vicinia cultum quoque commendarunt. Hisce summam habes eorum, quæ de *origine sacrificiorum Patriarchalium* dicenda. Plura reperies *in Dissert. meis* hoc de themate jam An. MDCCVI. publicatis, & Tiguri in Museo Helvetico particula secunda Anno 1746. recusis.

§. XIII. Ex dictis ergo sequitur, Deum cultum sacrificiorum Patriarchis præcepisse. *Jam secundo inquirendum, qua ratione Deus motus sacrificia mandaverit. An in se Deo accepta sunt?* Minime. vid. §. XI. *An ad Idololatriam extinguendam?* Hic finis, saltem ab initio obtinere non poterat. Sacrificia Idololatria antiquiora sunt, uti bene observat & deducit *Ramban, Abarb. in Præf. Lev. C. IV.* in qua etiam alia huc pertinentia reperies. *Primarius erat: Mysterium gratiæ divinæ in morte Messiæ ad redimendum peccatores, præsignificare, obsignare, hinc fidem & spem excitare*, ut plenius infra de scopo sacrificiorum primario & secundariis dicetur. Hic in antecessum sequentia pauca moneo.

§. XIV. *Mors Jesu Christi erat præcipuus scopus sacrificiorum Mosaicorum*, ut Tabulæ N. T. maxime Epistola ad Hebræos clarissime docet, *ergo etiam Patriarchalium.* Vel an alius scopus sacrificiorum Mosaicorum & alius Patriarchalium? Nemo, ut puto, affirmamabit. Dein alius mandati divini Abrahamo de filio suo unico in terra *Moriah* (ubi postea locus sacrificii publicus erat, ubi quoque Jesus Christus pro nobis mactatus est) offerendo scopus ostendi ne-

quit. Vel quare pius Abrahamus iter trium dierum instituere jubetur, ut filium in terra *Moriah* immolaret? Gen. XXII. 2 - 5.? Providentiæ Numinis prorsus singularis documentum esset, si omni ex parte vera esset Jud. sequens traditio: מסורת ביד הכל שהמקום שבנה בו דוד ושלמה המזבח בגורן ארונה הוא המקום שבנה בו אברהם המזבח ועקד עליו יצחק והוא המקום שבנה בו נוח כשיצא מן התבה והוא המזבח שהקריב עליו קין והבל ובו הקריב הראשון כשנברא ומשם נברא אמרו חכמים אדם ממקום כפרתו נברא: *Pervulgata Traditio est; Locum, in quo David & Salomo in area Araunæ altare exstruxerunt, eundem esse, in quo Abrahamus Isaacum ligaturus suum ædificavit.* (Hæc antecedens Traditionis pars satis certa est) *Imo eundem, ubi Noa arca egressus suum quoque exstruxit; Ubi Cain & Abel sacrificarunt. Ibidem etiam Adam, postquam creatus erat, obtulit & inde creatum fuisse sequens sapientum dictum vult: Adamo idem locus expiationis, qui creationis. Maim. in Jad Chas. Tr. de domo selecta. C. II.* §. 12.

§. XV. *Sacrificiis Patriarchalibus successerant Mosaica, vel potius illa his continuabantur, cum notabili tamen discrimine;* Patriarchalia quippe liberiora nec præceptis, iisque severis circumscripta erant.

§. XVI. Ante Sacerdotium Aaronicum institutum Sacerdotes erant singuli Patres, filii tum primogeniti, tum natu minores. v. *Annot. nostras ad Goodwin. L. I: C. I.* Quando tamen sacra publica fiebant, functiones penes summos erant; Unde Melchisedecus notanter audit: כהן לאל עליון *Sacerdos Dei altissimi* Gen. XIV. 18. Materia quoque pro lubitu seligebatur, quam postea lex determinaverat. Tot diversæ sacrorum species nondum constitutæ erant, quemadmodum sub Mose. Locus, tempus nondum definiebatur. Functiones sacerdotales circa victimam nec tot nec ita determinatæ erant.

§. XVII. *Conveniunt tamen Patriarchalia ac Mosaica* quoad Auctorem, scopum primarium, & animalia, quæ Deo offerenda.

§. XVIII. *Materia, ex qua Sacrificia constabant, animalia munda erant*, tum ante Legem. Gen. VIII. 20. tum sub Lege, ut constat ex Lev. I. III. IV. V.

§. XIX.

§. XIX. *Non tamen omnia animalia munda sacrificiis apta erant sub Lege*, sed nonnisi pecora domestica generis bovini, ovini & hircini, nec non turtures & pulli columbini. v. l. cit. Non vero feræ mundæ numero septem. Deut. XIV. 5. & aliæ aves mundæ. Cum Mose conveniunt Magistri *Abarbanel* veluti *in Præf. Lev. Cap. I.* ac *Maim. in Præf. præmissa τῷ* סדר קדשי *ab initio.* Pisces vero prorsus nulli aræ admoti erant.

§. XX. Videtur tamen obstare Locus Lev. XIV. 4. ubi duæ צפרים pro leproso mundando sumendæ præcipiuntur; At צפרים juxta *Vulgatum*, aliosque *passeres* notat. Verum nomen צפרים generale est, ac notat quasvis aves, ut constat ex ejus usu. Passerem l. cit. notare nequit, nam passer vel est avis immunda vel munda; Si immunda, proscribitur voce addita טהרות. Si munda, tum hæc vox superflua. Quare LXX. Oncelos, Jonathan, Mischnici simpliciter pro *avibus* habent. Vide, quæ dixi *in Dissert. de duabus avibus leprosi mundandi.* §. 1. Dein dubitatur, an aviculæ pro leproso nomen sacrificii mereantur. A Mose ita non vocantur. Altari admotæ non erant. Aliæ quoque erant functiones Sacerdotis circa has aves, quam alias quæ sacrificii nomen habent.

§. XXI. *Num vero sacrificia ante Mosen ex his quinque speciebus tantum constiterint, non satis liquet.* Probabile quidem videtur ob Gen. XV. 9. sed obstat Locus Gen. VIII. 20. qui generaliter agit de omnibus animalibus & avibus puris Deo à Noacho oblatis. At dantur plura animalia & aves puræ, præter quinque has species. *Cl. Ainsworthus* distinguit inter animalia pura quoad usum communem & quoad sacrum. Modo posteriori quinque tantum species puras dari. vid. in Gen. VII. 2. VIII. 20. Quomodo quoque locus posterior *in Pirke R. Elieseris* accipitur.

§. XXII. *Sacrificia, quæ ex quadrupedibus constabant, potiora iis ex avibus.* Majori constabant pretio. Aves in solatium pauperum præscriptæ erant. v. Lev. V. 7. XII. 8. Hinc explica Luc. II. 24. Unde *Abarbanele* notante קרבנות הצבור *Sacrificia cœtus* é turturibus & pullis columbinis nunquam erant sumenda. *Præf. in Lev. C. I.*

§. XXIII. *Lex Mosaica Sacrificiorum quoque ætatem determinavit.* Infra diem octavum nulla bestia Deo offerri poterat. Lev. XXII. 27. Exod. XXII. 30. Agnus veluti paschalis בן שנה, *anniculus* poscitur.

ſcitur. Exod. XII. 16. qui annum exceſſerat, reprobus erat. v. *Goodw.* Lib. III. Cap. IV. §. 10. n. 8.

§. XXIV. *Magiſtri circa Sacrificiorum ætatem perquam, imo nimium, accurati ſunt. Maimonides* tr. מעשה קרבנות C. I. 13. שעות מונין לקדשים ואם הוסיפו שעה אחת או פחתו שעה פסולין׃ *Quoad ſacra horas numerant. Si unicam horam adjecerint, vel diminuerint, vitioſa fiunt.* Ut ſi quod ſacrificium ex præſcripto Legis oporteret eſſe annuum, id vitioſum eſſet, ſiquidem ad annuum ætatis ſpatium hora una accederet: Imo ſi victima tum eſſet annua, cum jugularetur, & cum ſanguis ejus altari aſpergeretur, ad annum hora accederet una, victima illa quoque vitioſa erat; namque opus ut victima usque ad conſperſionem ſanguinis annua eſſet. Eadem erat omnium ſacrorum ratio.

§. XXV. *Iidem victimam habent quidem à die octavo idoneam, attamen de induſtria non offeruntur, niſi poſt triginta dies.* Excipiunt agnum paſchalem, animalia primogenita & decimas, quas etiam de induſtria poſt octavum ab ortu diem immolant. Idem l. cit. §. 12. vid. tr. פרה C. I. §. 4.

§. XXVI. *Tenent ſequentem regulam, ætates victimarum dignoſcendi.* Agni, agnæque, ſive ovium ſive hircorum, qui nomine כבש veniunt, intra primum ætatis annum; *Arietes* אילים mares ovium juxta ac caprarum, ſupra primum, intra alterum; עגלים *Vituli* intra primum, ſed פרים intra tertium; שעירי עזים *Hirci caprarum* ſupra primum, intra ſecundum ad ſacra probi ſunt. v. *Abarbanel in Præf. in Lev. Cap. II. in: & Maim. in Præf. præmiſſa Tract.* זבחים. Hic tamen à ſeipſo nonnihil recedit; *In Jad Chaſ.* tr. מעשה הקרבנות. Cap. I. §. 14. ubi ait: פר explicandum eſſe de *juvenco* בן שתים *bimo.* Cauſa diſſenſus latet in tr. פרה Cap. I. §. 2. R. Joſe Galilæus innitens Num. VIII. 8. (qui tamen nihil probat) putat juvencum biennem; At ſapientes etiam triennem legitimum eſſe. Sequuntur tamen Judæi vulgo ſapientes, notantibus *Obad. de Bartenora* & ipſo *Maim. ad h. l.*

§. XXVII. *Aetatem turturum & columbarum quod attinet, Abarbanel Præf. cit. Cap. II.* obſervat, turtures ſumi גדולים *majores*, ſed columbas קטנים *minores*, quod cum Lege Moſaica, quæ ſolet *turtu-*

rum

rum & liberorum columbæ mentionem facere. v. Lev. I. 14. bene convenit.

§. XXVIII. *Qua occaſione quæritur, num jam temporibus leges Moſaicas antecedentibus, ætatis ſacrificiorum ratio habita fuerit.* Ita quidem videtur ob Gen. XV. 9. Si Vulgatum ſequimur. *Sume mihi vaccam triennem, & caprum trimum, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.* Quomodo quoque LXX. Jonathan Ben Uſiel, Samaritanus, Arabs, Syrus, ex recentioribus Lutherus, Tigurini, Schmidius transferunt. Quæ vero ætas cum ſupra propoſita non conveniret. At Oncelos vertit: *Vitulos, capros, arietes tres*, quem probant Raſchius, Kimchius, Grotius ac Gouſſetius, nec ſine rationibus. 1.) Vox משלש alibi *tria* numero notat. Eccl. IV. 12. 2.) עגלה non vaccam ſed *vitulam* ſignificat. Vitula autem, ſaltem proprie, trium annorum nondum eſt.

§. XXIX. *Etiam lex Moſaica ſexum ſacrificiorum exprimit.* Victimæ paſchales nonniſi maſculæ permittebantur. Exod. XII. 5. Holocauſta, quæ ex quadrupedibus, maſcula poſcuntur. Lev. I. 3. Alia ſacrificia fœminea præcipiuntur, ut Lev. IV. 28. 32. & *vacca rufa.* Num. XIX. 2. Alia ex utroque ſexu deſumi poterant, ut pacalia. Lev. III. 1. 6. Sed Androgyna, ſi quæ erant, inidonea illa ad aram, v. *Maim. tr.* אסורי מזבח Cap. III. 3. Sexus avium ſacrarum vero non attendendus erat, ut colligere licet Lev. I. 14. coll. cum 3. vide quoque *de ſexu Sacrificiorum Maimonidem tr.* מעשה הקרבנות. Cap. I. 8 - 12.

§. XXX. *Lege Moſaica præterea cautum eſt de Sacrificiorum integritate*, veluti Lev. XXII. 19. *ut fiat ad beneplacitum veſtrum, ſit* תמים *integrum* & v. 20. *ullum, in quo* מום, Μῶμος, *non offeretis.* v. 21. & Deut. XV. 21. Poſcitur ergo victima omnibus partibus integra, ac ſine ulla labe & culpa. Quædam notabiliora vitia mox recenſentur l. c. Sed intelligenda alia quævis. Genus enim omnes comprehendit ſpecies.

§. XXXI. *Multo ſtudio Hebræorum Magiſtri in vitia Sacrificiorum ſpecialia inquiſiverunt.* Maimonides recenſet LXXIII. vitia, quorum unicum ſi animali ineſt, ad ſacrificium inidoneum habetur; ſcil. eorum quinquaginta hominibus & pecori communia, reliqua vero viginti

viginti tria huic propria, in facie, dentibus, cornibus, partibus genitalibus & caudis conſpicua tr. אסורי מזבח Cap. II. Quibus adhuc XX. alia adduntur, ut in univerſum XCIII. vitia animalium notent, de quibus plenius ſcripſi *in Diſſert. de victimarum integritate.* à §. 33. ad 50. huic appendici ſubjuncta.

§. XXXII. *Qui his contraria egerant, ac animalia vitiata ſacrificaverant, habebantur ſacrorum contemtores, & verberibus multabantur.* Beſtia vitioſa altari ſacrata ſacra quoque erat, quæ vero poſtea pro æſtimatione ſacerdotis redemta, rurſum communis evadebat, ac pretium ejus in ſacrum impendebatur. vid. *Maim. in* אסורי מזבח. Cap. I.

§. XXXIII. *Beſtia, quæ ante jugulationem ara digna habebatur, poterat poſt jugulationem indigna haberi.* Ut ſi Sacerdos eam invenit lethaliter affectam, vel indigam parte quadam interiore, veluti rene, aut exundantem, talis beſtia erat cremanda. tr. cit. C. II. §. 11.

§. XXXIV. *Conſtitutiones ſapientum non ſolum animalia vitio affecta ab ara arcent, ſed & jubent, ut nonniſi ſelectiſſima offerantur.* Hinc *Maim. tr. cit. Cap. XVII.* 1. כל שיביא לקרבן מן המובחר. *Omne, quod in ſacrificium offertur, ex ſelectiſſimo conſtet*, quod mox illuſtrat: *Ita fiebat templo ſtante. Arietes è Moab, Agnos quorum dorſa lata ex Hebron, Vitulos è Saron, pullos columbinos è monte regio, vinum è Charchavina, ſimilam è Michmas & Jochana ac denique oleum è Thekoa adducebant.*

§. XXXV. *Sacrificiorum locus juxta Legem Moſis liber non erat.* Adſtricta quippe erant olim ad Tabernaculum Lev. XVII. 3-7. Deut. XII. 5. 6. XIV. 22. poſtea ad Templum. Deut. XII. 11. 12. unde hoc בית זבח *Domus ſacrificii.* 2. Chron. VII. 12. audit. Extraordinarium prorſus erat Eliæ ſacrificium in monte oblatum.

§. XXXVI. Cum Moſe conſentit *Maim. Præceptum affirmativum eſt, ut Deo Templum exſtruatur, in quo immolentur victimæ, & ter in anno dies feſti celebrentur. Scriptum eſt enim: Facient mihi ſanctuarium.* Exod. XXV. 8. *De ædificio Templi.* Cap. I. §. 1. & §. 3. *Quando Templum fuit Hieroſolymis ædificatum, interdictum erat, ne ullo in loco alio domus Domino aut ſacrificium fieret.* Adde eundem *in Præf. præmiſſa tr.* זבחים in fine.

§. XXXVII.

§. XXXVII. *Ante tempora Mosaica omnis locus in & extra terram Canaan sacrificiis aptus erat, nisi peculiari mandato determinatus fuerit.* Ut Gen. XXII. 2. Notanda sunt, quæ in *Mischna tr.* זבחים. Cap. XIV. §. 4-9. leguntur: *Antequam erectum esset Tabernaculum, excelsa licita erant. At postquam erectum est Tabernaculum, prohibita fuerunt excelsa. Ubi venerunt in Gilgal, tunc licita fuerunt excelsa. Cum venerunt in Schilo prohibita habebantur excelsa. Postquam venerant in Nob & Gibeon, permittebantur excelsa. Cum postea Hierosolymam venerant, excelsa prohibita erant, neque amplius licita.* Rationes, quas Magistri perhibent, vide in glossis.

§. XXXVIII. *Sacrificium tempore nonnisi diurno sacrificandum fuisse juxta legem Mosaïcam certum videtur.* Diserta lex non quidem prostat. Probabiliter ideo, quod tempus hoc per se clarum sit.

§. XXXIX. Magistri itaque contra intentionem Legislatoris non agunt, diem pro jugulandis sacrificiis postulantes: *Maim. in tr.* מעשה הקרבנות Cap. XVIII. §. 17. *Nulla prorsus victima in sanctuario noctu jugulata ad rem divinam apta fuerat.* Vide quoque hunc Magistrum Cap. IV. 1. Adolitiones & comestiones tamen noctu fieri poterant, ob Lev. VI. 2. Exod. XII. 8. *Tract.* מגלה. Cap. II. 6. *Tota nox legitima est ad adolendum adipes & membra. Hæc regula generalis: Id quod præceptum, ut de die fiat, legitimum per totum diem, id vero quod præceptum, ut noctu fiat, legitimum per totam noctem.*

§. XL. *Quando vero non eadem sacrificiorum ratio, memorandæ sunt variæ eorum species.* Differunt modo, quo Deo offeruntur, offerentibus, gradu sanctitatis, causis.

§. XLI. *Primo dicemus de vario offerendi modo.* Moses satis liquido distinguit in עולות *Holocausta* Lev. Cap. I. שלמים *pacalia* C. III. חטאות sive *pro peccato* Cap. IV. & אשמות sive *pro reatu* Cap. V.

§. XLII. Mosen sequuntur Magistri. Hinc *Abarbanel Præf. in Lev.* Cap. II. init: *Victimarum pro formis primariis inter se differentibus, genera quatuor sunt*, scil. העולה והחטאה והאשם והשלמים ואין בתורתינו קרבן בשום פנים לא מצבור ולא מיחיד אלא מאחד מהד' מינים: *Holocaustum, sacrificium pro peccato, pro reatu, & pacificum; præter hæc quatuor nullum aliud sacrificii genus in Lege nostra reperitur,*

 neque

neque publicum, *neque privatum*. Eadem habet *Maim. in Præf.* tr. Mischnici זבחים. Alibi tamen, ut in tr. מעשה הקרבנות Cap. I. §. 3. subjicit tria privata à prioribus distincta, scil. *Agnum paschalem, animalia primogenita & decimas.*

§. XLIII. *Ex his generibus principatum tenent Holocausta.* Unde 1.) penes Mosen primum habent locum. Lev. Cap. I. 2.) De illis comedendi copiam non habuerunt vel Israelitæ vel etiam Sacerdotes.

§. XLIV. *Communiter hebraice dicuntur* עולות, *ceu quæ igne absumta in altum ascendunt. Abarbanel in Præf.* in Lev. קרבן נשרף כלו על גבי המזבח: *Sacrificium, quod totum in ara comburitur*, si corium exceperis. Unde LXX. plurimum vertunt ὁλοκαύτωμα, quos Apostolus sequitur Hebr. X. 6. Etiam vertunt κάρπωμα, κάρπωσις, ὁλοκάρπωμα, ὁλοκάρπωσις. An vero כליל *Holocaustorum* speciale nomen sit, non ita liquet, maxime ob Psal. LI. 21.

§. XLV. *Holocausta constare poterant ex genere bovino*, *ovino*, *hircino*, *turturibus & columbis*, v. Lev. I. Idem tradunt traditionarii *Maim.* מעשה הקרבנות Cap. I. 8. & *Abarbanel Præf. in* Lev. Cap. II.

§. XLVI. *Ex quadrupedibus mares tantum admittebantur.* Lev. I. 3. *Ex avibus sexus ratio non habebatur*, saltem Moses silet. Hebræi vero diserte testantur, ut *Maim.* l. cit. c. cit. *Ex turturibus & columbarum pullis mares & fœminæ promiscue adhibebantur.*

§. XLVII. *Holocausto*, quod quadrupes, certo in loco, de quo infra, *jugulato*, *dissector singularem partes rite secandi curam habuerat*, quam quidem Moses generatim mandat Lev. I. 6. 12. *& dividet illud in frusta sua*, *Maimonides* κατὰ μέρος deducit *tr. cit.* Cap. VI. §. 5. 7. 8. 9.

§. XLVIII. *Quando secundo ad intestina venerat*, *lavanda illa dabantur*, Mose præcipiente Lev. I. 9. 13. Lavabantur autem aqua communi. Et abdomen tantum, quantum sufficiebat; Intestina vero minimum ter. Huic lotioni inservierunt Mensæ marmoreæ inter columnas sitæ, testantibus traditionibus. *Maim.* tr. & c. cit. §. 6.

§. XLIX. *Absoluta dissectione frusta ferebantur ad collem aræ.* Latorum numerus pro magnitudine variabat, ut infra dicetur.

§. L.

§. L. *Collis aræ*, si traditiones sequimur, *ordinarius locus erat*, *membra hostiarum sale conspergendi*, ut alibi plura dicemus.

§. LI. Ex quo vero victimarum partes sale consperfæ erant, *efferebantur ad summam altaris partem*, ubi nervus luxatus in cineres, qui in media ara, projiciebatur ob Gen. XXXII. 32.

§. LII. *Tum membra super ignem projiciebant*, *ac postea*, Mose jubente, *super ligna ordinabant*, ut essent εὐωδία Dei v. *Maim.* tr. cit. c. cit. §. 4.

§. LIII. *Cuncta, quæ Bestiæ inhærebant*, ut lana, hircorum barba, ossa, nervi, cornua, ungulæ, *adolebantur*. Si vero talia ab ara desilierant, non restituebantur; Restituebantur, quæ aliquid solidi habebant, ac cremabantur tr. cit. c. cit. §. 3.

§. LIV. *Corium holocausti cesserat Sacerdoti illa offerenti*, ut habet *Abarbanel in Præf. in Lev.* Cap. II.

§. LV. *A Sacerdote holocausta offerente, quæ sequuntur, probe cogitanda erant*; scil. Nomen sacrificii; Nomen dein sacrificantis: Et quod hostia illa tota Dei εὐλογητοῦ sit: Quod sit igne consumenda: Et quidem nonnisi ad eliciendum odorem: Denique quod odor ille sit לפני השם, *Odor Deo acceptus. Maim. tr. cit.* Cap. IV. 11. Adde Tract. זבחים Cap. IV. 6. cum glossatoribus, qui hæc deducunt.

§. LVI. *Hoc Sacrificiorum genus recipiebatur etiam ab Ethnico*, non item alia, ut Celeberrimus Magister, quem sæpius allego, tradit. Quare notat כל הקרבנות *quævis sacrificiorum genera* ab Israelitis maribus, fœminis etiam servis accipiunt, sed ab Ethnicis אין מקבלין מהן אלא עולות בלבד *nonnisi holocausta accipiunt*. Non pacalia, non ferta, non sacrificia pro peccato, pro reatu: Imo nequidem omnia holocausta, ut puerperæ & similia, sed tantum משום נדר ומשום נדבה *Ex voto aut voluntaria sponsione sacra.* tr. cit. Cap. III. 2. Carebant tamen gentium holocausta χειρ:θεσία. c. cit. §. 5. vide plura in dissert. *de victimarum integritate.* §. 70 84.

§. LVII. *Non tamen recipiebantur holocausta ab apostatis aut publicis sabbathi profanatoribus*, ut tradunt παραδόσεις. c. cit. § 4.

§. LVIII. *Holocaustorum ex avibus alia debebat esse ratio*, ut constat ex Lev. I. 14 - f. scil. offerens portabat aves in atrium ac tradebat Sacerdoti, qui illas ad aram tulerat. v. 15. Et quidem *Maimonide* notante Sacerdos collem conscenderat & conversus ad ambitum procedebat ad cornu inter meridiem & orientem medium. V. quoque tr. זבחים Cap. VI. 5.

§. LIX. *Hic vero constitutus caput* מלק *ut Moses loquitur.* Significatus vocis specialior ex sacris non constat. Petendus probabiliter ex sapientibus, qui notionem *unguesecare* ei tribuunt. Sacerdos unguesectione caput à cervicibus penitus separare debebat, ut Maimonides habet tr. cit. Cap. VI. §. 20. præeunte Mischna tr. זבחים Cap. VI. 5. Lege non contradicente.

§. LX. Tum sanguinem capitis ut & corporis ad parietem altaris exprimebat. Lev. I. 14. Et quidem juxta sapientes למעלה מן החוט שבאמצע המזבח *supra filum*, *quod in media ara.* §. cit. Quod tamen posterius magis necessarium habent ac prius.

§. LXI. Postea caput sale aspersum projiciebat in ignem, corpus vero avis sumebat evulsurus ingluviem cum pelle adhærente, pluma & intestinis, quæ projiciebat in locum cineris juxta altare orientem versus. Lev. I. 16. *Maim. l. cit.* quem rursus præit *Misch. loc. cit.*

§ LXII. Denique findebat (rursum manu, ut Hebræi dicunt) alas, aut potius corpus volucris cum alis, ita tamen, ut nulla partium separatio facta fuerit. Ultimo sectione peracta projiciebat super ignem. Lev. I. 17. Vide *Maim.* & *Mischnam l. cit.* Vide quoque *Dissert. nostram de sacrificiis avium.*

§. LXIII. *Holocaustorum usus antiquissimus erat.* Noachi Gen. VIII. 20. Abrahami Gen. XXII 13. Jobi Cap. I. 5. Amicorum ejus, Cap. XLII. 8. sacra *Holocausta* dicuntur. Num Abelis & Caini talia fuerint, dubitatur. Sciendum tamen est, quod Holocaustum ante Legem Mosis generalioris notionis fuerit, ceu quod incluserat sacrificia pro peccato v. Job. I. 5. XLII. 8. Quæ vero postea distincta erant, ut nunc dicemus.

§. LXIV. Moses quippe ceu aliam sacrificiorum speciem notat, quam חטאת & חטאה vocat. Lev. XVI. 3. 5. & Cap. IV. 3. 8. Exod.

Exod. XXIX. 14. Alias vox *peccatum* significat. Quoniam vero victima piacularis peccantis vices suscipit & pœnam peccati typice fert, hinc commode eodem venit nomine ; Unde & LXX. vertunt jam Ἁμαρτία. Exod. XXIX. 14. Lev. IV. 21. jam περὶ ἁμαρτίας. Lev. IV. 3. XVI. 3. 5. Quomodo quoque Scriptores N. T. Hebr. X. 6. conf. Psal. XL. 7. Id quod probe tenendum, quum lucem affundat locis maximi momenti. Rom. VIII. 3. 2. Cor. V. 21.

§. LXV. *Subjectum*, pro quo piaculare offerendum, non erat, delinquens ביד רמה *manu elata*, sciens, volens, audax, impudens, per contemtum, palam. Num. XV. 30. Quod convenit cum Ἑκουσίως ἁμαρτάνειν, μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν Ἐπίγνωσιν τῆς Ἀληθείας. Hebr. X. 26. Sed שגג agens בשגגה Lev. IV. 2. Num. XV. 24 - 30. absque præmeditatione & malitia, ex inanimadvertentia, infirmitate: Unde quod hic בשגגה factum dicitur, alibi בלי דעת *absque notitia*, odio, non insidiando v. Num. XXXV. 11. Deut. XIX. 4. Jos. XX. 3. Cujus contrarium Deut. XIX. 11. LXX. commode transferunt Ἀγνοέω. Lev. IV. 13. Ἄγνοια. Lev. XXII. 14. Ἀκουσίως. Lev. IV. 2. Quos sequitur Apostolus Hebr. V. 2. IX. 7. Non tamen prorsus negari potest, sacra quoque pro illis oblata fuisse, qui aliquando conscii deliquerunt. Vide *Outramum de sacrificiis. l. I. Cap. XIII.* §.7.

§. LXVI. *Constabant sacrificia pro peccato ex omnibus quinque animantium speciebus.* v. Lev. IV - XII. XIV. Hinc Maimonides tr. מעשה הקרבנות Cap I. §. 9. *Ad hostiam pro peccato quinque animantium genera adhibebantur, æque mares ac fœminæ, majores ac minores.*

§. LXVII. *Hæc sacrificia alia erant publica, alia privata.* Illa dicuntur חטאות צבור. At hæc חטאות יחיד. Vid. *Mischn. tr.* זבחים. Cap. V. 3.

§. LXVIII. *Sacrificia pro peccato publica, quæ pro toto cœtu offerebantur sunt* ; Veluti hirci sabbathorum, noviluniorum, festorum ac Diei Expiationis. Num. XXVIII. XXIX. Lev. XXIII. Hirci quoque ob idololatriam vid. *Maimon. tr. cit.* §. 5. Et juvenci ob errorem. Lev. IV. 13.

§. LXIX. *Hæc ex masculis tantum constabant*, ut patet ex locis allegatis. *At privata fœmellis*, exceptis hirco Principis. Lev. IV. Ju-

venco ob errorem Pontificis uncti Lev. IV. 2. Et ejusdem juvenco offerendo Die Expiationis. Lev. XVI.

§. LXX. *Hæc ipsa sacrificia dividuntur quoque in ea, quæ tota comburuntur, & ea, quæ ex parte comeduntur.* Fundamentum est in Mose Lev. IV. 11. 12. 21. Cap. VI. 19. vel 26.

§. LXXI. *Comedebantur autem sacrificia pro peccato publica omnia præter hircos solennitatis expiationum.* Lev. XVI. Hircos idololatriæ & juvencum ob errorem Lev. IV. 13. Privata vero, præter juvencum ob quodvis præceptum violatum. Lev. IV. 2. ac juvencum ob errorem P. M. Lev. IV. Et ejusdem juvencum Die Expiationis. Lev. XVI.

§. LXXII. *Rursum hujus generis sacrificia distingui solent in fixa, Rabbinis* קבוע, *& variantia* עולות ויורדות, *crescentia & decrescentia* pro vario offerentium statu, divite aut paupere, ut leprosorum, puerperarum.

§. LXXIII. *De his sacrificiis ceu proprium quid notant, quod selectus victimarum non steterit penes offerentes:* Determinatæ illæ erant à Lege. v. Lev. IV. XVI. Quænam v. g. à Pontifice, Principe, privatis sacrificandæ. Dein quod carere debuerint fertis, libaminibus, oleo, thure. v. l. cit. Et quia propter peccata offerentium immolanda, ideo nullam habebant Ἐυωδίαν aut ריח נחוח.

§. LXXIV. *Notari quoque meretur, quod sacrificium hoc singularem contraxerit impuritatem, aliisque communicaverit.* v. Lev. VI. 27. 28. Et quidem *Maimonide* notante, magis quam reliqua sacrificia sanctissima tr. מעשה הקרבנות. Cap. VIII. 1.

§. LXXV. Id, quod ex sequentibus speciebus clarius constabit. 1.) Vestis, quæ sanguine hujus hostiæ ante aspersionem conspersa, protinus in atrio aqua lavanda erat. Quod vero durum, ut pellis indurata, ejus sanguis tantum abradebatur. 2.) Vas testaceum, in quo caro hujus victimæ coquebatur, in atrio frangi oportebat. 3.) At vas metallicum defricari ac aqua mergi. Hæc & plura alia reperies deducta apud *Maim. tr. cit. c. cit.*

§. LXXVI. Si casu aliquo factum, ut alia sacrificia fuerint commixta cum sacrificiis pro peccato המתות *morti devotis* (qualia fuerint,

fuerint, vid. Bart. ad tr. זבחים, Cap. VIII. 1.) omnia reliqua, si vel mille fuissent, non poterant sacrificari aut redimi, sed dimittebantur, donec nulla vi externa adhibita mortua fuerint.

§. LXXVII. *Hoc sacrificii genus solet communiter alia, si una offerenda essent, præcedere;* Cujus rei ratio facile patet. v. Lev. XVI. 24. V. 7. 9. 10. Excipitur Num. XV. 24. Vide *Raschium ad h. l.*

§. LXXVIII. Constabant sacrificia pro peccato aliquando ex avibus. Lev. 7 - 10. Quarum immolandi rationem textus Mischnicus tr. זבחים. Cap. VI. 4. quærendo & respondendo ita tradit: *Sacrificium pro peccato ex ave quomodo fit?* (Sacerdos) *Caput ejus è regione cervicis ungue secat, non tamen separat id* (à corpore) *tum spargit de sanguine ejus ad parietem aræ. Reliquias vero exprimit ad fundamentum altaris.* Si Sacerdos vel caput à corpore divisisset, aut sanguinis destillationem omisisset, sacrificium vitiasset. Sacrificium quoque habebatur illegitimum, si suo nomine non ungue sectum, aut expressus sanguis fuisset. vid. tr. cit. §. 7. Et *Maim. tr.* מעשה הקרבנות Cap. VII. 7.

§. LXXIX. *Caro hujus avis Sacerdotibus cesserat, non aræ.* Moses saltem non meminit. Mischna diserte ait: אין למזבח אלא דמה וכולה לכהנים *Sanguis tantum pro ara; Reliqua Sacerdotibus.* C. VI. 4.

§. LXXX. *Sequitur tertium sacrificiorum genus, quod* אשם *dicitur*, distinctum à חטאה, quemadmodum scire licet ex Mose Lev. IV. & V. & VII. 7. XIV. 13. Ut & Sapientibus Judæorum. LXX. communiter transferunt πλημμέλεια, aliquando etiam Ἁμαρτία Lev. V. 7. Latine *pro reatu*, aut *pro delicto.*

§. LXXXI. *In quo vero vera ratio discriminis horum duorum generum pro expiatione sita sit, non liquet.* Certant & Judæi & Christiani inter se. Quare dabimus primo convenientiam, postea disconvenientiam.

§. LXXXII. *Convenientia hæc est.* 1.) Utrumque genus pro caussa habet Legis cujusdam transgressionem. 2.) Idem utriusque locus mactationis Lev. VII. 2. VI. 18. 3.) Exta sacrificiorum pro reatu & pro peccato in ara exteriori adolenda erant; Reliquum cesserat sacerdotibus. Vid. Lev. IV. 8. 9. VII. 3. 4. 7. Excipe tamen

men ſacrificia pro peccato, quæ tota comburebantur, de quibus ſupra.

§. LXXXIII. *Disconvenientia in ſequentibus conſiſtit.* 1.) Sacrificia pro *reatu* nonniſi ſumebantur ex agnis maribus, tum majoribus, tum minoribus. v. Lev. V. XIV. 13. XIX. 21. Num. VI. 12. *Maim. tr.* מעשה הקרבנות Cap. I. 10. 2.) Sacrificia cœtus piacularia nunquam erant אשמות vid. *l. cit.* 3.) Sanguis ſacrificiorum pro *reatu* ſpargebatur tantum ſuper altare, Lev. VII. 11. Vel ut textus Miſchnicus habet דמן טעון שתי מתנות שהיו ארבע *ſanguis eorum poſcit duas aſperſiones, quæ ſunt quatuor.* Infra filum rubrum altaris. Cap. V. 5.

§. LXXXIV. *Hæc certa ſunt; Non item quæ ſequuntur.* Ex Judæis Abarbanel ſequens diſcrimen facit: *Sacrificium pro peccato* fiebat על חטא ידוע שחטא בשגגה *ob peccatum certo notum, quod ex imprudentia commiſſum fuerat.* At ſacrificium pro *reatu* על הספק *ob dubium*, num peccatum commiſſum, nec ne. Sed Aben Eſra peccatum חטאת *Legis ignorantia*; Verum אשם *oblivione* commiſſum habet. *Maim. in More. Nev.* p. III. Cap. XLVI. Peccata propter אשם *minora*; Propter חטאת majora habet. *Grotius* culpam in omittendo חטאת, in committendo אשם dictam putat. *Saubertus* explicat חטאת de errore per imprudentiam commiſſo; Sed אשם de malitia ex electione & violenter patrata. Ad quem prope *Bonfrerius* accedit, opinans אשם gravia; Sed חטאת leviora notare. *Jacobus Capellus* חטאת explicat per peccatum ſcienter; Sed per אשם ab inſcio patratum. Alii illud חטאת dictum putant, quod ita in Deum commiſſum erat, ut homines tamen inde nihil detrimenti caperent; At אשם damnum quoque hominibus illatum. Vide *Outramum* Lib. I. Cap. XIII. & *Lundium* in den Jüdiſchen Heiligthümern. Lib. I. Cap. XL. §. 1.

§. LXXXV. Rectius forſan de his variis opinionibus judicari poteſt, ſi perpenduntur ſacrificia אשם. Sunt autem, ut Textus Miſchnicus ſupputat, numero ſex. Sacrificium 1.) pro reatu *ob Rapinam* Lev. V. 21. 2.) *Prævaricationem* vel res ſacras inſcienter in uſum humanum converſas. Lev. V. 15. 3.) *Ancillam cum probro dimiſſam.* Lev. XIX. 20. Unde ob affinitatem delicti Sacerdotes conjugii contra Legem rei ſacra pro reatu obtulerunt Eſr. X. 10. 19.

4.) Ob

4.) *Ob Naziræum* pollutum ex repentina morte ad latus Naziræi. Num. VI. 9 - 13. 5.) *Ob leprosum* mundandum. Lev. XIV. 13. & 6.) תלוי *suspensum*, sive pro peccato dubio. Lev. V. 18. tr. זבחים Cap. V. 5. Quare priora quinque audiunt sacrificia ודאי pro *delicto certo.*

§. LXXXVI. Ex dictis constat *Sauberti* & *Bonfrerii* cogitata omnium minime probari posse, ob Lev. XIV. 13. Num. VI. 9 - 13. Quod porro inde confirmatur, quoniam sacrificia cœtus, quæ privatis graviora sunt, nunquam ex genere אשם fuerunt. Dein privatus obligatus ad חטאת tenebatur ad capram Lev. IV. 28. Sed adstrictus ad אשם offerebat arietem vel agnum. Observat autem *Maimonides More Nev.* Lib. III. Cap. XLVI. Quo peccatum gravius, eo poscitur sacrificium vilioris speciei. Unde Holocausta, quæ inter sacra principatum tenebant, nunquam ex sexu fœmineo desumebantur. Quod porro LXX. significare voluerunt, אשם per Πλημμέλεια (quæ minus dicit ac Ἁμαρτία) communiter vertendo. Præterea sciendum est, חטאות aliquando in casu idololatriæ offerenda fuisse. At idololatria gravius crimen non datur. Tantæ gravitatis non sunt, quæ causæ אשמות dicuntur. Verum quidem, quod haud levia sint prævaricatio. Lev. V. 15. & rapina, eaque juramento abnegata v. 21. 22. Sed sciendum est, quod ratione prioris peccati non solum commissum illud fuerit בשגגה *ex errore*, inanimadvertentia, sed credibiliter agnitum sine testibus. Unde non additur *notum factum illi*, quemadmodum de sacrificiis pro peccato. Cap. IV. 14. 23. 28. Ratione posterioris Judæi quam maxime probabiliter intelligunt de tali peccatore, qui quidem prius rem proximi juramento abnegaverat, postea vero ob conscientiæ vim absque testibus restituerat, conf. Num. V. 7. 8. Alias procul dubio condemnatus fuisset ad majorem summam, quam ut restituens quintam tantum partem rei ablatæ adderet, Lev. V. 24. Id quod colligere licet ex aliis legibus. Exod. XXI. 37. XXII. 3 - 6. Cui explicationi favent *Josephus* & *Philo* Sacerdotes, uti observat *Relandus Antiq.* Lib. III. Cap. IV. §. 4. Jam vero crimen valde minuitur, si quis crimen, quod commisit, sponte fatetur.

§. LXXXVII. *Ultimum sacrificiorum genus nomine* שלמים *venit* Lev. III. 1. Varia vocis ratio dari solet. Placet *Abarbanelis in Præf. in Levit.* נותנים שלום למזבח *pacem Aram* (sive Deum) *inter*

& Sacerdotes ac Dominos dabant; Vel ut *Ralbag* clarius: *Dicta sunt* אחרי היות שלום בין האדם למקום שלמים, *ut quæ fieri tum solerent*, *Cum quis in gratia apud Deum erat. Quare offerentes*, *Sacerdotes ac Deus* Ἐυλογητὸς *de eadem mensa participabant*, vid. *Lev. III.* LXX. vertunt communiter Σωτήριον. Lev. III. 1. 3. 6. aliquando Ἐιρηνικὸν 2. Sam. VI. 17. 18.

§. LXXXVIII. *Constabant pacalia ex utroque sexu*, *generis bovini*, *ovini & hircini*, *non item ex avibus*. Lev. III. 1. 6. 12. Idem tradunt Magistri Hebræorum, veluti *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. I. 11.

§. LXXXIX. *Duum generum pacalia sunt*; scil. tum integri cœtus, tum privatorum.

§. XC. Unum tantum è pacalibus cœtus erat Lev. XXIII. 19. 20. Unde *Abarbanel in Præf. in Lev.* אין בקרבנות הצבור שלמים אלא שני כבשי עצרת בלבד *Duo tantum agni festo pentecostes offerendi è numero pacalium sunt*, *quæ* ab universo cœtu adducuntur. Conf. *Maimon tr.* מעשה הקרבנות Cap. I. §. 4.

§. XCI. *Offerebantur autem*, *Maimonide* referente, *sequentem in modum*: Agitabantur duo illi agni vivi. Tum jugulabantur, ac corio exuebantur. Exinde Sacerdos utrique pectus & femur eximebat, quibus ad duos panes appositis supponebat manus suas, ac cuncta simul agitabat ad portam orientis, ut moverentur huc & illuc, sursum & deorsum. Postea duorum agnorum adolebantur exta, & reliqua caro à Sacerdotibus comedebatur, & quidem in atrio, more carnis ex sacrificio pro peccato & pro reatu. De placentis duabus sumebat summus Sacerdos unam, & altera dividebatur inter omnes vigilias tr. תמידין Cap. VIII. §. 11.

§. XCII. *Reliqua pacalia erant privatorum*, *quæ Maimonides in tres dividit species*, quarum prima Deo sacra fit בלא לחם *absque pane*, veluti שלמי חגיגה ושמחה *pacalia chagigæ & lætitiæ*. Altera offertur עם הלחם, *cum pane*, ex voto & sponsione, diciturque תודה *Eucharistia*. At tertia est Nasiræi, qualem cum pane offert completis Nasiræatus sui diebus, ac dicitur *aries Nasiræi. tr.* מעשה הקרבנות Cap. IX. 5.

§. XCIII.

§. XCIII. Quæ ad ſecundam pacalium ſpeciem jam jam relata, ſcil. *Eucharistia*, *votum* & *sponsio*, paulo illuſtranda ſunt. *Illa*, quæ Moſi dicitur תודה Lev. VII. 11. 12. quam LXX. communiter transferunt Αἴνεσις (unde Hebr. XIII. 15. Θυσία Αἰνέσεως) reſpicit beneficia abs Deo accepta, quæ publice tali ſacrificio honorabantur, v. Pſal. CVII. 8. 15. CXVI. 17. Hujus ſpeciei caro in craſtinum non poterat differri ac tum comedi. v. Lev. VII. 15. *Istud* vocatur נדר Lev. VII. 16. LXX. communiter Εὐχὴ, quo Iſraelita pro impetrando beneficio ſe ad ſacrificium adſtrinxerat. v. Pſal. CXVI. 14. 18. *Hoc* vero dicitur נדבה Lev. VII. 16. LXX. Ἑκούσιον. *Maimonides* hæc duo diſtincturus ita ait: *Quid intelligendum per* נדר *sive votum? Et quid intelligendum per* נדבה *sponsio? Si quis dixerit: Ego holocaustum, ego pacale, ego fertum, vel ego hujus pecudis pretium pro holocausto aut pacali Deo sacrum faciam* זהו הנדר *hoc votum est. Verum si dixerit: Pecus hoc, aut holocaustum hoc, aut hoc pacale, vel hæc decima fertum sit*, הרי זה נדבה *ecce hoc est* Ἑκούσιον. Hæc differentia cauſa erat, ut votivum perditum vel ſurreptum à vovente ita reſtituendum fuerit, quomodo voverat. Non item ſe habet cum ſponſione. Tr. מעשה הקרבנות Cap. XIV. 4. 5. Caro ex ſacrificio voti & ſponſionis poterat altera quoque die, non tamen tertia, comedi. Lev. VII. 16. 17.

§. XCIV. *Pacalia privata à reliquis sacrificiorum generibus in eo differunt, quod fuerint divisa Deum inter, sacerdotes & offerentes.* v. Lev. III. 3-6. VII. 31-35. *Abarbanel in Præf. in Levit. Quod pacalia attinet* קצת מהם נשרפים שהם האמורים וקצת מהם יאכלו הכהנים והנותר כלו יאכלו הבעלים *Ex parte adolebantur* ſcil. אמורים *exta*, (de quibus vide Lev. III. 3. 4.) *Pars vero comedebatur à sacerdotibus. At omne, quod reliquum, à Dominis.*

§. XCV. *Pars, quæ Sacerdotibus cesserat, venit nomine* חזה & שוק *pectoris ac brachii* Lev. VII. 34. *Illud Maimonides* explicat: *Quid intelligendum per* חזה? *Quicquid respicit terram è parte superiori usque ad collum, & è parte inferiori usque ad ventrem. Præsecabantur duæ costæ hinc & illinc. Hoc* vero: *Quid intelligendum per* זרוע? *à junctura genu usque ad acetabulum pedis.* Hæc enim membra inter ſe junguntur. Jam armus, qui hic dicitur, dexter eſt; in tr. מעשה הקרבנות Cap. IX. 10. Conf. Exod. XXIX. 27.

§. XCVI. *Caro hæc ita Sacerdotibus cesserat, ut ea quoque vesci potuerint fœminæ servique extra atrium in ædibus privatis*, modo non exportaretur extra Hierosolymam. vid. Num. XVIII. 11. 19. Lev. XXII. conf. *Maimon.* tr. c. Cap. X. 4.

§. XCVII. *Quando vero animalium primogenitorum, decimatorum ac agnorum paschalium paulo alia ratio, quam sacrificiorum privatorum hactenus tractatorum; Ideo de illis seorsim quædam dicenda sunt.*

§. XCVIII. *Et quidem primo de animalibus primogenitis*, quæ בכור Exod. XIII. 2. Ἀ LXX. Πρωτότοκος dicuntur.

§. XCIX. *Animalia primogenita munda* (de immundis hic non agimus, ceu quæ sacrificia esse nequibant, vid. Goodwinum. Lib. VI. Cap. II. Not. 10. 11.) *Sacrificiis* (attamen קלים *levibus* tr. זבחים Cap. V. 8.) *recte accenseri inde constat*, quod sanguis illorum in ara spargendus, adeps vero adolendus fuerit. Num. XVIII. 17. Textus Mischnicus allegatus tradit, mactari potuisse ubique in atrio, ac sanguinem una aspersione versus fundamentum spargendum fuisse.

§. C. *Præter adipem*, de quo jam dictum, *reliqua caro solius Sacerdotii erat*, comedebaturque ea ratione, qua §. 96. de carne Sacrificiorum pacalium dictum est. Num. XVIII. 18. 19.

§. CI. *Sacerdotes æque ac Israelitæ adstricti erant ad animal primogenitum offerendum. Mischn. tr.* בכורות Cap. II. 1. *Sacerdotes & Levitæ tenentur, non vero liberi sunt à primogenitis animalibus puris. Non liberi sunt, nisi à redemtione filii ac asini primogeniti.*

§. CII. *Hocce primogenituræ jus valet in terra Canaan*, ut se res quoque habet cum aliis sacris.

§. CIII. *Hodie primogenita tam diu pascuntur donec vitium aliquod conspicuum contraxerunt.* Itaque tum licitum est mactare & comedere.

§. CIV. *Templo stante animal primogenitum mundum, at vitio affectum, non quidem ad aram adduci poterat. Erat tamen Sacerdotum*, qui illud in suos usus convertendi ac comedendi licentiam habuerant. v. Deut. XV. 19. fin. De *vitiis* vid. tr. בכורות Cap. VI.

§. CV.

§. CV. *Sequuntur animalia, quæ jure decimationis Deo ſacra*, juxta Lev. XXVII, 32. 33.

§. CVI. *Huic juri ſubjecta non ſunt, niſi animalia munda, eaque tantum ex genere bovino, ovino & hircino* Lev. XXVII. 32. Non vero alia, aves veluti aut aſini &c. Id quod Magiſtri Hebræorum confirmant. *Maimon.* tr. בכורות Cap*i* VI. 1,

§. CVII. *Excipiuntur animalia ſacra.* Lex quippe Iſraelitis data. In Miſchn. tr. בכורות Cap. IX. 1. *Libera quoque ſunt à decimatione emta, dono data*, quæque in communi à ſociis paſcuntur, ut ſaginentur. Sic Miſchnam ſequimur. Tr. c. §. 3. Nec enim alia ad jus decimæ tenebantur, quam quæ homini in domo-ſua nata erant, ut *Maim.* habet. Tr. cit. Cap. VI. 10.

§. CVIII. *Decimanda æque erant animalia vitiis affecta ac integra.* Lev. XXVII. 33. Excipiunt tamen Judæi miſcella, diſcerpta, quæ è latere prodierunt, indiga temporis & orphana. v. *Tr. cit.* §. 4. Vide quoque Gloſſatores *Obadiam de Bartenora & Maimonidem* non ſine acumine Legem divinam explicantes.

§. CIX. *Animalia tamen vitiis affecta altari inidonea erant, quum alias integrorum exta ſale conſperſa, in ara incenſa ac ſanguis una effuſione in fundamentum altaris effuſus fuerit.* v. *Maimon.* tr. מעשה הקרבנות Cap. IX. 25.

§. CX. *Caro animalium decimatorum ſive integrorum ſive vitiatorum ab Iſraelitis comedebatur.* Illorum Hieroſolymis; Horum ubique locorum. Idem tr. בכורות Cap. VI. §. 4. Quod vero, notante translatore, de decima ſecunda eſt intelligendum.

§. CXI. *Penes proprietarium non erat, dare, quam voluerat Beſtiam decimam, ne quidem optimam, ſed quam virga deſignabat* Lev. XXVII. 32. Sive illa mas, ſive fœmina, ſive integra, ſive vitiata. v. *Miſchn. tr.* בכורות Cap. IX. 7. & *Maimonid. tr. ejusdem Thematis.* Cap. VII. 1.

§. CXII. *Nullum erat jus, Beſtiam decimam commutandi, redimendi, vel etiam vendendi.* Et ſi quis vendidiſſet, ille verberibus coercebatur, nec tamen venditio rata habebatur Lev. XXVII. 33. Vide quoque *Maim. tr.* בכרות Cap. VI. 5.

§. CXIII. *Jus pecus decimandi non solum adstrictum erat ad terram Israelis, & illud, quo Templum steterat, tempus;* ut Textus Mischnicus habet tr. בכרות Cap. IX. 1. מעשר בהמה נוהג בארץ ובחוצה לארץ בפני הבית ושלא בפני הבית *Decima pecoris obtinet in terra Israelis & extra eam, stante Templo & non stante.* Attamen postea sapientes aliter sanxerunt|, prohibueruntque his temporibus & Templo destructo consecrationem animalium decimorum, ne quis Legem violans in pœnam כרת incideret. v. *Glossatores* ad h. l.

§. CXIV. *Ut vero pecorum decimatio rectius fieret, patres statuerunt certum pro pecore anni initium, certa quoque decimationis tempora.* De illo *Mischn. tr.* בכרות Cap. IX. 5. R. *Meir* dicit: *Primo Elul est principium anni* למעשר בהמה *pro decima pecoris.* Quod hinc natum inter initium Elul præsentis & Elul subsequentis anni, ad eundem annum pertinere habetur. Filius Asai tamen arbitratur, quod אלולים *nata in mense Elul* seorsim decimentur. De his l. c. *Tria decimandi pecoris tempora* scil. *die decimo quinto ante Pascha; die quoque decimo quinto ante Pentecosten. Et die decimo quinto ante Festum Tabernaculorum.* Hæc vero tempora commoda visa, ut haberent in Festis sacra, quæ comederent.

§. CXV. *Quo ἀκρίβεια Magistrorum circa decimationem insuper constet, adduco, quæ habent de pecore magno ac parvo, hujus & præteriti anni.* Scil. *Obtinet decimatio & boum & pecoris minuti* (quod constat ex genere ovino & hircino) *at unum pecus pro altero non decimatur* (non pecus minutum pro majore & vice versa) *decimari tamen potest Bestia ovini generis pro hircini. Obtinet quoque decimatio in animalibus veteribus & novis. Non tamen licet hæc loco illorum decimare.* Vide plurimos ejusmodi casus in Tractatibus allegatis, & illustra hinc justam reprehensionem Matth. XXIII. 23.

§. CXVI. *Gravis quæstio est, an, quæ hactenus de pecoris decimatione dicta sunt, intelligenda de decima prima, ut vocant; An vero secunda.* Posterius saltem ex parte affirmat *Lud. de Compiegne* de Veil, circa *Maimonidis* scripta transferenda longe meritissimus. Vide illum in Notis ad tr. *Maim.* בכרות Cap. VI. 4. Vide supra Sect. CX.

§. CXVII. *Ultimo dicendum de agno paschali.* Quæ vel *Goodwinus* Lib. III. Cap. III. vel ipse in annot. scripsi de agni paschalis requi-

requisitis, veluti sexu, ætate, integritate, tempore separationis à Grege, & mactationis, convivis &c. nunc non repetam. Alia notabo.

§. CXVIII. *Israelitas mares ad agnum paschalem mactandum ac comedendum obligatos fuisse, dubitare non sinunt Leges Judæorum divinæ & ecclesiasticæ. Num vero etiam fœminæ obligatæ fuerint, quæritur.* Maimonides quidem affirmat tr. קרבן פסח Cap. I. 1. At *Talm. Hieros. tr. Kidd.* f. LXI. rectius Pascha in fœminarum רשות *libero arbitrio* positum fuisse tradit. Convenit cum Lege Exod. XXIII. 17. In tr. חגיגה Cap. I. 1. etiam fœminæ liberæ habentur à comparitione coram Domino. Dein idem vult, quem Bartenoriensis habet, Canon: *Mulieres ab omni præcepto jubente, quod à tempore dependet, liberæ sunt.* ad tr. בכרות Cap. III. §. 3.

§. CXIX. *Mos erat, ut cura agnum paschalem mactandi aliis committeretur*, veluti à Domino servo, cujus erat, Domini voluntatem implere. *Maim. Tract.* קרבן פסח Cap. III. 1. 2. Hinc explica Matth. XXVI 17 - 19.

§. CXX. *Locus mactationis agni paschalis erat olim Tabernaculum* Deut. XVI. 2. *Postea Templum.* 2. Chron. XXXV. 8. 9. Recte itaque *Maimonides: Victima paschalis non alibi mactatur quem* בעזרה *in atrio, sicut reliqua sacra;* Imo strictiori Lege tenetur. Ut narrat tr. קרבן פסח Cap. I. 3.

§. CXXI. *Israelitis subsequente tempore admodum auctis probabiliter factum est, ut divisi atrium intrarent.* Omnes enim spatium capere non poterat. Et quidem divisi dicuntur in tres catervas. Caterva prima veniebat in atrium. Tum, si illud plenum, fores claudebantur, agni mactabantur, ac interea à Levitis recitabatur *Hallel* sive Psal. CXIII - CXIX. Cantu hoc absoluto repetebatur ille, vel etiam tertio iterabatur, si, quæ ibi cum agno paschali agenda erant, nondum perfecta. Ad unamquamque recitationem tubis clangores edebantur simplices, fracti ac rursum simplices. Omnibus his peractis caterva hæc exibat, & intrabat secunda, postea tertia. Cum vero caterva tertia exierat, atrium abluebatur. v. *Mischn. tr.* פסחים Cap. V. 5. *Et Maim. tr.* קרבן פסח Cap. I. 11. 12. 15.

§. CXXII.

§. CXXII. *Uti Israelitarum erat, victimas paschales mactare, sic Sacerdotum sanguinem excipere, effundereque.* Tr. Mischnicus פסחים Cap. V. v. 6. *Mactat Israelita & sanguinem excipit Sacerdos, qui illum dat socio; Hic rursum socio suo. Accipit pateram plenam & vacuam reddit. Ille vero Sacerdos, qui altari proximus astiterat, sanguinem una sparsione è regione Fundamenti effuderat.* Ut sciamus, quanta pompa hæc acta fuerint, narrat *Maimonides*, Sacerdotes in ordines multos dispositos fuisse, qui manibus pateras cuspidatas tenebant, quarum aliæ ex argento, aliæ ex auro erant. Qui pateras tenuerant argenteas, non confundebantur cum illis, qui aureas. *Tr. cit. Cap. I.* 13.

§. CXXIII. *Sacerdotum quoque erat victimam secando aperire, exta, quæ hoc in sacrificio caudam comprehenderant, extrahere, abluere, sale conspergere, ac in altare efferre, ut ibi adoleantur.* Tr. פסחים Cap. V. 10. & קרבן פסח Cap. I. 14.

§. CXXIV. *Rationem excoriationis tradit sæpius memoratus textus Mischnicus.* Cap. V. 9. in sequentem modum. Scil. erant uncini ferrei columnis & parietibus atrii infixi, à quibus agnos paschales suspenderant, eorumque pelles detraxerant. Si vero locus suspendendi nullus reliquus fuerat, inveniebantur illic bacilli minuti ac lævigati, qui ponebantur in duorum hominum humeris, ut ita agni hinc suspensi excoriari possent.

§. CXXV. *Maxima agni paschalis pars, quæ solis Israelitis, non vero Sacerdotibus* (quippe & horum erat, suos agnos sacros facere) *cesserat, ferebatur in urbem Hierosolymitanam, ut ibi bene parata comederetur.* Probe autem assata comedenda erat. Exod. XII. 8. 9. Ratio assationis ob ejus Mysterium digna est, ut recte consideretur, de qua *Mischn. tr.* פסחים Cap. VII. 1. *Quomodo assant Pascha? Afferunt lignum Malogranati* (ceu aptissimum, eo quod calefactum nullam protrudat aquam) *& infigunt illud per os usque ad posteriora agni.* Plenius *Maim. tr.* קרבן פסח Cap. VIII. 20. *Quæ erat assandi ratio? Adigebatur veru ligneum* (ferreum enim constitutionibus sapientum prohibitum erat) *per os & posteriora agni. Suspendebatur intra furnum ac ignis subjiciebatur. Crura & viscera extra victimam suspendebantur in fumo, non vero ponebantur intra illam.*

§. CXXVI. *Digna quoque sunt, quæ Justinus Martyr de modo assationis, ut Crucifixio Jesu Christi clarius constet, reliquit:* Τὸ ὀπτώμε-

νον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ Σταυροῦ ὀπτᾶται. Εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτων μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς. Καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus assus in figuram cruci similem conformatus ad ignem torretur.* Nam *veru unum ab intimis partibus ad caput usque adactum perfigitur; Et aliud rursus secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni. In Dial. cum Tryph. Judæo.* p. 259.

§. CXXVII. *Agnus rite assatus præcipuus convivii paschalis cibus;* Unde ultimo à convivis comestus erat, ut habeantur carne victimæ paschalis saturati. v. *Maim. tr.* קרבן פסח Cap. VIII. 3.

§. CXXVIII. *Id quod commode fieri poterat, nam præter carnem agni paschalis etiam alia caro sacra mensæ communiter apponebatur,* ut habet Tract. פסחים Cap. VI. 3. 4. *Quando adducitur cum Paschate* חגיגה *sacrificium Chagiga? Si illud incidit in diem profestum, cum puritate & paucitate. Sin autem incidit in diem sabbathi, cum multitudine & cum impuritate, non adducunt cum eo sacrificium Chagiga. Hoc* (ceu distinctum à victima paschali) *adducebatur ex pecore minuto & magno; Agnis & hircis; Masculis & fœminis. Comedebatur quoque per duos dies & noctem.* v. quoque *Maim. tr.* קרבן פסח C. X. 12. 13.

§. CXXIX. *At caro agni paschalis non poterat comedi, nisi illa ipsa nocte,* non interdiu, vel etiam nocte sequente. Legem habes Exod. XII. 8. quam corroborant Magistri tr. cit. Cap. VIII. §. 5.

§. CXXX. *Si quæ igitur carnis reliquiæ fuerant, igne comburendæ illæ erant.* Exod. XII. 10. Textus Mischn. tr. פסחים Cap. VIII. 10. *Ossa, nervi, reliquiæ comburuntur die decimo sexto,* non decimo quinto, qui Sabbathi jura habuerat. *Si vero dies decimus sextus inciderit in Sabbathum, comburuntur decimo septimo.*

§. CXXXI. *Convivæ soliciti requirebantur de parte victimæ, ne quæ aræ sacra aut Lege excepta, ab iis comederetur.* Hinc religiose iis abstinendum erat à cauda agni. Unde aliquando factum, ut Ethnicus sacris Judæorum se immiscens petendo caudam Paschatis cognitus atque vita punitus fuerit. tr. פסחים C. III. 2. Nervus luxatus, ut dicitur, extrahendus. Cartilagines teneræ ossium jura non

habuerant. Poterant itaque secari, frangi, comedi. v. פסחים Cap. VII. 11.

§. CXXXII. *At magna poscebatur ossium cura.* Nullum impune frangebatur. Exod. XII. 46. Num. IX. 12. *Mischn.* tr. cit. השובר את העצם בפסח הטהור הרי זה לקה ארבעים *Ille, qui os Paschatis puri fregerat, ictibus XL. verberabatur.* Cap. VII. 11.

§. CXXXIII. *Quando vero praeceptum de agno paschali ad certum diem adstrictum erat, inde constat, quod actiones tum Israelitarum tum Sacerdotum circa illum Sabbatho quoque permissae fuerint.*

§. CXXXIV. Judaeorum traditiones hic aliquod discrimen statuunt, ut constat è tr. פסחים Cap. VI. 1. *Quae sequuntur quoad Pascha, Sabbathum pellunt, scil. ejus mactatio, sanguinis sparsio; Extorum purgatio & incensio adipis. At agni assatio, interiorum ablutio Sabbathum non pellunt; Nec etiam impositio in humerum, adductio ejus extra terminum & verrucae abscissio*, ceu quae vel ante Sabbathum, vel post fieri poterant, vel non necessaria erant. Benignius judicat Rabbi Eliefer arbitrans, quod haec posteriora quoque Sabbatho permissa sint. l. c.

§. CXXXV. *Sequitur altera sacrificiorum divisio, quae ratione offerentium dispescuntur in illa, quae à toto coetu, & ea, quae a privatis offeruntur.* Exempla plurima in Lege Mosaica prostant.

§. CXXXVI. *Sacrificia pro toto coetu* קרבנות הצבור *dicta sunt vel simpliciter à Deo jussa & fixa vel non.*

§. CXXXVII. *Illorum undecim species ab Abarbanele recensentur.* 1.) *Jugia*, quae constabant è duobus agnis, tempore matutino & vespertino in Holocaustum offerendis. Num. XXVIII. 3. 4. 2.) *Sabbathica*, quae erant agni quatuor, duo juges, duo alii Sabbatho proprii. Num. XXVIII. 9. 10. 3.) *Noviluniorum communium*, quae numero tredecim, scil. duo agni juges, duo juvenci, aries unus, septem agni in holocausta, & hircus in sacrificium pro peccato. Num. XXVIII. 11. 15. 4.) *Festi Azymorum* spatio septem dierum agendi. Haec in universum erant victimae XCI. scil. singulis diebus duodecim holocausta, ut duo agni juges, duo quoque juvenci, aries unus, agni septem, hircus in sacrificium pro peccato. Num. XXVIII. 19. 24. 5.) *Diei XVI. in Festo Azymorum*, quo

quo primitiæ Messis Deo consecrabantur, quando agnus in holocaustum offerendus erat. Lev. XXIII. 12. 6.) *Festi septimanarum*, quæ numero, genere sacrificiorum & animalium conveniunt cum illis communium noviluniorum vide supra N. 3. nisi quod singulariter de hoc hirco dicatur לכפר *ad expiandum*, quum de reliquis lex dicat לחטאת v. Num. XXVIII. 27. 30. 7.) *Hujus* quoque *Festi* erant septem agni, juvencus, duo arietes in holocausta, hircus alius in sacrificium pro peccato, & duo agni in sacrificium Ἐιρηνικὸν, qui cum duobus agitationis panibus offerebantur. Lev. XXIII. 18. 19. 8.) *Novi anni* quo præter XIII. illa communibus noviluniis Deo sacra, insuper sacra facta sunt IX. holocausta, constantia ex uno juvenco, ariete uno, & septem agnis, & unum piaculare ex hirco. Num. XXIX. 2. 4. 6. 9.) *Diei Expiationis*, quæ erant numero quindecim, scil. duo jugia, juvencus, aries, septem agni, hircus in sacrificium pro peccato. v. Num. XXIX. 8. 11. Nec non aries in holocaustum & duo hirci, de quibus Lev. XVI. 5. 10.) *Festi Tabernaculorum*, quo per septiduum offerebantur CCIII. Sacra, nempe agni juges quatuordecim, juvenci septuaginta, arietes quatuordecim, agni nonaginta octo, quæ cuncta solida erant, & præterea septem hirci piaculares Num. XXIX. 13. 35. 11,) *Festi annexi*, *quod* עצרת *dicitur* Num. XXIX. 36. 38. quo sacrificanda erant holocausta XI. duo jugia, juvencus, aries, & septem agni, piaculare unum, quod hircus erat.

§. CXXXVIII. Ex hoc sacrificiorum publicorum Catalogo *primo* constat, singulis annis jubente Deo, mille, ducentas & nonaginta publicas victimas Deo oblatas fuisse, scil. juvencos 114. arietes 40. agnos 1103. hircos 33. *Secundo* ex his holocausta 1255. sacrificia pro peccato 33. & pacalia duo exstitisse. *Tertio*, omnia mascula esse debuisse. *Quarto*, sacrificia *pro reatu* nullum inter sacra publica locum habuisse.

§. CXXXIX. *Tenendum præterea de publicis his sacrificiis, quod Sabbathis æque ac communibus diebus offerenda fuerint. Quod iis nihil addi, nihil adimi potuerit. Quod porro sequens eorum ordo ex Sapientum arbitrio habendus fuerit.* Omnium primo offerebantur jugia; Tum, si Sabbathum inciderat, Sabbathica; Si ille ipse dies novilunium commune, postea offerenda erant hujus solennitatis sacra; Si vero novilunium tisri, ultimo addebantur propria hujus diei. Totus diei

cultus claudebatur jugi vespertino, vide *Maim. in Præf.* tr. זבחים. Et *Abarb. in Præf. in Lev.* Cap. III.

§. CXL. *Dantur & alia sacrificia publica*, quæ Magistri vocant *privatis similia, qualia sunt: Juvenci toti comburendi* pro re cœtus occulta Lev. IV. 13 - 22. *Ut & hirci piaculares toti comburendi.* Hæc vero sacrificia recte publica habentur, nam cœtus nomine Deo sacrantur Lev. IV. 13. Num. XV. 24. 25. 26. Quando vero Sabbabathum non depellunt, prioribus publicis dissimilia. Magistri arbitrantur, juvencum sacrum factum fuisse ob violationem quorumvis præceptorum ex ignorantia ortam; si illud ob idololatriam exceperis. At hircos piaculares ob consimilem transgressionem idololatriæ (unde vulgo audit *hircus idololatriæ*) quem dicunt totum quoque combustum fuisse vi Legum collatarum Lev. IV. 21. & Num. XV. 24. Quæ enim ratio juvenci piacularis publici comburendi, eadem hirci. v. *Maim. & Abarbanelem in Præf. cit.*

§. CXLI. *Publicis his succedunt privata longe plurima, quæ allegati Magistri in quinque dividunt classes.*

§. CXLII. *Ex his prima eorum, qui sacra debent vel ob factum, vel ob dictum injustum.* Scil. numerant Mischnici XXXVI. Scelera, quæ pœna כרת vel *excidii* constringunt (V. Tr. כריתות Cap. I. 1.) si illa studio patrata erant. Sin ex ignorantia, tenentur ad sacra piacularia & quidem ad *sacrificia pro peccato.* Si vero dubii hæserant, fecissent contra nec ne, ad *sacrificia pro reatu.* Quosdam tamen excipiunt casus. Vide illos tr. cit. Cap. I. 2. & apud memoratos Magistros.

§. CXLIII. *Altera eorum, qui sacra solvere tenentur ob rem, quæ corpora eorum spectabat.* Tales sunt 1.) Mares & fœminæ fluxu laborantes Lev. XV. 1 - 16. 2.) Leprosi, qui convaluerant Lev. XIV. 3.) Menstruatæ Lev. XV. 19 - 31. 4.) Puerperæ Lev. XII. 5.) Naziræi polluti Num. VI. 9. 10. 6.) Proselyti offerentis duos turtures aut duos pullos columbinos, & quidem ambos in holocaustum. Hujus quidem sacrificium Lege Mosis diserta non exstat, Sapientes vero jure consequentiarum id urgent.

§. CXLIV. *Tertia comprehendit illos, qui sacra solvunt ob bona;* Veluti animalium decimas ab offerentibus, & primogenita à Sacerdotibus comedenda, ut supra plenius dictum.

§. CXLV.

§. CXLV. *Quarta continet sacrificia offerentes ob certum sacrum tempus.* Huc referuntur sacra trium solennium festorum; Qualia sunt *holocausta* Deut. XVI. 16. *Chagiga*, Deut. XVI. 15. & *Pacifica lætitiæ.* Deut. XVI. 14. De quibus plura vide *in Tract. Mischnico* חגיגה Cap. I.

§. CXLVI. *Quinta agit de illis, qui seipsos vel voto vel promisso ad sacrificandum adstrinxerant.* Votum vel Nasiræi est, ut Num. VI. vel ad sacrificium in genere. Promissum vero ad sacrificium in specie, ut jam dictum.

§. CXLVII. *De his privatis sacrificiis tenendum, quod neque immunditiem, neque Sabbathum pellant*, hinc diebus communibus offerenda fuerint.

§. CXLVIII. *Magistri his privatis annumerant alia, quæ tamen* דומה לקרבן צבור *similia sacrificio publico habent;* Uti sunt victima paschalis Exod. XII. Juvencus Pontificis in sacrificium pro peccato, & aries in holocaustum Die Expiationis Lev. XVI. Hæc enim à privatis quidem offeruntur sed publicorum instar Sabbathum propellunt ac immundiciem.

§. CXLIX. *Sacrificia tandem sanctitatis gradu differunt.* Unde Moses quædam vocat קדש קדשים *sanctissima.* Lev. VI. 18. VII. 1. XIV. 13. Alia non item. Quare Magistri illa vocant קדשי קדשים *sanctissima;* At hæc קדשים קלים *sancta levia Mischn. tr.* זבחים. Cap. V. 1. 6. 7. 8. Illis *R. Obad. de Bartenora* annumerat *holocausta*, *sacrificia pro peccato & pro reatu* v. illum ad Cap. cit. §. 1. *Maimonides* insuper *pacalia cœtus* ad Cap. C. §. 6. His vero annumerantur *pacalia privata*, ut eucharisticum, aries Nasiræi, primogenita, decimæ, agni paschales. Cap. C. §. 6. 7. 8.

§. CL. *Illa ab his differunt loco mactationis, comestionis, comedentibus & jure corii;* v. c. cit. De quibus inferius plura.

§. CLI. *Idem textus Mischnicus* Cap. X. 2 - 6. *Sanctitatis gradus specialius* sequentem in modum recenset: Quidquid sanctius altero est præcedit quoque. Hinc præcedit sanguis sacrificii pro peccato sanguinem holocausti; Ille enim expiat Membra holocausti præcedunt אמורי חטאת *ablegamina sacrificiorum pro peccato;* nam illa tota

igne comburuntur. Sacrificia pro peccato antecedunt ſacrificia pro reatu; Quippe ſanguis illorum quatuor altaris carnibus imponitur, effunditurque ſuper fundamentum. Sacrificium pro reatu præcedit ſacrificium euchariſticum & arietem Naſiræi; Eſt enim ſanctiſſimum. Sacrificium euchariſticum ac aries Naſiræi præcedit pacalia; nam uno comeduntur die, & panem poſcunt. Pacalia præcedunt primogenita; Sunt enim obſtricta ad quatuor ſparſiones, impoſitionem manuum, libamina ac agitationem pectoris & armi. Primogenita decimas præcedunt; Etenim ſanctitas illorum ab utero incipit, atque à Sacerdotibus comeduntur. Decimæ antecedunt aves, quoniam ſunt ſacrificium mactandum; Ineſt quoque iis ſanctitas maxima; Sanguis ſcil. earum & exta. Aves præcedunt ferta; Habent enim ſanguinem. Fertum peccantis præcedit fertum voluntarium; Nam offertur pro peccato. Et denique ſacrificium pro peccato ex ave præcedit holocauſtum ex ave.

§. CLII. *Tandem ſacrificia à ſe invicem cauſis differunt. Offerenda alia erant ex præcepto Dei; Ex arbitrio hominum alia.* Quæ ex præcepto Dei offerenda, illa vel abſolute, certo tempore, quod ordinaverat, vel ſecundum quid, peccato ſive à cœtu ſive à privatis patrato. Quæ ab arbitrio hominum dependebant, ſacra fiebant vel ob beneficia accepta, vel ob votum, vel ob ſpontaneitatem animi extra obligationem per votum. Exempla illuſtrantia ex antecedentibus peti poſſunt.

§. CLIII. *Sacrificiorum ſpeciebus recenſitis, recenſendæ ſunt hominum, tum Laicorum, tum Sacerdotum circa illa actiones & functiones.* Poſteriores ſunt veluti ſanguinem excipere, ferre, ſpargere, ligna in altare efferre, diſponere, accendere. Alia quævis laica ſunt, ſive à laicis quoque νομίμως aguntur. De his primo

§. CLIV. *Incipimus ab emtione victimarum, qua animalia communia ſacra ſiunt.* Æquum omnino eſt, ut ſacrificia, cujus nomine Deo ſacra fiunt, ejus ſumtibus emantur. Quare publica nonniſi publicis ſumtibus acquirenda erant. Privatus dives, licet pro cœtu ſolvere voluiſſet, ſolvendi copiam non habuerat. Et quidem קרבנות צבור *ſacrificia publica* emebantur ex ſiclis illis, qui ſingulis annis ab Iſraelitis, pauperrimis licet, collecti, & על עבדת אהל *in Miniſterium tentorii* impendendi erant. Exod. XXX. 12 - 17. Vide plura *apud Maim.*

Maim. tr. de ficlis Cap. I. II. & IV. Cito nonnisi è *Mischna tr.* שקלים Cap. IV. 1. *Ad quid cedit* התרומה *oblatio illa hemisiclorum? Emunt illis sacrificia jugia, addititia & libamina eorum, omer, duos panes, panes quoque propositionis* וכל קרבנות הצבור *& omnia sacrificia cœtus, ut & custodes plantarum sponte provenientium anno septimo.* At sacra privata ære privatorum emenda erant. Unde beneficium paupertatis circa sacra, ut Magistri vocant, *ascendentia & descendentia*, qualia sex in sacris memorata tradunt. v. Lev. V. 7. 11. ortum habet. *Vide Maim. de noxiis imprudenter admissis.* Cap. X. 1.

§. CLV. *Quæritur hac occasione, an nunquam privatus pro privato sacrificiorum sumtus solvere potuerit?* Certis in casibus affirmandum videtur. Si qui enim sub aliorum potestate erant, ac obligati ad sacrificia Lege definita offerenda, nec, quod propriis sumtibus offerrent, habuerant, tum superiores credibiliter sumtus expenderant. *Maim. tr.* שגגות Cap. X. 6 hinc habet: *Omne sacrum, ad quod uxor adstricta, pro ea maritus exsolvit. Is, cum esset pauper, solverat pauperis; Si vero dives, divitis sacrificium. Porro quisque offert pro filio & filia sua, pro servo & ancilla sua, atque etiam convivandi facultatem dat.* Vide quoque *Not.* 3. *ad Goodw. l. I.* VIII. unde lux affunditur Act. XXI. 24. 26.

§. CLVI. *Porro alia formatur quæstio: An liceat præter agnum paschalem alias quoque victimas nomine societatis Deo sacrificare?* Resp. Non licet quoad sacrificia pro peccato & pro reatu vel quæ vi Legis à singulis offerenda. Licet tamen quoad holocausta & pacalia. Unde *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. III. 1. שנים שרצו להביא שלמים או עולה בשותפות מביאין בין בנדר בין בנדבות ואפילו עוף יביא בשותפות: *Si duo in societate pacalia aut holocausta offerre volent, valent sive ob votum sive ob sponsionem. Imo licet in societate aves quoque sacrificare.* vid. quoque §. 9.

§. CLVII. *Quæ vero emebantur sacrificia, integra poscebantur.* v. Supra §. 30-34. Quare prius exploranda erant. De loco explorationis lex Mosaica nihil statuit. Subsequente tempore exploratio facta videtur, priusquam in atrium ad vendendum intromissa; sicuti elucet ex historia de Bava Ben Buta, quam *Lightfootus* profert illustraturus locum Matth. XXI. 12. *Mischna tr.* תמיד Cap. III. §. 3.

III. §. 3. meminit duplicis explorationis jugium, tum ante diem mactationis, tum die mactationis mane ad lucem candelarum. Potuisset enim interea temporis vitium in victima oriri. Huic usui inservierat *conclave agnorum oblationis* in loco focario ad occasum meridionalem tr. מדות Cap. I. 6. De exploratione victimarum vide plura *in Dissert. de victimarum integritate.* §. 57. 58.

§. CLVIII. Victima integra ab offerente ducebatur לפני י"י *in conspectum Jehovæ* Lev. III. 1. אל פתח אהל מועד *ad ostium tentorii conventus.* Cap. I. 3. *ad ostium tentorii conventus in conspectum Jehovæ.* Cap. IV. 4. ubi altare exterius positum erat. Adeoque stante Tabernaculo in atrium, Templo vero in atrium Sacerdotum. Contrarium gravissime prohibitum legitur Lev. XVII. 3-6.

§. CLIX. Hæc actio conveniens ac necessaria erat. Israelita Deum suum honoraturus donum, quod ei offert, ipse facie ad eum conversa, in conspectum adducit, atque ita orat, ut acceptum sit. *Maimonides tr.* כלי המקדש Cap. VI. 1. *Fieri nequit, ut quis sacrificium suum offerat* והוא אינו עומד על גביו *quin illi intersit. Quando vero sacrificia publica totius Israelis erant, nec tamen fieri poterat, ut omnes Israelitæ iis tempore oblationis in atrio assisterent, ideo Prophetæ priores statuerant, ut ex Israele seligerentur viri legitimi, quique Deum timuerant, essentque legati totius Israelis, dicti* אנשי מעמד *viri stationarii. Conf. Dissert. meam de viris stationariis.* Singularem lucem hinc accipit monitum Pauli παραςῆσαι τὰ Σώματα Θυσίαν ζῶσαν &c. Rom. XII. 1.

§. CLX. *Mischna tr.* מדות Cap. I. 4. 5. notat, Templo II. stante ad plagam atrii septentrionalem extitisse portam oblationis, qua sacrificia sanctissima ad aram adducta, at ad plagam meridionalem portam primogenitorum, pro horum introductione.

§. CLXI. Adducentis quoque erat שם *nomen* sacrificii, num holocaustum, sacrificium pro peccato, pro reatu &c. sit, Sacerdotibus significare. Id quod Sacerdotes omnino scire debebant. Pro varietate enim sacrificii variabant sacerdotales functiones.

§. CLXII. Unde secundum *Mischnam tr.* זבחים Cap. I. 1. & *Interpretes* sacrificium proprio suo nomine non mactatum offerentium debitum non exsolvit, vel etiam prorsus illegitimum habetur. Exempla dant circa agnos paschales & sacrificia pro peccato.

§. CLXIII.

§. CLXIII. *Victima in conspectum Jehovæ adducta aliquando viva agitabatur*, quæ distinguenda ab agitatione membrorum & fertorum. Illius usus in sacrificio cœtus publico, duobus scil. agnis pentecostalibus Lev. XXIII. 20. Nec non sacrificio pro reatu in purificatione leprosi. Lev. XIV. 12.

§. CLXIV. Modus agitationis in Mose non describitur. Vox תנופה, הניף dicitur de serra, quæ huc illuc duci solet. De pluvia quoque, quæ ex cœlo in terram descendit. Rabbini explicant de agitatione versus quatuor mundi plagas, ut & versus cœlum & terram, v. Not. 3. ad *Goodwin. Lib. III. C. V.* Hoc agitationis ritu credibiliter significatum, sacrificium illi, qui omnia, cœlum & terram, implet, donari. Præterea Magistri notant, victimam, quæ manibus Domini, leprosi veluti, imposita erat, Sacerdotis manibus, quas illis supposuerat, modo dicto agitatam fuisse.

§. CLXV. *Communiter tamen nulla obtinebat vivorum animalium agitatio.* Mox post adductionem in conspectum Domini, manus victimis imponebantur. Lev. I. 3. 4. unde ritus סמיכת ידים *impositio manuum* audit.

§. CLXVI. *Ritus hic juxta literam Mosis observandus erat* circa singulorum holocausta. Lev. I. 4. Pacalia Lev. III. 2. Sacrificia pro peccato. Lev. IV. 4. quæ privata erant. Observabatur dein circa hircum emissarium. Lev. XVI. 21. ac juvencum pro ignorantia cœtus immolatum. Lev. IV. 13. 15. Præterea 2. Chron. XXIX. 23. legimus, manus hircis piacularibus publicis impositas fuisse, non tamen aliis publicis, quæ hoc ipso tempore immolata erant.

§. CLXVII. *His, quæ Moses habet, addo, quæ à Patribus accepta tradit* R. Moses Ben Maimon. tr. מעשה הקרבנות Cap. III. 6 - 14. Et quidem refert *Primo*, privatos cunctis sacrificiis sive debitis sive voluntariis imposuisse manus. Excipit nonnisi animalia primogenita, decimata, agnos paschales & volucres. *Secundo*, manus imposuisse omnes, si exceperis surdos, mente captos, natu minores, servos, mulieres, cœcos & alienigenas. *Tertio*, ritum hunc per procuratorem fieri haud potuisse. Sacrificiorum Dominos proprias imposuisse manus. Si vero victimæ Socii erant, tum unus post alium imposuerat. Hæredi tamen licentia datur imponendi, si quis è vita

 discef-

discessisset' & sacrificium reliquisset. *Quarto*, sacrificia publica à χειροθεσίᾳ exemta esse, exceptis hirco emissario & juvenco, de quibus §. anteced. *Quinto*, locum ejus ordinarium fuisse atrium. *Sexto*, imponentis manus bene lotas ex lege requiri. *Septimo*, manum utramque pro viribus soli capiti imponendam fuisse, atque ita, ut manum imponentis & caput victimæ nihil intercedere debuerit. *Ultimo*, sequentem in modum χειροθεσίαν obtinuisse scil: Si hostia fuisset sanctior, sistebatur ad septentrionem, ita ut ad Occidentem spectaret, & qui manus imponebat, consistebat in Oriente, sic, ut Occidentem respiceret, positisque inter hostiæ cornua manibus peccata confitebatur, nempe super hostia pro peccato peccata, & super hostia pro delicto delicta; super holocausto confitebatur violata præcepta jubentia, item & violata præcepta vetantia, quæ in jubentia dissolvuntur.

§. CLXVIII. Παραδόσεις, *quas hic Magister recenset, satis commode se habent.* Lex Mosaica, quantum scio, contrarium non asserit. Fluunt vel ex vi Legis, aut paritate, vel rei decentia. Maxima difficultas quoad Obs. 4. Quando enim Lev. IV. 15. Seniores sacrificio piaculari publico cœtus nomine manus imponere debebant, par videtur ratio χειροθεσίας in consimilibus sacrificiis. Quæ ratio tanto firmior est, eo quod 2. Chron. XXIX. 23. ita factum legimus. Fatendum tamen, quod Moses disertam manus imponendi legem circa alia sacrificia piacularia publica, quæ passim ab eo recensentur, non tulerit.

§. CLXIX. *Quum χειροθεσία, in se considerata, ritus mere corporeus adeoque neque sapiente dignus, neque Deo spiritui gratus sit, patet, quod instituta illa sit ad aliud quid significandum. Quare recte addita creditur confessio, scopum offerentis enarrans.* Verum quidem, quod Moses, quando manuum imponendarum meminit, rarissime confessionis dicendæ mentionem faciat. Semel tantum Lev. XVI. 21. ejus meminit. Poscit tamen rei natura; gratiam divinam imploraturus, laudaturus, omnino eam verbis quoque exprimet. Dein Lev. V. 5. *Fiet, quando reus factus fuerit unius ex illis* והתודה *tum confitebitur id, quod peccavit, & adducet sacrificium pro reatu Deo, propter peccatum, quod patravit.* Porro ex Deut. XXVI. scimus, confessiones editas fuisse, quando primitiæ Deo sacræ fiebant; Quare non etiam à sacrificantibus?

§. CLXX. *Has pro confessione rationes Magistri probant, memorantes, eam penes offerentes ac manus imponentes in usu fuisse.* Celebriores sunt tres dici solitæ solenni expiationum die. Harum prima exstat tr. יומא Cap. III. 8. *Pontifex juvenco manus imponens sic confessus erat, dixeratque: Obsecro, Domine, deliqui, rebellis fui & peccavi coram te, ego & domus mea. Obsecro, Domine, remitte nunc & delicta & rebelliones & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quod peccavi coram te, ego & domus mea, juxta quod scriptum est in Lege Mosis servi tui:* Quoniam die hac expiabit &c. *Tum populus ac Sacerdotes respondebant: Benedictum sit nomen gloriosum regni ejus in secula seculorum.* Altera tr. cit. Cap. IV. 2. quam *vide in Not. 5. ad Goodw. Lib. III. Cap. VIII.* Tertia tr. cit. Cap. VI. 2. quam *Goodwinus* reliquit Lib. III. Cap. VIII. §. 6. Quæ triplex confessio aliquo modo conferri potest cum tribus precationis pontificialis partibus Joh. XVII. Aliam habet & communiorem Formulam *Maimonides* tr. מעשה הקרבנות Cap. III. f. כיצד מתודה אומר חטאתי עויתי פשעתי ועשיתי כך וכך וחזרתי בתשובה לפניך וזה כפרתי׃ *Quomodo confessio facta? Dixerat confitens: Ego peccavi, perverse egi, defeci, sic & sic feci.* (ubi confessor peccata speciatim recenset) *At nunc pœnitentiam ago. Sit* (victima hæc) *Expiatio mea.* Hæc formula tum recte dicebatur, quando causa sacrificii peccatum; Non item, si grates dicendæ pro impetrato beneficio, liberatione ex malo. Tum, ut idem Magister cum judicio judicat, dicebantur דברי שבח Αἰνέσεις. *l. cit.* Nollem tamen dicere, formulas ita præscriptas fuisse, ut illæ verbotenus recitandæ fuerint. Deus sine dubio libertatem confitentibus reliquit. Formulæ inexercitatis serviverant. *Alia vide, quæ Outramus scripsit de sacrificiis.* Lib. I. Cap. XV. §. 9 - 12.

§. CLXXI. *Confessio hæc tanto magis notanda est, eo quod pluribus lucem affundat*; 1.) Confitens se ob peccata sua mortis reum declarabat, expetebatque, ut victima vicaria haberetur. Fidelis autem respexerat ad veram כפרה, Jesum Christum ἱλασμὸν pro peccatis nostris. 1. Joh. II. 2. 2.) Confessionem, ceu animam offerentium, desideraverat Deus Psal. L. 14. 23. obtulerat fidelis Psal. LXVI. 17. Hebr. XII. 15. 3.) Huc respiciunt alii confitentes, veluti Dan. IX. 5. 4.) Illustrari quoque hinc possunt loca Jos. V. 11. 19. Deut. XIX. 10. 2. Sam. I. 16. Matth. XXVII. 25. Lev. XX. 9. 12. Act. XVIII. 6.

§. CLXXII. *Confessionem proxime excipit* שחיטה *mactatio.* Nam, ut Jalkuth habet תכף לסמיכה שחיטה. *More solito primo de hac functione, quæ sacra Scriptura reliquit, memorabimus.* De holocaustis legimus, quod mactanda fuerint *coram facie Jehovæ.* Lev. I. 5. *Ad latus aræ aquilonare in conspectu Jehovæ.* v. II. Ibidem sacrificium pro peccato Lev. IV. 24. 29. 33. ibidem quoque sacrificium pro reatu. Cap. VII. 2. mactandum. At de pacalibus hæc non legimus. Lev. III. 2. 8. 13. nec de paschalibus Deut. XVI. 2. Quod vero attinet illos, qui victimas mactarunt, jam pontificis Lev. XVI. 11. 15. IV. 4. jam Sacerdotum 2. Chron. XXIX. 24. jam Levitarum 2. Chron XXX. 17. jam quoque Israelitarum Lev. I. 3. 4. 5. 10. 11. III 1 2. mactantium sacræ literæ meminerunt. Hinc liquet, quod vi legis mactatio functio sacerdotalis non fuerit.

§. CLXXIII. *Secundo proferenda sunt, quæ Traditiones Judæorum de hac functione continent.* Et quidem quod locum mactationis attinet, commode tradunt, victimas sanctiores ad latus aræ aquilonare jugulatas fuisse, v. tr. זבחים Cap. V. 1. Præter species, quas supra ex Lege sic mactandas probavi, *Maimonides* etiam recenset pacalia publica tr. *de ratione sacrificiorum faciundorum* Cap. V. 3. Sed quod concernit sacra leviora, ut pacalia in genere, sacrificia eucharistica & arietem Nasiræi in specie, ut & primogenita, decimas & agnos paschales, illorum mactatio legitima habebatur בכל מקום בעזרה *in omni atrii* (Sacerdotum) *loco*, v. tr. זבחים Cap. V. 6. 7. 8. Neque enim lex divina contrarium jubet.

§. CLXXIV. *Quod vero jus mactandi attinet, illud recte commune habent Magistri.* Sacerdotes quidem mactare poterant & ordinario jugia mactabant, tr. יומא Cap. II. 3. at non exclusis Israelitis mactandi peritis. Imo mactationem minori habent loco, quam χειροθεσίαν. Unde tr. זבחים Cap. III. 1. *Mactatio recta habetur per peregrinos, mulieres, servos atque impuros, etiam quoad sanctiora; Modo immundi carnem non tetigerint.* Quoad impuros, qui atrium intrandi copiam non habuerant, *Obad. de Bartenora* ad l c. observat, illos de industria mactandi licentiam non habere. Si vero stantes extra atrium manu prætensa & cultro longiori victimam in atrio immolassent, habebantur hæc nihilominus recta. Excipiunt nonnisi *surdos, stultos & minorennes* tr. חולין Cap. I. 1. ceu qui incapaces informationis ad recte mactandum.

§. CLXXV.

§. CLXXV. *Mactatio autem sequentem ad modum agebatur.* Studio culter sacer (communis tamen jugulationem inidoneam non constituebat) sumendus erat. Mactaturus manu prehenderat pecudis signa, sive asperam arteriam & Oesophagum, quæ signa simul cum venis versus pateram suppositam protrahebantur. Tum signa illa resecabantur, vel prorsus, aut amborum pars major, ut exciperetur vase supposito sanguis omnis. Culter autem jugulationis sursum extollebatur, ne sanguis ex illo destillaret, sed ex gutture ipso deflueret. Qui in cultro sanguis inerat, abstergebatur in ora pateræ. Vide *Maim.* tr. מעשה הקרבנות Cap. IV. 8. Lanio sacer sibi cavere debebat à mora, pressione, occultatione, aberratione, eradicatione v. *Maim. in Misch.* tr. חולין Cap. I. 1. quæ exposuit *Relandus Antiq.* Lib. III. Cap. I. §. 19.

§. CLXXVI. *Ut vero mactatio commodior esset, sub Templo secundo ad septentrionem altaris sex erant annulorum ordines, quorum singuli quatuor continebant.* Facti hi à Jochanane Pontifice dicuntur ad formam arcus. Una eorum extremitas pavimento infixa, altera vero mobilis erat, ut pecorum colla submitti ac firmiter teneri possent. *v. tr. Mischn.* מרות Cap. III. 5. *cum Glossa Bartenoriana.*

§. CLXXVII. *Loco mactationis, quæ cultro facta, circa aves obtinebat* מליקה *unguesectio*, ut Hebræi constanter tradunt Lev. I. 15. Non quidem omnes interpretes circa notionem vocis conveniunt. Quare vero hic in re obscura Judæi deferendi sint, non video. Unguis expressa quidem non fit mentio, sed nec cultri. In eo quoque differt unguesectio à mactatione, quod illa Sacerdotibus propria fuerit.

§. CLXXVIII. *Modus vero aves unguesecandi functio habetur perdifficilis.* Dabo illum ex *Maimonide*, qui tr. מעשה הקרבנות Cap. VI. f. de ave holocausti agens ita scribit: *Quomodo secabant ungue? Scindebat* (Sacerdos avem.) *& descendebat è regione cervicis. Quod si evellerentur signa* (Oesophagus scil. & aspera arteria) *non curabat. Secabat spinam dorsi & cervicem haud cum multa carne; nam si multam carnem rescinderet ecce erat quasi mortua avis, antequam ad signa illa perveniret. Necesse vero erat, ut resecaret duo illa signa in holocausto, quando ille descendebat. Qui secabat cultro aut à lateribus* (colli) *non dicebatur* מליקה *sed quasi strangulasset, aut si per nares dissecuisset. Tota cer-*

 vix

vix ad secandum idonea erat. Idem in *Mischnam tr.* זבחים Cap. VI. 4. ubi de sacrificio pro peccato ex ave loquitur, sic scribit: *Ita ungue secabatur avis sacrificii pro peccato, ut Sacerdos teneret pedes duobus digitis manus sinistræ, & alas ejus inter duos digitos alterius, & avis jaceret super manum (exterius) non quasi intra volam. Trahebat collum ejus super pollicem ad mensuram latitudinis duorum digitorum, & ungue secabat è regione cervicis. Vide supra* §. 58 - 63. ut & 78. 79. Vide quoque *Dissert. Dassovii de ave unguesecta.*

§. CLXXIX. *Proxima post quadrupedis mactationem functio laica* הפשטה *sive excoriatio est.* Lev. I. 6. Sacerdotes quidem etiam victimarum pelles detrahebant 2. Chron. XXIX. 34. non tamen soli. *Maimonides* recte excoriationem ad זרים, qui *Sacerdotes non sunt*, extendit, tr. ביאת המקדש Cap. IX. 6.

§. CLXXX. *Ut pelles facilius detrahi possent, sub Templo secundo in atrio Sacerdotum, ejusque parte, quæ mactantibus inserviverat, ad plagam altaris aquilonarem, octo humiles columnæ, quibus ligna cedrina quadrata imposita, sitæ erant.* His vero unci ferrei ita infixi, ut ligna tres eorum ordines ad variæ magnitudinis pecora excorianda habuerint שבהם תולין ומפשיטין *à quibus sacrificia suspendebant, ac pelle nudabant.* Tr. מדות Cap. III. 5. Suspendebant autem à pedibus posterioribus hunc in finem perforatis. v. tr. תמיד Cap. IV. 2.

§. CLXXXI. *Functio hæc uti sanguinis sparsionem sequebatur, sic dissectionem antecedebat.* Lev. I. 5. 6. cum quo *Maimonides* convenit tr. מעשה הקרבנות Cap. V. 18.

§. CLXXXII. *Jus in pelles victimarum non erat idem.* Pelles *holocaustorum* Sacerdotibus cedebant, ut clare legimus Lev. VII. 8. Juxta Sapientes etiam *sacrificiorum pro peccato & pro reatu*, *Maim. tr.* מעשה הקרבנות Cap. V. 19. *Pelles victimarum sanctiorum seu publicarum seu privatarum Sacerdotum erant.* Juris rationem hanc dant Mischnici: *Si Sacerdotes in holocausto, in cujus carne nihil juris habent, cutem tamen sibi acquirunt*, scil. ob Lev. VII. 8. *æquum omnino est, ut* (reliquorum sanctiorum, pro peccato & pro reatu) *cutes nanciscantur, ceu de quorum carne participant.* Quando vero de pellibus sacrificiorum minus sanctorum lex divina in gratiam Sacerdotum nihil definit, iidem dicunt: עורות קדשים קלים לבעלים *pelles sacrificio-*

rum

rium leviorum offerentium ſunt, *tr.* זבחים Cap. XII. 3. Aliquando pelles igne comburendæ mandantur, v. Lev. VIII. 17. XVI. 27.

§. CLXXXIII. *Hæc ex Magiſtris illuſtraturi præterea addimus, pelles diviſas fuiſſe Sacerdotes inter, quorum erat, iſta ſeptimana, qua victimæ nudatæ erant, in Templo ſervire. Tum pelles holocauſtorum, quæ Templo reficiendo conſecrabantur, ut & ex bonis, quæ Deo dedicata, ærario ceſſiſſe. Inſuper illarum victimarum, quæ ante excoriationem ceu profana agnita fuere. v. Maim. tr. & c.* cit. §. 19. 20. 21.

§. CLXXXIV. *Sequitur diſſectio*, quam quoque, præeunte Moſe, cum Magiſtris functionem communem agnoſcimus, Lev. I. 6. Maim. tr. ביאת המקדש Cap. IX. 6.

§. CLXXXV. Quæ fuerit ſecandi ratio, conſtat exemplo agni jugis, ut illud memoratur tr. תמיד Cap. IV. 2. Qui excoriando pervenerat usque ad pectus, caput amputaverat. Tum præciderat crura, aut potius, ut Arnoldus recte obſervat, partes pedum anteriorum extimas. Porro tota pelle detracta laceraverat cor, eduxeratque ſanguinem. Poſtea pedes anteriores: Tum pedem poſteriorem dextrum una cum teſticulis abſtulerat. Inſuper laceratione, qua כולו גלוי *cuncta erant nuda* coram ſectore peracta, adipem ſumſerat, texeratque eam capitis partem, qua ſacrificium jugulatum erat: Præterea exemerat inteſtina: Poſtea cultro pulmonem ab hepate atque etiam reticulum hujus ſeparaverat, non tamen hepar è loco ſuo removerat. Etiam amputaverat pectus. Exhinc aſcenderat ad latus dextrum, quod amputaverat, deſcenderatque ita ad ſpinam dorſi, ut eam non tetigerit, donec ad duas coſtas molles pervenerat. Ex quo ſecuerat cum hepate dependente. Inde guttur una cum duabus coſtis ab utroque latere relictis, aſpera arteria, corde & pulmone inde pendentibus abſciderat: Petierat poſtea latus ſiniſtrum, cui conjunctæ relinquebantur coſtæ molles duæ ſupra & infra. Totidem relinquebantur ex oppoſito latere, quæ cum ſpina dorſi & liene dependente amputabantur. Denique præciderat extremam ſpinam dorſi, cum qua conjuncta erat cauda, & reticulum hepatis nec non duo renes. Ultimo pedem victimæ poſteriorem ſiniſtrum abſtulerat. Qua ratione agnus in membra ſua ordine diſſecabatur.

§. CLXXXVI.

§. CLXXXVI. Ex hac secandi ratione patet, victimarum intima sectoribus ita fuisse aperta, ut, si quod vitium intus erat, eos latere non potuerit. Hinc illustratur Pontificis Jesu Christi exactissima, qua intimos cordium nostrorum recessus perspectos habet, notitia, sub hac sectionis figura & usu repræsentata Hebr. IV. 12. 13. 14. Illustratur insuper phrasis ὀρθοτομεῖν 2. Tim. II. 15.

§. CLXXXVII. *Dissectionem excipit lotio illarum partium, quæ ea indigebant.* Hæc itidem Sacerdotibus & Israelitis communis functio erat. Lev. I. 9. vide supra §. 48.

§. CLXXXVIII. *Uti sacrificia variabant, sic jus in carnem*, sicuti ex supra dictis jam liquet. *Quod holocaustorum attinet, ferenda illa tota erat in altare, ut igne consumeretur* (hic quoque comburebantur, quæ Deo ex aliis sacrificiorum generibus cesserant, de quibus supra). *Quando vero altare solis Sacerdotibus aditum concesserat, delatio functio sacerdotalis recte habetur.* Hæc vero delatio ad aram concinne fieri debebat; Quandoquidem autem victimæ magnitudine diversæ esse solebant, hinc ferentium numerus diversus poscebatur.

§. CLXXXIX. Hæc, ut alia, subsequente tempore legibus circumscripta erant. Unde *Maimonides* tr. מעשה הקרבנות Cap. VI. §. 10 - 19. notat, holocaustum minoris pecudis ope sex Sacerdotum (quibus duo alii addebantur, quorum ille similam, hic vinum ferebat) latum fuisse. Si vero holocaustum aries erat, ferebatur per undecim. Sin bos, per viginti quatuor. Scil. Primus ferebat caput: Secundus & tertius dextrum è pedibus posterioribus: Quartus & quintus partem spinæ dorsi inferiorem: Sextus & septimus sinistrum è pedibus posterioribus: Octavus pectus: Nonus decimus & undecimus guttur: Duodecimus & decimus tertius duos pedes anteriores: Decimus quartus & quintus duo latera: At intestina, simila & vinum, unumquodque per tres ferebantur.

§. CXC. *Nonnihil differt modus ferendi agnum jugem.* Mane tulerant novem. In festo tabernaculorum decem. Unus quippe situlam aquæ manu tenuerat. Sub vespera tulerant undecim. Duo præterea erant duo lignorum segmenta ferentes. Die Sabbathi quoque erant undecim. Duo alii aderant manibus tenentes duas acerras thuris apponendas panibus propositionis. Si Sabbathum in

festum

festum tabernaculorum inciderat, attulerant duodecim. Duodecimus poscebatur ob situlam aquæ, de qua supra. v. tr. יומא Cap. II. 5. & תמיד Cap. IV. 3.

§. CXCI. *Traditionibus & hoc annumerandum, quod, qui memoratas partes attulerant, non statim illas igni imposuerint.* Quantum ex תמיד l. c. & plenius ex tr. שקלים Cap. VIII. 8. Partes sacrificii jugis infra dimidium clivi occasum versus, sed additii versus ortum; at noviluniorum supra ambitum altaris in parte ejus inferiore, deposuerant. Tum Sacerdotes Conclave Gasith ingressi erant, lecturi sectionem, quæ incipit שמע ישראל Deut. VI. 4.

§. CXCII. *Hac occasione etiam verbum de salitione dicendum est.* Tum enim holocausta saliebantur, quando in clivum portata erant. Ut homines cibo nonnisi sale condito vesci solent, ita cibus Dei sale condiendus erat. Lex clare exstat Lev. II. 13.

§. CXCIII. Si Magistros audimus, plurimum sal adhibebatur sodomiticus, à salsedine commendatus, publicis sumtibus emtus. Sali asservando peculiare erat conclave destinatum, dictum לשכת המלח in atrii parte septentrionali. v. tr. מדות Cap. V. 2. At locus, quo membra holocaustorum saliebantur, erat altaris clivus. Tr. תמיד Cap. IV. 3. Modus vero describitur in *Jalkut* f. CXXI. 2. *Quomodo salit? Affert membrum ac inspergit illi Salem. Tum vertit illud, & denuo inspergit, atque sic offert.* Locus satis clare docet, nonnisi penes Sacerdotes fuisse, sacra sale condire.

§. CXCIV. Tandem finita illa lectione, holocaustorum caro sale consperfa in aram efferebatur, ut ibi igne consumeretur.

§. CXCV. *Quæ fuerit ignis ac lignorum altaris juxta Legem Mosis ratio, sequentia docent.* Lev. VI. 5. 6. *Et quod attinet ignem illum super ara, ardebit in illa, non extinguetur. Et accendat super illa Sacerdos ligna singulis mane & disponet super illa ligna, & adolebit super illa adipes pacalium. Ignis perpetuus ardebit super illa, nec unquam extinguetur.* Et supra v. 2. *Hæc est lex holocausti: Ascendet super foco in altari tota nocte usque ad mane, & ignis altaris ardebit in illo.* Nec non Cap. I. 7. *Dabunt Filii Aharon Sacerdotis ignem super ara, & disponent ligna super igne.* Adde quod legimus Cap. IX. 24. *Prodiit ignis è facie Jehovæ, qui comedit holocaustum & adipem.*

 §. CXCVI.

§. CXCVI. Hæc illuſtraturi notamus: Primo; Curam ignis ſacerdotalem; Dein primum quod offerebatur in Tabernaculo ſacrificium, igne cœleſti accenſum fuiſſe. Attamen ſubſequente tempore ignem הדיוט, ut Magiſtri vocant, ſive *communem* ex lignis combuſtis alendum fuiſſe. Porro Sacerdotes ſolicite attendere debuiſſe, ne unquam ignis in ara extingueretur, quin jugiter arderet. Præterea hunc in finem ligna in aram portanda ac rite diſponenda fuiſſe, ut caro ei ſacra conſumeretur.

§. CXCVII. Specialiora ſunt, quæ Traditiones continent. Scil. Ligna, quorum in ara uſus, ſelectiſſima poſci. Quem in finem in mulierum atrio ſitum erat *lignorum conclave*, ubi Sacerdotes ad altare ob vitia corporis inidonei ligna perquirebant, carioſa ac etiam demolitionis ſeponebant, nova tantum, eaque oleoſa, ut ramos nucum, ficuum recentiorum, ita deſtinabant, ut tamen illa, quæ cultui terræ Iſraëliticæ damnum intuliſſent, non adhibuerint *v. Maim. tr.* אסורי המזבח Cap. VI. 2. VII. 3. & tr. בית הבחירה Cap. VIII. 8.

§. CXCVIII. *Ex memorato Conclavi ligna ad aram transferenda erant.* Hæc vero translatio fieri quoque poterat per homines à Sacerdotio alienos, non quod hi ipſam aram conſcendendi licentiam habuerint ſed ligna usque ad aram nonniſi attulerant. *Maimonide* recenſente mane diſponebantur ligna, atque in altari ſummo exſtruebatur rogus ingens. Cum ſacrificio jugi matutino apportabantur duo ligni ſegmenta. Totidem cum jugi veſpertino. Horum lignorum in ara diſpoſitio à Sacerdote tantum agebatur. v. tr. תמידין Cap. II. 2. 3. & tr. ביאת המקדש Cap. IX. 5. 6.

§. CXCIX. Eodem Magiſtro memorante, *tres ſingulis diebus rogi in ara exſtruebantur.* Unus ingens ad adolendum ſacrificia jugia, aliaque. Alter in uſum ſuffimenti. Tertius ad nullum erat uſum. Ita nonniſi obſervandum erat illud præceptum de igne perpetuo alendo. tr. תמידין Cap. II. 5.

§. CC. *Solicite abſtinendum erat ſub pœna verberationis ab ignis aræ, carbonis quoque deſumti, extinctione.* Quo credibiliter alludit Paulus 1. Thes. V. 19. A qua ſeveritate eximunt Magiſtri alias ignis extinctiones vel in ara factas v. tr. c. & c. cit. §. 6.

§. CCI.

§. CCI. *Quum tantus ignis in ara usus fuerit, inde naturaliter sequitur, cinerem magna copia ibi repertum fuisse. Quare de juribus cineris tum juxta Legem divinam, tum constitutiones ecclesiasticas, aliquid dicendum.* Lex divina de cinere sacro hæc habet. Lev. VI. 3. *Tum induet Sacerdos amictum suum lini & femoralia lini induet super carnem suam, tolletque cinerem, quem combussit ignis holocaustum super altari ac ponet eum juxta altare. Postea exuet vestes suas, induetque vestes alias ac educet cinerem foras extra castra in locum mundum. Cap. I. 16. projiciet juxta altare versus ortum ad locum cineris.* De juvenco pro Pontifice Cap. IV. 12. *Educet totum juvencum foras extra castra ad locum mundum, ad effusionem cineris; comburetque illum super lignis igne; super effusione cineris comburetur.*

§. CCII. *Licet cinere nihil vilius videatur, ejus tamen curam gesserat legislator.* Unde Psal. XX. 4. specimen favoris divini in cinere altaris ostenditur. Contrarium vide 1. Reg. XIII. 3. 5.

§. CCIII. *Cura decinerationis committebatur Sacerdotibus,* quorum tamen erat, vestes Ministerii ordinarias deponere, alias viliores ex lini specie בר induere. v. Lev. VI. 3. conf. XVI. 4. nam, ut *Raschius* ad Lev. VI. 3. habet indecens esset, *iisdem vestibus & cibos coquere, ac poculum Domino infundere.* Nec tamen vestes hæ communes esse poterant, uti habet *Maimon. tr. & c. cit.* §. 10.

§. CCIV. *Functio hæc subsequente tempore tanti visa, ut non alii, quam sorte electo, commissa fuerit.* Cujus erat ante cineris remotionem se aquæ immergere ac vestibus indutis manus pedesque denuo lavare. Compellabatur quoque à sociis: *Cave, ne vas sanctum* (ejusmodi vasa peculiariter ordinata erant Exod. XXVII. 3.) *attingas, antequam manus & pedes tuos laveris.* Lotus sumto thuribulo argenteo culmen altaris ascenderat, sumseratque carbones quam maxime exustos, ac deportaverat posueratque in pavimentum, ubi consimilia reponi solebant. Hoc Sacerdotis opus exponunt Magistri, illud esse, quod in singulos dies præceptum erat. Postea alii adhuc Sacerdotes loti cum scopis & fuscinis altare conscenderunt, ac remotis, quæ nondum combustæ erant, sacrificiorum partibus, cinerem ex omnibus altaris partibus in cumulum, quem *pomum* vocant, coacervarant, ac nonnisi partem ejus deorsum tulerant. Excipiunt dies festos, quibus nihil cineris deferebatur. Tum cumulus in ara

 relin-

relinquebatur quam altissimus, ceu insigne altaris ornamentum. *Tr. & c. cit.* §. 12. 13.

§. CCV. *Hæc decineratio acta singulis diebus sub aurora.* Festis autem, ineunte secunda parte noctis tripartitæ: At solennitate expiationum nocte media. l. c. §. 2.

§. CCVI. Cinis, qui primum ab aræ summitate ad ejus plagam orientalem delatus erat, postea extra urbem à Sacerdotibus, iisque integris & absque sortilegio sponte efferebatur, reponebaturque in locum tutiorem à ventorum vi & porcorum volutatione l. c. §. 14. 15. Horum ultimum nonnisi valet de illo tempore, quo gens judaica sui juris non erat.

§. CCVII. *Alia prorsus ratio cineris vaccæ rufæ*, de qua Num. XIX. 9. Et ad quam Apostolus clare respicit Hebr. IX. 13. De hac Σὺν Θεῷ alibi, quando de purificationibus agendum erit.

§. CCVIII. *Diximus de combustione sacrorum in ara. Memoranda & alia combustio, quæ olim extra castra, stante Templo extra urbem fiebat.* Talia erant sacrificia piacularia pro cœtu Lev. IV. 21. XVI. 27. (Aliquatenus convenit jus vaccæ rufæ Num. XIX. 3. 5.) Dein piacularia pontificis. Lev. IV. 12. XVI. 27. Etiam quando consecrabatur. Exod. XXIX. 14. Lev. IX. 11. Adde Lev. VI. 30. Huc respicitur Hebr. XIII. 11.

§. CCIX. *Maimonides* combustionis locum *cineris receptaculum* vocat tr. מעשה הקרבנות Cap. IV. 4. Exemplum vide *in tr.* יומא Cap. VI. 7. *Pontifex ibat ad juvencum & hircum, qui erant comburendi. Findebat eos ac viscera eorum extrahebat. Tum ponebat in scutella, ac offerebat ea in ara. Postea incidebat eos incisionibus magnis ita tamen, ut partes incisæ cohæserint ac ad locum combustionis portari curavit.* Modum portandi specialius *Raschius* notat: *Quatuor homines duos vectes ferebant; duo ante & duo post. Portabant vectes juxta se, & juvencus & hircus iis imponebantur, alterum super alterum vehebant, & alterum sub altero incurvabant, velut opus implexum. v. Sheringhamium ad l. c.*

§. CCX. *Maimonides* duo alia combustionis loca notavit. Unum *in atrio*, inservientem sacris vitiatis: Alterum *in monte Ædis*, quem *castrum* dixerant. Hic comburebantur hostiæ pro peccato cremanman-

mandæ, siquidem in illis postquam ex atrio excesserant, vitium exortum fuisset. tr. מעשה הקרבנות Cap. VII. 3. 4.

§. CCXI. Ordo nunc poscit, ut etiam agamus de carne sacra, quæ comedebatur, ejus convivis, loco & modo.

§. CCXII. *Extis*, de quibus supra, *exceptis comedebatur caro sacrificiorum pro peccato, pro reatu, pacalium, primogenitorum, decimarum & agni paschalis*, non tamen ab iisdem, nec eodem loco, nec etiam eodem tempore, nec quoque eodem modo.

§. CCXIII. Caro sacrificiorum pro peccato & pro reatu non comedebatur ab Israëlitis, sed tantum à Sacerdotibus, iisque masculis. Num. XVIII. 10. Lev. VI. 22. etiam vitiatis Lev. XXI. 22. Sed non impuris, donec illi purgati Lev. XXII. 4 - 7. Si vero Sacerdotes combusserant, contra voluntatem Dei egerant. Lev. X. 16 - 19. Convenit *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. X. 1. *Comedebant* (scil. carnem dictam) *Sacerdotes, & expiabantur Domini.* Idem Cap. XI. notat, verberibus subjectum fuisse Sacerdotem vel alium quemvis, si comedisset de carne holocausti, aut de extis adolendis, aut de carne sacrificiorum cremandorum, imo si comedisset, antequam sanguis aspersus.

§. CCXIV. Locus comestioni memoratæ carnis destinatus erat *sanctus in atrio tentorii Conventus.* Lev. VI. 19. VII. 6. 17. Imo etiam *sanctissimus* dicitur. Num. XVII. 10. Locum hunc sub Templo IIdo habebant atrium, unde *Maim. tr.* תמידין Cap. XI. *Si quis extra atrium de carne sacrificiorum sanctorum comedisset id, quod oleæ magnitudine se exæquaret, verberibus multaretur.* Imo si caro hæc extra murum atrii portata, postea vero rursus illata fuisset, tamen abstinendum erat à comestione, ut Magistri tradunt, quemadmodum l. c. legimus.

§. CCXV. Alia ratio carnis sacrificiorum pacalium. Hæc, ut jam dictum, Sacerdotes inter & Dominos dividebatur. Pars, quæ Sacerdotibus cesserat, comedebatur non solum à masculis, sed & fœminis, virginibus & viduis, quæ in domo parentis, etiam ære emtis, & in ædibus Sacerdotum natis. Lev. X. 14. XXII. 11 - 14. Num. XVIII. 18. 19. legaliter tamen puris. Reliqua comedebatur

ab Israëlitis offerentibus, itidem mundis. Lev. VII. 20. 21. Idem tradit *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. X. 4. 5. 9.

§. CCXVI. Locus huic carni comedendæ destinatus dicitur טהור *mundus.* Lev. X. 14. Non *sanctus* vel *sanctissimus.* Unde Magistri colligunt, comedi illam posse per totam urbem Hierosolymitanam, quæ castrorum (hæc autem pura) loco erat. v. *Maim.* l. c. Convenit cum Hebr. XIII. 11. 12. Quare comedens talia sacrificia extra Hierosolymam, verberibus castigabatur. tr. תמידין Cap. XI. 5.

§. CCXVII. Quod attinet carnem animalium primogenitorum, illa eadem jura habet cum parte pacalium, quæ Sacerdotibus cesserat, nisi quod tota Sacerdotii fuerit. Num. XVIII. 17. 18.

§. CCXVIII. Ex adverso se habet cum carne animalium decimatorum; hæc tantum Israëlitarum erat, & comedebatur Hierolymis. Hæc quoque agni paschalis ratio est. Vide, quæ supra. Conf. l. cit. *in Maim.*

§. CCXIX. Varietate temporis, quam alibi notavi, prætermissa, dicendum de vario cibum sacrum parandi modo. Quod attinet carnem agni paschalis, poscebatur illa igne assata, non vero permittebatur aqua cocta Exod. XII. 9. 10. Quare Magistri soliciti sunt, ne vel semiassa, aut aliquo liquore consperfa ad cibum pararetur. *v. Maim. tr. de sacrificio Paschali* Cap. VIII. 6 - 9. Modus vero aliam sacrificiorum carnem parandi liberior videtur v. Exod. XXIX. 31. Deut. XVI. 7. Lev. VI. 21.

§. CCXX. *Mischnici* modum parationis, quem circa cibos Sacerdotes observare debebant, liberum faciunt. Unde tr. זבחים Cap. X. 7. *In omnibus istis licitum est Sacerdotibus, ratione comestionis, variare* לאכלן וצלויין שלוקין ומבושלין ולתת לתוכן תבלי חולין *ut comedant vel assata, vel elixata vel cocta, atque indant iis condimenta profana.* Fundamentum Glossatores quærunt in Lege Num. XVIII. 8. quæ copiam, regum more, cibos sacros condiendi concedat. Quod ipsum affirmat *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. X. 10. Qui insuper addit, Sacerdotes, quibus copia cibi sacri ad saturitatem non erat, potuisse communem aut etiam cibum oblationis primæ tantum addere, quantum ad saturitatem sufficiebat. Dein quod

quod varia ciborum sacrorum genera una parari non debuerint. Concoqui tamen poterat & caro sacrificii pro peccato & pro reatu. *Vide hæc & alia tr. & c. cit. §. 11. 12.*

§. CCXXI. Sed annon supra memoratæ libertati Sacerdotum circa cibum sacrum obstat factum filiorum Eli graviter reprehensorum. 1. Sam. II. 13 - 18? Resp. Non. Reprehendebantur hi 1.) quod portione sibi destinata non contenti fuerint. 2.) Quod illegitimo tempore, antequam portio Domini incensa, carnem sacram vi extorserint. 3.) Quod adeoque impudentes fuerint.

§. CCXXII. Notanda hic quædam sunt, quæ victimam, in se integram licet, temeraverant, de quibus *Maimonides tr.* פסולי המוקדשים Cap. XIII. 1. *Tria cogitationum erant genera, quibus temerabantur victimæ;* scil. מחשבת שנוי השם ומחשבת המקום ומחשבת הזמן *Cogitatio de mutando nomine: Et cogitatio de mutando loco, & cogitatio de mutando tempore.* Quæ posterioris generis in sacris nomine פגול veniunt. v. Lev. VII. 18. XIX. 7. Adde quod idem Magister habet, *victimam temerari potuisse, inter has quatuor operationes, inter jugulationem, inter excipiendum sanguinem, inter sanguinis translationem, & inter sanguinem altari aspergendum.* §. 4. Adde *Mischnam tr.* זבחים Cap. I. 4.

§. CCXXIII. Quæ temerata erant per cogitationem de mutando loco & tempore, comedi non debebant. *Mischna tr.* תמורה Cap. VII 6. *Omnia sancta, quæ extra debitum tempus & locum mactata, comburenda sunt:* Et quidem in atrio. Vide supra §. 209.

§. CCXXIV. Uti hæc & alia, de quibus tr. cit. §. 5. comburenda, sic sepelienda sancta, quæ abortum fecerant, secundinæ, bos lapidandus, vitula decollanda, aves leprosi, capilli Nasiræi immundi, primogenitus asinus, caro cum lacte, & profana in atrio mactata. Tr. & c. cit. §. 4. Soliciti sunt, ut comburenda non sepeliantur, nec sepelienda comburantur. Vide quoque plenius *Maim. tr. cit.* Cap. XIX. 10 - 14.

§. CCXXV. Dicendum tandem de functionibus circa hæc sacra sacerdotalibus, quæ adhuc restant (quarundam enim supra occasione data quædam mentio facta est). Ex his primo nomino *sanguinis exceptionem*, quam *Mischnici* קבול דם vocant tr. זבחים

Cap.

Cap. V. 3. Functio hæc, Scriptura non invita Lev. I. 5. solis Sacerdotibus, iisque legaliter se habentibus à Judæis attribui solet. Unde *tr. cit.* Cap. II. 1. *Quorumcunque sacrificiorum sanguis exceptus à* זר *alieno* à Sacerdotio vel etiam Sacerdote, *sed lugente* (excipiunt solum Pontificem) *toto illo die destituto vestibus* (Sacerdotalibus) & *qui manus pedesque suos non lavit*, *incircumciso* (eo quod fratres ejus ob dolorem circumcisionis mortui fuerint) *immundo*, *sedente vel stante super vasis aut super bestia*, *aut super pedibus proximi sui*, *ille reprobus est.*

§. CCXXVI. Communiter unus tantum Sacerdos sanguinem excipit. Excipiunt Judæi sacrificium pro reatu leprosi, de quo tr. נגעים Cap. XIV. 8. *Duo Sacerdotes sanguinem excipiunt*, *unus in vasculo*, *alter vero manu. Ille*, *qui vasculo excipit*, *spargit ad parietem altaris*; *sed qui manu accedit is ad leprosum*, ut illum sanguine tingat, juxta Lev. XIV. 25.

§. CCXXVII. Quandoquidem sanguis victimarum summi pretii habebatur, atque destinatus ille ut Deo in ara per sparsiones & effusiones offerretur, solicite cavendum erat Sacerdotibus, ut בכלי שרת *vasis ministerialibus*, quantum fieri poterat, omnis exciperetur. De modo exceptionis *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. IV. 8. *Qua ratione sanguis excipi solet? Prehendebantur duo signa* (pecudis, scil. aspera arteria & œsophagus) *manu*, *ac protrahebantur una cum venis* לתוך המזרק *in medium pateræ. Tum signa illa ambo*, *aut maxima eorum pars resecabantur*, *quo omnis sanguis vase accipi posset.* Vasorum, quæ commode מזרקות dicuntur, in sacris frequens mentio, veluti Exod. XXVII. 3. 1. Reg. VII. 40. Jer. LII. 18. Hinc illustra Zach. IX. 15. XIV. 20. Horum vasorum constans usus in sanguine excipiendo, si tantum eximis sanguinem vaccæ rufæ, qui manu accipiebatur, non vase, v. tr. פרה Cap. III. 9. & *Maim. ad h. l.* Convenit cum Lege Num. XIX. 4.

§. CCXXVIII. De exceptione insuper tenendum, quod manu dextra illa fieri debuerit. Unde in tr. זבחים Cap. II. 1. *Si quis sanguinem* בשמאל *manu sinistra excipit*, *profanat.* Nec non, quod locus ejus tantum fuerit ad latus aræ aquilonare, si victimæ erant sanctissimæ; Si vero minus sanctæ, excipi poterat per totum atrium, *v. Maim. tr.* מעשה הקרבנות Cap. V. 2.

§. CCXXIX.

§. CCXXIX. Exceptionem ſequitur הלוך *aſportatio ſanguinis ad aram.* Hæc tantæ neceſſitatis non eſt, ac mactatio, exceptio & effuſio. Neque enim absque his ſacrificium legitime fieri poterat. At poterat absque aſportatione. שוחט בצד המזבח וזורק *Qui ad latus aræ mactat, ſpargit*, & ita aſportatione non indiget. tr. זבחים Cap. I. 4. Si vero exceptio remotior ab ara, tum ſanguis per Sacerdotem ad eam aſportandus erat, & quidem ſub ſpeciali nomine ſuo (v. l. c.) ut, quemadmodum ſtatim dicendum erit, Legi convenienter ſpargeretur, effundereturque. Sanguis vero agnorum paſchalium peculiari & ſplendida ratione ad aram perveniebat, docente *Maimonide de ſacrificio paſchali* c. I.

§. CCXXX. Aſportationem porro ſequitur *ſparſio.* Quo vero hæc recte fieret, ſanguis pelvibus cuſpidatis (ne pavimento imponi poſſent) exceptus interea à Sacerdote agitandus erat, ne ſpiſſeſceret, ſed ad ſpargendum aptus eſſet.

§. CCXXXI. Sacræ literæ hanc functionem non una exprimunt ratione, veluti ſub vocibus זרק Lev. I. 5. הזה IV. 6. נתן IV. 25. 30. שפך IV. 7. A Judæis ſummo habetur loco, & merito. Hinc *in Jalkuth* p. 116. c. 3. מצינו שאין כפרה אלא ברם *nulla eſt expiatio absque ſanguine.* Illuſtra hinc Hebr. IX. 22.

§. CCXXXII. Functio hæc variabat & modis & locis. Et quidem quod attinet ſacrificia primogenita, decimata ac agnos paſchales, de illis *Miſchna tr.* זבחים Cap. V. 8. *requirunt unicam tantum effuſionem* כנגד היסוד *è regione fundamenti altaris. Nam ſanguines effundebantur ſuper fundamentum occidentale, & ſuper fundamentum auſtrale & deſcendebant* (cum ſanguinibus ad cornu inter occidentem & auſtrum ſparſis) *ac commiſcebatur uterque ſanguis in canali, & effluebat in torrentem Kidron tr.* מדות Cap. III. 2. Quando vero magna ſanguinum copia ibi confluxerat, *præfecti eam hortulanis vendiderant ad agros ſtercorandum. v. L'Empereur* ad l. c. Lex Moſaica hæc non quidem definit, attamen nec contrarium inculcat. Aliquod tamen tenue moris hujus indicium Magiſtri colligunt ex collatione Num. XVIII. 18. cum Lev. I. 5. *v. Maimonidem ad tr.* זבחים C. V. 8.

§. CCXXXIII. Quod vero ſpectat ſanguinem holocauſtorum, pacalium & pro reatu, Lege divina ſpargendus erat על

המזבח סביב *super aram circumquaque*, adeo ut nullum ejus latus absque ſanguine relinquendum fuerit. Hanc Legem ita obſervandam ſtatuerunt ſapientes. Sacerdos in pavimento ſtans ex ſanguine pelvi miniſteriali contento duas ſparſiones erga duos altaris angulos ſibi decuſſatim oppoſitos ſparſit à dimidio altaris & infra filum rubrum ad angulum inter orientem & ſeptentrionem, nec non ad oppoſitum inter meridiem & occaſum intermedium. Qua ratione quatuor altaris latera duabus ſanguinis aſperſionibus conſperſa erant. Hinc orta eſt phraſis hoc in Themate frequens שתי מתנות שהן ארבע *duæ* ejusmodi *ſparſiones ſunt quatuor*. v. tr. זבחים Cap. VIII. 4. 5. 7. Eundem modum obſervatum circa ſacrificia euchariſtica & arietem Naſiræi tradit. §. 6.

§. CCXXXIV. Progredimur ad ſparſionem ſanguinis ſacrificiorum pro peccato, quæ relate exteriora dicuntur. De hac Moſes præcipit: *Sumet Sacerdos de ſanguine ejus digito, & dabit ſuper cornua altaris holocauſti, & omnem ſanguinem ejus effundet ad fundamentum altaris illius*, ut legimus. Lev. IV. 30. *Miſchnici* eam ſequentem in modum referunt: Sanguis ſacrificiorum pro peccato tum publicorum, tum privatorum (ſalva tamen exceptione) poſcit quatuor ſparſiones ſuper quatuor cornua. Quomodo? (Sacerdos) aſcendit clivum & convertit ſe ad ambitum altaris. *Accedit (primo) ad cornu medium inter meridiem & ortum* (quod poſtquam indicem dextræ ſuæ pelvi infixerat, ſanguine aſperſerat, & reliquum ſanguinem digito adhærentem ad oram pelvis abſterſerat) *hinc vero ad cornu orientale ſeptentrionale, poſtea ad ſeptentrionale - occidentale, tandem ad occidentale - meridionale* (tenetque conſimilem aſperſionem, ac ſupra dictum) *reliquias vero ſanguinis effundit ſuper fundamentum meridionale. v. tr.* זבחים Cap. VIII. 3.

§. CCXXXV. Ab hac aſperſione rurſum differt ea, quæ circa piacularia interiora valebat. Imo & hæc variat. Nam quorundam ſanguis εἰς τὸ ἅγιον tantum in primum ſanctuarium inferebatur, cujus jura habes Lev. IV. 6. 7. 17. 18. de quibus in tr. זבחים Cap. V. 2. *Sanguis juvencorum*, qui comburendi, nec non hircorum, qui itidem comburendi, *poſtulat aſperſionem verſus velum ſanctum inter & ſanctiſſimum & ſuper altare aureum. Reliquiæ vero ſanguinis effundebantur ſuper fundamentum occidentale altaris exterioris*. Aliorum vero ſanguis,

guis, veluti juvenci & hirci in Die Expiationis, ferebatur εἰς τὰ ἅγια *in sanctum & sanctissimum* ad spargendum, ut reperis Lev. XVI. 14. 15. Quorum sparsionem *Mischna tr.* זבחים Cap. V. 1. ita tradit: Memoratorum sacrificiorum sanguis *poscit sparsionem inter vectes* arcæ, semel sursum, septies deorsum & *versus velum* pariter octies. Tum sanguine juvenci & hirci commixto quatuor aræ interioris cornua tinxerat, ac postea ipsam aram septies sparserat, reliquias vero super fundamentum occidentale aræ holocausti effuderat. Conf. insuper tr. יומא Cap. V. 5. 6.

§. CCXXXVI. Hæc de sparsione sanguinis animalium. Sanguis avium ob minorem quantitatem ita spargi non poterat, sed Lege præcipiente *exprimebatur ad parietem altaris holocausti.* Lev. I. 15. *Mischnici* explicant, ut sequitur. In tr. קנים Cap. I. 1. *Sanguis sacrificii pro peccato ex ave conficitur infra* filum altaris, sed *sacrificii holocaustici fit supra.* Plenius in tr. זבחים Cap. VI. 4. *Spargebat de sanguine* sacrificii pro peccato ex avibus *ad parietem altaris*, hinc instrumento vel digito, solo corpore avis, *sed reliquias exprimebat super fundamentum.* At §. 5. Sanguinem holocausti ex ave *exprimebat ad parietem altaris*, quando perveniebat ad cornu meridionale-orientale.

§. CCXXXVII. Claudam Sacerdotum circa sacra functiones, si prius aliquid dixero de eorum intentione. Nam quanquam peculiaris lex in Mose non exstet, rei, maxime sacræ, natura postulat, ut Sacerdos non sine consideratione eorum, quæ ipsi agenda, munus aggrediatur, ducatque. Dein actiones, ut ex dictis patet, sacerdotales pro varia specie variabant. Animus igitur Sacerdotum ad cuncta attendere debebat. Recte igitur Rabbini certam מחשבה *intentionem* postulant, veluti *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. IV. 10. *In cunctis hostiis requirebatur, ut is, qui operabatur, cum ad hostiæ, tum ad offerentis nomen animum attenderet mactando, sanguinem excipiendo asportando & altari aspergendo.* Vide sex illa, quæ circa holocaustum cogitanda erant, de quibus supra §. 55. *Mischnici* discrimen quoddam faciunt, veluti si Sacerdotes sacra obtulerant לא לשמן *non suis debitis titulis*, ut holocaustorum, nihilominus perficiebantur illa & legitima habebantur, sed tamen debita offerentium ita non exsolvebantur. Excipiunt agnos paschales & sacrificia pro peccato, quæ, si alio titulo mactata, aut si alio titulo sanguis

eorum exceptus, asportatus & aspersus fuerit, reproba facta erant, quemadmodum hæc plenius legi possunt *tr.* זבחים, unde Sacerdotes sacrificaturi monebantur de his non omittendis.

§. CCXXXVIII. Ultimo paucis adhuc agendum de rationibus, quibus Deus Israëlis commotus olim ejusmodi Leges carnales de sacrificiis populo suo tulerat. Dicendum est, Deum illas tulisse, vel ut imitaretur aliorum sacra, vel ut iis se opponeret, vel quod cultus hic per se ipsi acceptus esset, vel ob alias latentes mysticas speciatim rationes.

§. CCXXXIX. *Primum dici nequit.* Etenim, ut supra probatum dedimus §. 7 - 13. Sacrificia Patriarchalia tum ante, tum post diluvium, Deo præcipiente, instituta erant. Locus imitationis adeoque nullus erat. Accedit, quod minus decenter dicamus, Deum cultum populo suo præscribere ad imitationem aliorum populorum, eorumque idololatricorum.

§. CCXL. *Non etiam secundum.* Quando enim sacrificia cultu Gentilium antiquiora, proprie dici nequit, Deum ea instituisse, ut se Gentilibus opponeret. Quanquam verum, divinam illam Deum per sacrificia colendi rationem ita se habere, ut cultui idololatrico, Ægyptiorum maxime, opposita sit. Prudentissime itaque Deus antiquissimum cultum ex hac quoque ratione ad posteritatem propagatum, & novis specialibus Legibus auctum voluit, ut Israël ab idololatria fortius arceretur.

§. CCXLI. *Nec tertium.* Quod enim Deo per se placet, convenit cum natura divina, gloriam divinam illustrat, hominem Deo dignum reddit, semper placet, & verum nexum ad finem, ad quem directum est, tenet. At talia de sacrificiis, eorum speciebus, actionibus dici nequeunt. Deus est spiritus, isque sapiens, sanctus, gloriosus. Jam an Deus perfectissimus spiritus carne boum, sive tota igne consumta, sive ex parte delectatur? An delectatur victimarum adductione, χειροθεσία, mactatione, excoriatione, dissectione, asportatione, sanguinis exceptione, aspersione aliisque carnalibus actionibus, splendide licet & sumtuose peractis? An Israëlita vel Sacerdos his intentus ideo Deo placet? Ita placeret subinde idololatra, adulter, perjurus, vel saltem hypocrita. Impius placeret æque ac pius; Imo ille magis; Si hecatombas offerret, hic vero tur-

tures.

tures. Sed quare sacra hæc maximis sumtibus Deo sacrata detestationi erant, ac publice rejecta? v. Psal. L. 13. Es. I. 11. 15. Jerem. VII. 21. Mich. VI. 6. 7. Prov. XV. 8. 1. Sam. XV. 22. Præclare *Seneca de Benef.* Lib. I. c. 5. *Nec in victimis, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos; Sed pia & recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt. Mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aram sanguine multo cruentarint.* Quæ præterea Deo per se placent, semper placent, ut cognitio, timor, amor, obedientia, & alia moralia. At locus sacrificiorum in statu integritatis nullus erat. Sacrificia sub N. Testamento sublata sunt Jes. LXVI. 3. sublata erunt in altera vita. Tandem quis nexus pecudis mactatæ, sanguinis excepti, asportati, aspersi, effusi ad veniam peccatorum consequendum, conscientias purgandum? *Impossibile, ut sanguis taurorum & hircorum peccata auferat.* Hebr. X. 4. Et si quædam vis sacrificiis ad memoratos fines inesset, tum sacrificia piacularia constare debuissent ex victimis pretiosissimis, optimis; At vulgo constabant ex vilissimis, *hircis veluti fœtentibus.* Pro peccatis totius Israël Die Expiationis offerebantur duo tantum hirci! Bene itaque notavit *Maimonides More Nevochim* Lib. III. Cap. XLVI. p. 486. *Porro scito, quanto peccatum aliquod fuit gravius, tanto vilioris speciei esse ejus oblationem.*

§. CCXLII. *Valet ergo quartum.* Quando enim homines sapientes sapientibus ex rationibus actiones & Leges suas instituunt, de sapientissimo quis aliter cogitabit? Uti sol non potest non lucere, ita Deus, qui ipsa sapientia, non potest non Leges sapientibus ex rationibus ferre.

§. CCXLIII. Solent autem sapientes uni rei plures præfigere speciales fines, atque illos sibi invicem apte subordinare, ut non solum sibi non contrarientur, sed bene conveniant, cooperenturque ad communem aliquem effectum, quam multivariam sapientiam legislatori Israëlis, qui ipsa sapientia est, merito tribuimus; Ita quidem, ut quidam fines magis בגלוי ἐν φανερῷ sint, & hinc vulgo noti, alii vero בסתום ἐν κρυπτῷ ac ideo tantum discipulis arcanæ sapientiæ (v. Psal. LI. 8. CXIX. 18.) cogniti extiterint.

§. CCXLIV. Gens Judaica, recentioris ævi maxime, licet circa hæc admodum cœcutiat, non tamen omni caret lumine. Agnoscit

noscit tum in genere, præeunte *R. Simone Bar Abraham in tr.* ברכות c. f. *Deum dedisse* ציורים *figuras Tabernaculi*, *Sanctuarii*, *& omnium vasorum ejus*, *candelabri*, *mensæ & altarium* לציורים שכלייכם ולהתבונן מהם האמתות העליונות *in typos rerum intellectualium*, *& ad intelligendas ex iis veritates cœlestes.* Vid. *Buxtorff. in Hist. arcæ fœderis* p. 83. Tum in specie, sacrificia כוונות certis ex intentionibus ordinata esse, ut scire licet ex *Abarbanelis* Cap. IV. *Præf. in Lev.* quod totum agit בתכלית הקרבנות *de fine sacrificiorum*, ubi inter alia: *Arbitror*, *unum aliquem finem omnium specierum*, *ex quibus sacrificia constabant*, *statuendum haud esse*, *nam quales formæ*, *tales fines. Quando vero formæ sacrificiorum variæ*, *fines quoque requiruntur varii* ומי יתן *quod utinam scirem*, *quid esset* &c. Et licet multum paleæ in eo cernas, frumentum tamen post perquisitionem etiam reperies. *Bechai*, qui aliis Magistris in sensu subtiliori indagando excellit, non sine acumine peccantem in sacrificiis repræsentari notavit, quemadmodum constat ex Testimonio *Comment. in Leg.* f. 122. c. 3. 4. quod jam olim exscripsi in *Dissert. de functionibus Sacerdotum circa victimam.*

§. CCXLV. *Leges de sacrificiis generatim populum moverant ad cognitionem & cultum Dei. Docuerant illæ*, *cuncta Deo accepta ferenda esse*, *unde solverant sacra ex primogenitis & decimis*; *Omnia*, *quæ hominis*, *Deo sponte consecranda esse*, quo pertinent נדבות; *Vota in necessitatibus nuncupata*, *solicitam poscere eorum impletionem*, id quod נדרים *sacrificia votiva* indicant; *Beneficia divina sancte recolenda esse*, quem in finem faciunt sacra paschalia, aliaque festiva; *Peccata esse fugienda vel ex infirmitate patrata*, *humiliter agnoscenda*, *confitenda*, *remissionem & sanctificationem à Deo expetendam esse. Veram esse pacem in communione Dei*, *ministrorum & populi* (quippe de שלמים participabant & Deus & Sacerdotes & Israëlitæ) *ac illud genuinum esse gaudium*, *quod coram Deo testatum facimus.*

§. CCXLVI. *Ipsæ S. Literæ docent*, *Deum non tam victimas carneas quam spirituales*, *non ἀλόγους*, *sed λογικάς*, *non Boves*, *Oves*, *sed Israëlitas sacrificiis similes his de sacrificiis Legibus intendisse ac postulasse.* Quo jam ex V. Testamento ducunt sequentia loca: *Nam non delectaris sacrificiis*; *Alias darem. Nec in holocausto acquiescis*: זבחי אלהים *Sacrificia Dei*, quæ Deus vult, probat, æstimat, amat, sunt *spiritus fractus*, *cor fractum & contritum.* Tale *sacrificium o Deus non spernes.*

Psal.

Psal. LI. 18. 19. & Psal. L. 14. 15. rejectis sacrificiis irrationalibus ait: *Sacrifica Deo confessionem & solve altissimo vota tua. Invoca me in die afflictionis, liberabo te, tu vero me honorabis*, & v. 23. *Qui sacrificat confessionem, ille honorat.* Psal. LXIX. 31. 32. *Laudabo nomen Dei cantico, & magnificabo illud confessione. Idque bonum erit præ Bove juvenco, cornua ferente & bifidam ungulam habente.* Hos. XIV. 3. *Solvemus juvencos* scil. *Labia nostra.* Ex N. Testamento vero 1. Pet. II. 5. *Ipsi quoque ædificemini, veluti vivi lapides, domus spiritualis, sacerdotium sanctum* ἀνενέγκαι πνευματικὰς (non σαρκικὰς) θυσίας *ad offerendum spirituales victimas.* Rom. XII. 1. *Hortor igitur, fratres, per miserationes Dei* παραστῆσαι *ut sistatis* (uti olim sacra in conspectum Dei sistebantur) *corpora vestra* θυσίαν *Hostiam vivam, sanctam acceptam Deo,* τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν *rationalem cultum vestrum.* Hebr. XIII. 15. 16. *Per ipsum offerimus* θυσίαν Αἰνέσεως *Hostiam laudis semper Deo,* τȣτέςι καρπὸν χειλέων ὁμολογέντων, *hoc est, fructum labiorum confitentium nomen ejus. Cæterum beneficentiæ & communicationis ne obliviscamini,* τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεςεῖται ὁ Θεὸς *talibus enim hostiis delectatur Deus.*

§. CCXLVII. Arcanum vero omnium maximum, quod sacrificia, præprimis piacularia intenderant, attendentes docuerant, est JESUS CHRISTUS agnus Dei peccata mundi suscipiens, ferens & auferens, ut gratia Dei, obscurius quidem ex V. Testamento, clarissime ex novo, scimus. Ex illo Psal. XL. 7. 8. 9. *Sacrificio & ferto non delectatus es. Aures mihi perfodisti. Holocaustum & sacrificium pro peccato non postulasti. Tum ego dixi: Ecce venio (in volumine Libri de me scriptum est) ad faciendum* רצונך *beneplacitum tuum*, ceu quod tibi non erat in hostiis carneis. Es. LIII. 10. de Messia patiente canit Esajas: *Si posuerit animam* אשם *sacrificium pro reatu, videbit Semen.* Unde post Messiæ manifestationem *ad obsignandum peccata & expiandum perversitatem* prædicitur *finis sacrificiorum & fertorum.* Dan. IX. 24. 27. Ex hoc vero tota ad Hebræos Epistola clamat, ut vel tyrones Christianismi sciunt. Vide Cap. I. 3. V. 7. VII. 27. IX. 11. 12. 13. 14. 23. f. X. 1-24. XIII. 10-14. Adde Testimonia Johannis præcursoris Joh. I. 29. Ἴδε ὁ Ἀμνὸς τȣ̃ Θεȣ̃, ὁ αἴρων τὴν Ἁμαρτίαν τȣ̃ κόσμȣ. conf. v. 36. Pauli Eph. V. 2. Rom. VIII. 3. 1. Cor. V. 7. 2. Cor. V. 21. Tit. II. 14. Petri 1. Epist. I. 18. 19. II. 24. Johannis Apostoli 1. Epist. II. 2. Apoc V. 12.

§. CCXLVIII.

§. CCXLVIII. Unde tot phrases sacrificæ de Christo περὶ, ἀντὶ, ἁμαρτία, εὐωδία, εὐδοκία, ἄφεσις, ἱλασμὸς, ἀπολύτρωσις, ἐκχυσις, καθαρισμὸς, ἁγιασμὸς, ῥαντισμὸς & consimiles, quæ docent Σκιὰν in hostiis V. Testamenti, Ἀλήθειαν in morte Christi, utpote clare respondent sacerdotalibus, ut sunt חטאת, טהר, שפך, כפר, סלח רצון ריח ניחוח הזה & קדש Sed plenior deductio & comparatio typi cum antitypo hujus loci non est.



CAPUT II.

De Fertis, eorumque nominibus, materia, speciebus, functionibus tum laicis, tum sacerdotalibus circa illa, & finibus.

Σύνοψις.

Capite hoc secundo, nexu cum primo observato. §. 1.
Et præstantia fertorum ostensa. §. 2. traduntur

I. Eorum nomina tum Hebraicum. §. 3. 4. tum Græca. §. 5.

II. - - Materia, quæ vel fertis omnibus communis ut frumentum & sal, vel aliquando abesse potest, uti oleum & thus. §. 6.
Quædam enim ferta poscunt & oleum & thus. §. 7.
Alia oleum tantum. §. 8.
Alia nonnisi thus. §. 9.
Alia neque oleum neque thus. §. 10.

Materia omnibus fertis communis, ut dictum est.

א. Frumentum communiter triticum rarius hordeum. §. 11.

A. Triticum, quo abundabat terra Canaan. §. 12.
Poscitur selectissimum. §. 13. 14.

Et quidem flos tritici, sive simila. §. 15.
Bene purgata. §. 16.

Quem

Quem in finem, Sapientibus notantibus, triticum erat fricandum & calcandum. §. 17.
Tum commolendum. §. 18.
Insuper cribrandum. §. 19. 20.
Tandem explorandum. §. 21.

B. Hordeum. §. 22.
Ex quo tamen duo tantum ferta constabant. §. 23.

ג. Sal. §. 24.
Isque è mari sodomitico desumtus. §. 25.

Sequitur materia, quæ aliquando à fertis abesse poterat: Et est 1.) Oleum. §. 26.
Cujus variæ recensentur species; Quædam ad usum sacrum illegitimæ, aliæ legitimæ. §. 27.

Excellit oleum Thekoæ. §. 28.
2.) Thus. §. 29.
Subsequitur materia, quæ Lege divina à fertis abesse debebat.

α. Fermentum. §. 30.
Qualecunque & quantulumcunque. §. 31.
Excipiuntur tamen duo ferta. §. 32.

β. Mel, vel quodcunque dulce. §. 33.

III. Species. Ferta quædam offeruntur una cum victimis; Alia seorsim. §. 34.
De *illis* nota.

(a.) In quibus sacrificiis locum habeant. §. 35.

(b.) Diversitatem mensuræ eorum. §. 36.

(c.) Et consumtionem omnimodam in ara. §. 37.

De *his* vero, quod subdividenda sint in *publica* & *privata*. §. 38.
Illa sunt tria. §. 39.
Hæc quinque specierum ut
(1.) Peccantis. §. 40.
(2.) Zelotypiæ. §. 41.
(3.) Improprie dictum. §. 42.
(4.) Initiationis. §. 43.
(5.) Votivum & voluntarium.

Hæ memoratæ species probe notandæ erant. §. 44.
Ferta quoque distinguuntur.

א. In libera & præcepta. §. 45.
ב. Quædam tota, quædam ex parte altari; quædam tota Sacerdotibus cesserant. §. 46.
ג. Quorundam quantitas determinata; quorundam libera erat. §. 47.

IV. Functiones circa ferta aliæ laicæ, aliæ sacerdotales. §. 48.
Laica erat.

(a.) Fer-

(a.) *Fertum suis sumtibus comparare.* Olim ferta in natura adferebantur. Postea pretio in Templo emebantur. §. 49.
Qua occasione nota modum adducendi & parandi.

α. Fertum Zelotypiæ. §. 50.
β. - - - Similæ. §. 51.
γ. - - - Sartaginis & Aheni. §. 52.
δ. - - - Furni. §. 53.
ε. - - - Sartaginum Pontificis M. §. 54.
ζ. - - - Initiationis Sacerdotum gregariorum. §. 55.
η. - - - Manipuli paschalis; Duorum panum pentecostalium ; Et XII. panum propositionis. §. 56.
Laica quoque erat.

(b.) *Fertum ad Sacerdotem adferre.* §. 57.
Quod è vase communi in sacrum repositum erat. §. 58.
Functio mixta, vero erat *fertorum agitatio.* §. 59.
At Sacerdotalis.

(α.) *Ferti ad aram adductio.* §. 60.
Subjungitur diversitas agitationum & adductionum fertorum. §. 61.
Numerus Sacerdotum ferta ad aram ferentium pro varietate variabat. §. 62.
Dein.

(β.) *Fertorum combustio.* Quædam tota comburebantur ; Lundio frustra contradicente. §. 63.
Alia prorsus non. §. 64.
Alia ex parte. §. 65.

Speciatim comburebatur.
(a.) Totum thus.
(b.) Pugillus ferti. §. 66.
Porro.

(γ.) *Pugillo fertum capiendi ratio*, quæ difficilis habetur. §. 67.
Denique.

(δ.) *Comestio reliquiarum.* §. 68.
Quæ vero cesserant solis Sacerdotibus idoneis & ministrantibus, qui eas inter se partiti erant. §. 69.
A qua partitione tamen exemtus erat Pontifex M. §. 70.
Comestio vero adstricta erat ad sanctuarium. §. 71.

V. Rationes : Morales. §. 72 - 78.
Mysticæ. Probantur in genere. §. 78. 79.

In specie.
A. Præadumbravit Jesum Christum. §. 80.

B Fideles. §. 81.
Clauditur notabili Testimonio Mischnico.

§. I. Quem-

§. I.

QUemadmodum Sacerdotum erat Θυσίας *victimas animatas* Deo offerre, sic quoque eorum Δῶρα *sacra inanimata* Lev. I. II. Hebr. V. 1. VIII. 3. IX. 9. qualia constabant è Farina, Sale, Thure & Oleo, quæ cum aliis *ferta* appellamus.

§. II. *Pretio quidem sacra hæc animatis cedunt*, Lev. V. 11. *attamen ad dignitatem & efficaciam horum proxime accedunt.* Unde legislator medium inter varias sacrificiorum species locum dedit. Lev. II. *Abarbanele* judicante in Lev. II. 1. *proximum existimationis gradum post holocausta, majorem pacalibus tenent.* Præstantia fertorum vel inde quoque constat, quod jam antiquitus tempus sacrificii jugis non solum vespertinum 1. Reg. XVIII. 29. ut *Ligtfootus* putat Op.. T. I. pag. 715. sed & matutinum, ut clare 2. Reg. III. 19. hinc dictum, & Rabbini *Mincham* magnam & parvam ab hoc nomine dixere. Vide *Buxtorfium* in *Lex. Hebr.* sub Radice מנח

§. III. *Nomen Hebraicum ab ævo Mosis his sacris proprium hæsit* מנחה. Ante Mosen, ut alibi observavi, sacra animata hoc quoque nomine veniunt. Sed Moses illud fertis appropriavit, ut maxime constat ex Lev. II. Unde ceu species קרבן oblationis venit. v. Lev. II. 1. conf. Lev. I. 2. & distinguitur ab aliis speciebus, veluti holocaustis, sacrificiis pro peccato, pacalibus, libaminibus. Lev. XXIII. 37. Ezech. XLV. 17. Num. XXVIII. 8. Psal. XL. 7. Joel. I 9. Jes. LVII. 6. Quam quoque specialem notionem Hebræorum Sapientes retinuerunt. Unde Tractatum Mischnicum de *fertis* agentem מנחות appellant.

§. IV. Nominis rationem commode illi dant, qui ab Arabum מנח *donavit*, derivant. Uti enim olim subditi subjectionem testaturi regibus מנחות 2. Chron. XXVI. 8. 2. Sam. VIII. 2. ita Israëlitæ Deo, ceu Regi suo, *ferta* dederant.

§. V. *Græca nomina magis communia sunt*, veluti Δῶρον Hebr. V. 1. IX. 9. Προσφορά Hebr. X. 5. Θυσία, quo referre potes Marc. IX. 49. Scriptores sacri harum vocum usu LXX. præeuntes habent. v. Gen. IV. 4. Lev. II. & Psal. XL. 7.

§. VI. A nominibus ad rem. *Materia, ex qua ferta constare solebant, variat.* Omnia ex frumento & sale constant; At quædam ad-

ditamentis ornantur, ſed varie, ut nervoſe & bene tradit *Miſchna tr.* מנחות Cap. V. 3. *dantur ferta, quæ requirunt oleum & thus. Alia oleum & non thus.* Alia thus & non oleum. Alia denique neque oleum neque thus.

§. VII. *Hæc illuſtraturi obſervamus, ſequentia ferta oleum & thus poſcere.* 1.) *Fertum ſimilæ*, de quo Lev. II. 1. 2.) *Fertum* המחבת *ſartaginis planæ*, quæ ora carebat, in qua coquebatur mola dura Lev. II. 5. *v. Maim. tr.* מעשה הקרבנות Cap. XIII 7. 3.) *Fertum* המרחשת *aheni*, Lev. II. 7. vel vaſis profundi ora inſtructi, in quo hinc coquebatur mola mollis, eodem *Maimonide* notante. 4.) *Fertum* החלות *placentarum* oleo mixtarum Lev. II. 5. 5.) *Fertum* הרקיקין *laganorum* oleo unctorum, tenuium, ut conjectant Lev. II. 4. 6.) *Fertum* כהנים *Sacerdotum*, quale munus aggreſſuri ſacrum faciunt Lev. VI. 13. (*vide Maim. in Præf. ad tr.* זבחים) 7.) *Fertum* כהן משיח *Sacerdotis uncti*, quod etiam *ſartagines Pontificis M.* vocant, cujus dimidium mane, alterum ſub veſpera offertur. Lev. VI. 13. v. quoque *Maim.* l. c. 8.) *Fertum* עכום *Gentilium*, ceu quibus tribuitur jus ferta vovendi. 9.) *Fertum* נשים *mulierum*, quibus idem jus tribuitur. 10.) *Fertum* העומר *manipuli paſchalis*, de quo Lev. XXIII. 10. Vide quoque מנחות Cap. V. 3. *cum Gloſſa Bartenorienſi.*

§. VIII. *Fertum* vero, ut dicitur נסכים *Libaminum requirit oleum, non vero thus.* S. Literæ quippe olei mentionem faciunt, non vero thuris veluti Num. XXVIII. 9. Contrarium non probat *Lundius* L. III. Cap. XXXIX. n. 64. 65. in Jüdischen Heiligthümern, licet arbitretur.

§. IX. *Ex adverſo panes facierum poſcunt thus, non vero oleum.* Ratio quæritur in Lege Lev. XXIV. 7.

§. X. *Tria alia ferta utroque carent, oleo & thure & ſunt.* A. *Duo panes pentecoſtales*, de quibus vide Lev. XXIII. 17. B. *Fertum* חוטא *peccantis* juxta expreſſam Legem Lev. VI. 11. C. *Fertum* קנאות *zelotypiæ*, de quo vide Num. V. 15. Quod duas poſteriores ſpecies concernit, haud male *Maimonides* ratiocinatur, dicens: Propter turpitudinem actionum oblatio imperfectior eſt reliquis v. *More Nevoch.* L. III. Cap. XVI. deſtituta adeoque oleo & thure.

§. XI. His præmiſſis de unaquaque materia notandum eſt. *Et quidem primo de materia omnibus communi*, frumento ſcil. quod vel triticum,

ticum, vel rarius tamen, hordeum. Exod. XXIX. 2. Lev. II. XXIII. 10. Num. V. 15. *Maimonides in Tract. de ratione sacrificiorum.* Cap. XII. 2. *Omnia ferta erant ex simila tritici præter illud ob mulierem de adulterio suspectam, & manipulum agitationis, quæ è hordeo constabant.*

§. XII. *Frequentissimus tritici usus in fertis erat.* Quanquam enim rarius exprimatur, veluti Exod. XXIX. 2. 1. Chron. XXI. 23. recte tamen Sapientes aliis in locis per סלת *similam* triticeam intelligunt. Triticum autem frumenti species in Canaan, quæ hinc ארץ חטה *terra tritici* Deut. VIII. 8. audit, reperiunda erat, eaque præstans. Unde *Philoni de septenario & festis* κατ' ἐξοχὴν πρῶτον καὶ ἄριστον γέννημα τοῦ Σίτου καρπὸς dicitur pag. 1192. Explica hinc Psalm. LXXXI. 17. CXLVII. 14.

§. XIII. Quando vero gens Judaica Deum veneratura communiter & recte statuit, *cuncta*, quæ Deo consecrantur, מן המובחר *selectissima* danda esse, regulam hanc ad materiam fertorum quoque applicat. Unde in tr. מנחות Cap. VIII. 2. אין מביאים לא מבית הזבלים ולא מבית השלחים ולא מבית האילן *Ferta non offeruntur ex agro stercorato* (alii malunt: *Ex agro, qui stercoratione indiget*) *neque ex agro siticuloso, neque etiam arboribus consito.* Scil. Studio & ex intentione, quippe ejusmodi triticum minus præstans, de puritate suspectum vel macrum (commendatur vero in sacris pingue Psal. LXXXI. 17.) habetur. Vide præter Glossas *Maim. in tr. de rebus altari interdictis* Cap. VI. 12. Hic quoque addit triticum satum in terra non arata, nec culta. Reprobum vero illud habet, quod maximam partem verminosum erat. *v. Maim.* c. cit. §. 11.

§. XIV. *Ex consimili ratione omnium primo commendant Mischnici triticum* מכמש ומזוניחה *Michmasch* (locus hujus nominis ex historia Saulis notus existit. v. 1. Sam. XIII. 2. 5. 23. XIV. 5. in confiniis Benjamin.) & *Mesonicha* (*Maimonides* substituit Jochana) tum quoque חפריים *Chaparaim in valle.* Universa tamen Israëlis terra apta erat ad proferendum triticum Deo consecrandum. Nec terra Israëlis tantum, sed & extranea, si duo tantum ferta excipis. Unde iidem probabiliter tradunt: *Omnes oblationes tam publicæ quam privatæ sumuntur ex terra* (scil. Israëlis) *& extranea, de novo & vetere proventu, exceptis manipulo & duobus panibus* (pentecostalibus) *qui nonnisi depromendi ex novo frumento, eoque intra terram nato. v. tr.* מנחות

 Cap.

Cap. VIII. 1. Exceptionis fundamenta sunt loca Lev. XXIII. 16. 17. XXXIV. 22.

§. XV. Ipsum triticum, uti illud ex terra pronascitur, sacrum nondum erat, sed *flos farinæ ex eo elaboratus*, qui hinc dicitur סלת חטים *simila triticea* ex tritico Exod. XXIX. 2. *Coccejus* accuratus alias Philologus סלת vertit per *farinam crassiorem*, plerique alii *subtilem*. LXX. est Σεμίδαλις, Vulg. *Simila*. *Josepho*: Ἄλευρον καθαρώτατον. *Antiq. Jud.* L. III. c. 10. Philo similam τὸ καθαρώτατον τῆς ἀνθρωπίνης τροφῆς vocat *de victimis* p. 847. Hos & ego sequor. Certum est ex sacris סלת differre à קמח Gen. XVIII. 6. 1. Reg. V 2. Non tamen quoad substantiam. Gen. XVIII. 6. Ergo nonnisi quoad gradum sive subtilitatem. Circumstantiæ textuum vero perpensæ docent קמח farinam communem, crassiorem, veluti Jes. XLVII. 2. 1. Reg. XIV. 14. 16. Sed סלת subtilem 1. Reg. V. 2. significare. Accedit, quod ferta Deo sacra ex סלת constare dicantur Lev. II. 1. 4. Cibus vero Deo sacer selectissimus, purgatissimus sit. Placet, quod de discrimine duarum harum vocum *Bartenora ad tr.* סוטה Cap. II. §. 1. habet: *Per* גרש *intelligitur id, quod secernitur & cribratur per XIII. Cribra, quemadmodum* סלת *simila tritici. At* קמח *notat farinam, quæ omnia commixta tenet, quemadmodum commolebatur.*

§. XVI. *Ferta igitur è flore farinæ poscebantur, non communi farina.* Voluntati legislatoris is jam satisfecit, qui farinam probe purgatam adduxerat. Verum *Sapientes* cultum Numinis magis honoraturi ac obicem contemtui posituri *specialem similam præparandi modum statuerant per tritici fricationes, calcationes, commolitionem & cribrationes*, ut ex sequentibus patebit.

§. XVII. *De fricationibus & calcationibus habes Textum Mischnicum tr.* מנחות Cap. VI. 5. *Omnia ferta requirunt trecentas* שיפה *& quingentas* בעיטה Scil. explicante Glossa Bartenoriana semel triticum fricatur, bis calcatur; Tum bis fricatur & ter calcatur. Atque hoc ordine continuatur, donec absolutæ fuerint quingentæ illæ calcationes, cum trecentis fricationibus. Circa modum fricandi & calcandi Magistri *Raschius*, *Maimonides* & *Bartenoriensis* non conveniunt. Memoro nonnisi *Maimonidis*, qui de שיפה *fricatione* ait, quod manuum vi fiat, ut pulvis amoveatur, sed de בעיטה *calcatione*, mediantibus pedibus fieri, ut frangatur. *Vide illum ad l. Mischnæ cit.*

§. XVIII. *Sequitur commolitio*, quam memoratus Magister ab antecedentibus actibus clare distinguit. *v. Tract. de sacrificiis jugibus.* Cap. VIII. 3. Molarum autem usus erat antiquissimus, jam ævo Mosis notus, uti constat ex Exod. XI. 5. Deut. XXIV. 6. Tradente Textu Mischnico in tr. מנחות Cap. X. 4. Fertum duorum panum pentecostalium commolebatur ברחיים של גרוסות *mola fabaria*, qua fabæ leviter tantum frangebantur.

§. XIX. *Tandem sequebatur tritici commoliti curatior eribratio.* Hac de re placet R. *Simeon*, quanquam displiceat contribulibus suis, uti legimus tr. cit. Cap. VI. 7. qui asserit: *Vices cribrationis definitæ non sunt* אלא סלת מנופה כל צרכה *tantum simila cribranda est, quantum necesse.* Judæi vero pro παραδόσει quam Moses in monte Sinai acceperit, habent: *Manipulus*, qui in festo paschatis offerebatur, *cribrandus XIII. duo panes (pentecostales) XII. sed panis facerum XI. cribris* v. l. cit.

§. XX. *Usus tot cribrorum is tantum erat, ut subtilissimus ac purissimus farinæ flos præsto esset inserviretque fertis.* Secernebantur enim hac ratione non solum furfures, sed & farina crassior ceu cui cribra subtilissima transitum negaverant. Vide *ordinarios Glossatores ad l. cit.*

§. XXI. *Tanta floris farinæ cura nondum suffecerat. Quæstoris insuper erat illum examinare.* Unde tr. מנחות Cap. VIII. 2. *Quomodo inquirunt in similam? Quæstor manum suam immitit in medium. Si ascendit pulvis, reproba est, donec denuo cribraverit. Et si vermes produxerit, etiam reproba est.* Ne vero Judæi videantur citra rationem in tantilla, ut videtur, re soliciti, allegant Legem Num. XXVIII. 31. qua quoque ferta poscuntur תמימים *integra* absque labe & defectu.

§. XXII. Altera frumenti species in fertis usitata שערה sive *hordeum* erat. Hæc non assurgit ad pretium tritici, ut experientia docet. Unde ceu cibus equorum 1. Reg. IV. 28. notatur. Præclare *Rabban Gamaliel in tr.* סוטה Cap. II. 1. *Quemadmodum facta* (uxoris de adulterio suspectæ) *belluina fuere, ita fertum ejus* מאכל בהמה *esca belluarum.* Hinc quoque *Josephus L. Antiq.* V. c. 8. existimat, Israëlitas inter omnes gentes Asiaticas vilissimam sub pane hordeaceo sisti v. Jud. VII. 13.

§. XXIII.

§. XXIII. *Ex hordeo constabant duo tantum ferta, scil. uxoris de adulterio suspectæ, & manipulus paschalis.* De illo clara lex Num. V. 15. De hoc maxima probabilitate colligitur ex circumstantia temporis Lev. XXIII. 9 - 15. Consentientibus Judæis & Christianis. Quandoquidem de hoc manipulo plene scripsi in *Notis ad Goodw.* L. III. C. V. n. 3. alia non addo, quam hoc unicum. *Licet fertum manipuli ex hordeo quoque fuerit, offerebatur tamen* גרש *pollen vel farina subtilis. Sed fertum uxoris de adulterio suspectæ erat* קמח *farina*, cui nihil ademtum v. tr. סוטה Cap. II. 1.

§. XXIV. *Altera materia omnibus fertis communis sal erat*, postulante legislatore Lev. II. 3. *Omnem oblationem ferti tui* במלח תמלח *sale salies, nec cessare facies* מלח *salem fœderis Dei tui de omni ferto tuo.* (imo) cum omnibus oblationibus (non solum fertis, sed & sacrificiis) *offeres salem.* Lev. II. 13. Quo respicit Salvator Marc. IX. 48.

§. XXV. Legem hanc ex Monumentis Judæorum illustraturi *observamus, omnem quidem salem licitum, communiter tamen è mari sodomitico,* ceu qui parabilis atque acer erat, *sumtum fuisse.* Dein *Lege salitionis excipi prorsus nihil, quod aræ admovebatur, præter vinum, sanguinem & lignum* (de posteriori tamen lis adhuc est) unde qui insulsa obtulerat, verberibus multabatur, & fertum erat reprobum. Insuper *salem*, qui adhibebatur, *ære publico emtum fuisse*, licet privatus fertum obtulerat. De his consimilibusque vide *Dissert. meam de usu salis in cultu sacro* & *Maim. de rebus altari interdictis.* Cap. V. §. 11 - f.

§ XXVI. *Subsequitur fertorum materia, quæ aliquando abesse poterat, oleum & thus.* Oleum quod attinet, etiam in Judæa proc reverat. Deut. VIII. 8. Ejus frequens & varius usus non solum homines inter, sed & in cultu sacro erat. Quod hinc præstans habetur à Deo & hominibus Jud. IX. 9. Et quidem Deus olei usum destinaverat pro Lychnucho Exod. XXVII. 20. Inauguratione Sacerdotum Exod. XL. Purificatione leprosorum Lev. XIV. & parandis fertis. Lev. II. 1. 4.

§. XXVII. Lex divina discrimen facit oleum inter pro fertis & pro Lychnucho, nam hoc solum postulatur *purum, contusum* Exod. XXVII. 20. uti recte notat tr. מנחות Cap. VIII. 5. Sapientes,

entes olei species solicite distinguunt. Quasdam aræ inidoneas habent, ut oleum אנפיקנון (quod probabiliter græcorum Ὀμφάκιον *fructus immaturus est*) ex olivis nondum tertiam partem maturis expressum, nec non quod è granis aqua maceratis, aut conditis vel elixatis, ut & amurcarum, & quod odoris fœtidi est, *v. tr. & c. cit.* nec non *Maimonidem de rebus altari interdictis* Cap. VI. 14. Alias non quidem simpliciter reprobant, non tamen cum industria adferendas existimant. *Non adducebant oleum ex agro stercorato, neque siticuloso, neque etiam ex oleis, inter quas seminatum est. Si quis vero tale oleum adduxisset, recte tamen fecisset. Mischn. tr.* מנחות Cap. VIII. 3. Tandem novem alias olei species memorant, quas omnes fertis parandis prorsus legitimas censent. *tr. & c. cit.* §. 4. 5. *Eleasare* enim Judice, *lex pepercit opibus Israëlitarum Talm. Babyl.* f. 86. c. 2. Quæ attenuatæ fuissent Lege de oleo nonnisi selectissimo adhibendo. Narrant tamen pretio diversas species, ut Israëlitæ adferrent pretiosissimam, cultui Numinis convenientissimam, ut hæc deducit *Maimonides* tr. cit. §. 8 - f.

§. XXVIII. *De oleo fertorum tandem tenendum adhuc est, quod sæpius cit. tr. Mischnicus* Cap. VIII. 3. *refert : Oleum Thekoa præstantissimum est. Abba Saul ait : Huic proximum illud, quod provenit in Ragabh trans Jordanem. Omnes quidem regiones legitimæ habentur, sed illinc adducere soliti erant.* Per *Thekoa* recte intelligitur urbs tribus Judæ 2. Chron. XI. 5. 6. non vero tribus Ascher, uti nonnulli Judæi infirme colligunt ex Gen. XLIX. 20. & Deut. XXXIII. 24.

§. XXIX. *Omnium ultimo de Thure* Hebr. לבנה *agendum.* Hujus in fertis usus clara Lege præceptus est. Lev. II. 1. Non tamen quantitas ejus definita exstat. Magistri, ex quibus *Bartenoriensis*, putant, duo Thuris Grana sufficere, mensuram tamen usque ad duos pugillos augeri posse. At fertum reprobum reddi tum unico Grano tum quantitate duos pugillos excedente *v. illum ad tr.* מנחות Cap. I. 3. Communiter tamen pugillus Thuris incendebatur. Unde *Maimonides tr.* מעשה הקרבנות Cap. XVI. 13. *Si quis ita diceret : En ego voveo Thus, non minus pleno pugillo dabit.* Thus vero totum, nulla parte Sacerdoti cedente, igni dandum erat, ut idem habet *tr. & c. cit.* §. 11. Frequentior Thuris incensio odorem, quem caro sacrificiorum causata erat, depulerat, aëremque reddiderat suaviorem.

§. XXX. Quemadmodum ferta ex materia dicta constabant aut saltem constare poterant, sic *abesse debebat fermentum ac mel. Nullum fertum, quod Adonai offeretis, conficitur* חמץ *fermentatum. Nam nullum fermentum* (farinaceum) & *nullum mel* (vel dulce, quod ex fermentatione acorem facile contrahit) *adolebitis, ceu oblationem igne absumendam Adonai.*

§. XXXI. *Lex de fermento ab ara arcet omne fermentum non solum farinaceum, sed & aliud quodvis, in minima quoque quantitate.* Si vel accederet ad dimidiam nonnisi olivæ quantitatem, reprobum esset, ut Judæi recte ex vocula כל Lev. II. 11. colligunt: Iidem Legem extendunt ad שירי המנחות *Reliquias fertorum*, quæ Sacerdotibus cesserant. *v. quoque* Lev. VI. 10. Is, qui contra egerat, verberibus multabatur.

§. XXXII. Legi non contrariantur *Mischnici*, *quando ajunt:* כל המנחות באות מצה חוץ מחמץ שבתודה ושתי הלחם *Omnia ferta offeruntur infermentata, excipiuntur fermentum in sacrificio eucharistico, & duo panes* (pentecostales) *in tr.* מנחות Cap. V. 1. Præit enim Scriptura Lev. VII. 13. XXIII. 17. Dein licet hæc ferta fuerint, non tamen ad aram admovebantur Lev. II. 11. 12. Alia Judæorum exceptio minus fundata, saltem haud necessaria est, quando dicunt: *Si quis fermentum aut mel separatim in usum ligni ad altare admovisset, impune ferret. v. Maim. tr.* & *c. cit.* §. 3.

§. XXXIII. *Alterum, quod lex ara interdicit* דבש *dicitur*, communiter *Mel* vertitur, quam quoque notionem vox in sacris certo tenet. 1. Sam. XIV. 26. 27. 28. Recte tamen Judæi alia dulcia comprehendunt, ut mel Dactylorum, succum, qui ex fructibus dulcibus profluit. *v. R. Levi Barzelonitam* L. CXXVI. & *Raschium ad* Lev. II. 12. Quomodo Targum Hierosolymitanum כל דחלי *omne, quod dulce.* Quæ enim ratio Mellis, eadem aliarum rerum dulcium. Et sicut antea omnes res fermentatas proscripsit, ita hic res quasvis dulces. Quo quoque referre potes כל דבש. Accedit, quod Arabes hoc nomine indicent, *Mel è Dactylis fluens.*

§. XXXIV. *Ferta*, quorum materiam hactenus pensitavimus, *à Judæis varie dividuntur.* Et primo quidem in מנחות נסכים *ferta libaminum* & בפני עצמה *separata. Illa* sunt, quæ una cum victima

ctima offeruntur, & fine quibus nulla victima immolari poteſt. *Hæc* vero ſine ſacrificiis offeruntur. *v. Abarb. in Præf. ad* Lev. Cap. II & *Maim. in Præf. in tr.* מנחות ab initio.

§. XXXV. *Fertorum, quæ libaminum dicuntur, uſus eſt in ſacrificiis ex voto* aut *ſpontanea oblatione* Num. XV. 3. 4. Nullus vero uſus in ſacrificiis pro peccato, pro reatu, decimis, primogenitis, agno paſchali. Excipitur tamen ſacrificium pro reatu leproſi, & ſacrificium ejus pro peccato. v. Lev. XIV. & tr. מנחות Cap. IX. 6. Holocauſta quadrupedum, pacalia ſive publica ſive privata talia poſcunt ferta, non tamen ſacrificia avium, ut in libro *Siphri* exſtat. Aves vero, quæ quadrupedibus ſubſtitutæ, Libamen requirunt. Lev. XIV. 31.

§. XXXVI. *Ferta hæc in genere conſtabant ex ſimila & oleo* (de vino, quod proprie libamen conſtituit, alibi ſeorſim dicam Num. XV. 4.) *At menſura variat ſecundum diverſitatem generis & ætatis animalium*, ut habes Num. XV. 4-13. Excipe 1.) agnum die paſchatis ſecundo Deo conſecrandum, cujus ſimila duplicanda erat v. Lev. XXIII. 12. 13. 2.) Sacrificium pro peccato & pro reatu leproſorum Lev. XIV. 10. *Conf. Abarb. in Præf.* ad Lev. Cap. II.

§. XXXVII. De his fertis porro tenendum, quod *Miſchna tr.* מנחות Cap. VI. 2. habet: *Fertum libaminum altari cedit. Sacerdotes ex eo nihil accipiunt.*

§. XXXVIII. *Ferta à ſacrificiis ſeparata ratione offerentium ſubdividuntur* in *ferta* צבור *cœtus* ſive *publica* & היחיד *privata.*

§. XXXIX. *Ferta publica, quæ nomine totius cœtus offerebantur, tria ſunt.* Horum *primum* erat, Manipulus novarum frugum, altera die paſchatis offerendus Lev. XXIII. 9-15. Ex hoc plenus pugillus in ara adolebatur, reliquum ceſſerat Sacerdotio. Conſecrandum hoc erat, licet inciderit in Sabbathum. *v. Abarb. l. cit.* De quo alibi plura. *Alterum* conſtabat è duobus panibus pentecoſtalibus, de quo Lev. XXIII. 17. 18. 20. Vide *Not. IV. ad Goodw.* Lib. III. Cap. V. *Tertium* duodecim panes propoſitionis, à Sacerdotibus comedendi. *Vide Diſſert. de Tabernaculo* &c. §. 31.

§. XL. *Ferta privata* à Maimonide & Abarbanele *locis ſupra citatis ſubdividuntur in quinque ſpecies. Primæ ſpeciei* ſunt חוטא *peccan-*

tis, qui unum ex peccatis Lev. V. 1 - 5. recensitis commiserat, ac ideo ad sacrificium piaculare ex pecore vel avibus adstrictus erat, qui tamen, si præ paupertate tale offerre haud poterat, tenebatur, ad decimam Ephæ ex simila partem, sed sine thure & oleo. Lev. V. 11.

§. XLI, *Secundæ speciei* est fertum קנאות *zelotypiæ* offerendum ab uxore de adulterio suspecta ad purgandum se à suspicione adulterii. Constabat illud è farina hordeacea sine thure & oleo. Num. V. 25.

§. XLII. *Tertiæ speciei* est fertum על דרך העברה *improprie* dictum à Sapientibus, de quo Num. V. 15. quod tamen propriam ferti naturam non habuerat, agnoscentibus Rabbinis, *Maimonide* & *Abarbanele*, *locis sæpius citatis*.

§. XLIII. *Quartæ speciei* est *fertum Sacerdotum*, & quidem tum חינוך *initiationis*, si munus sacerdotale anno vigesimo non Lege quidem divina, sed Consacerdotum voluntate aggrediebantur, cujus fundamentum Rabbini quærunt in Lev. VI. 13. *tum Pontificis M.* quod ab illo singulis diebus consecrandum erat, quod alias nomine *sartaginum Pontificis* venit. Constabat illud è decima similæ ac totum in ara incendendum erat Lev. VI. 13. 15.

§. XLIV. *Quintæ* & ultimæ *speciei* fertum est vi *voti aut voluntariæ oblationis* sacrum, quod sub se continet fertum *similæ*, *coctum in furno è placentis*, *laganis*, *sartaginis*, *aheni* (v. supra §. 7.) Hæc, quæ de variis fertorum speciebus hactenus dicta sunt, à sacrificaturis probe observanda erant, unum quodque enim fertum suo proprio nomine, ut *sartaginis*, *aheni*, in Templo offerendum. Alias sacrificaturus officio non satisfecerat. Imo si munera peccatoris & zelotypiæ alieno nomine pugillo collecta, in vas reposita vel incensa fuerint, reproba habebantur. *Tr.* מנחות Cap. I. 1.

§. XLV. Ex dictis constat, ferta quoque recte dividi *in præcepta & libera*. Exempla in supra dictis plura prostant. Publica cuncta imperata erant.

§. XLVI. *Ratione consumtionis ferta alia tota in ara comburebantur. Alia ex parte tantum, ex parte à Sacerdotibus comedebantur. Alia Sacerdotibus tota cesserant. Illa* sunt, veluti ferta initiationis Sacerdotum

tum, fartaginum Pontificis Lev. VI. 16. Sacerdotum peccantium & libaminum. *Ista* vero ferta peccatoris Lev. V. 12. Zelotypiæ Num. V. 26. Similæ, fartaginis, aheni, placentarum, laganorum, gentilium, mulierum, manipuli pafchalis. *Hæc* vero duo panes pentecoftales, & duodecim panes propofitionis. *Vide tr.* מנחות Cap. VI. 1. 2. *cum Gloffatoribus.* Si vero thus ferto addendum, femper illud integrum igni dandum erat. *v. fupra* §. 29.

§. XLVII. *Ratione quantitatis ferta quædam definitam menfuram habebant, alia liberam. Illa* funt ferta, veluti publica, duo panes pentecoftales. XII. panes propofitionis, manipulus pafchalis, ferta peccatoris, zelotypiæ, initiationis Sacerdotum, fartaginum Pontificis, & quæ libaminum dicuntur. Et quidem panes pentecoftales conftare debebant ex duabus fimilæ decimis Lev. XXIII. 17. XII. Panes propofitionis vero ex XXIV. decimis Lev. XXIV. 5. Sequentium quinque unumquodque ex decima *v. Maim. de facrificiis* Cap. XII. 5. Fertorum, quæ libaminum dicuntur, menfura hæc eft. Quando holocauftum vel pacificum ex agnis aut hœdis offerebatur, fertum erat decima fimilæ pars cum quartario hin olei fubacta & quartario vini. Si vero oblatum illud ex arietibus, tum continebat fertum duas decimas cum triente olei mixtas, & triente vini. Sed fi ex pecore bovino alterutrum facrificium defumtum, fertum tenebat tres decimas cum dimidio hin olei fubactas & dimidio hin vini. v. Num. XV. 4 - 12. & *Abarb. in Præf. ad* Lev. C. II. Adde exceptiones de quibus fupra §. 36. Menfura hæc definita curate ab offerentibus obfervanda erat, ita ut ejus abundantia æque ac defectus fertum conftituiffet vitiofum. *v. tr.* מנחות Cap. III. 5. & *Maim. de facrificiis* Cap. II. 5. *Hæc* vero funt ferta privata ex voto vel fpontanea oblatione facra. Neque enim legislator menfuram determinaverat. Sapientes tamen quodammodo determinant. Nullum ex his fertis infra decimam fimilæ, nullum quoque fupra LX. decimas continere debet *v. tr.* מנחות Cap XII. 4. XIII. 1. Conftitutionis hujus ratio credibiliter hæc eft. Fertum vel viliffimum, cujus menfuram lex exprimit, decima conftabat. Num. V. 15. & Lev. V. 11. Sed ferta ditiffima, quæ vel ab integro cœtu offerebantur, conftabant ex una & LX. decimis; Quemadmodum factum die prima fefti Tabernaculorum, fi illa inciderat in Sabbathum. Sufficiunt autem, inquiunt *Mifchnici l. c.* fi privatus inferior

tis, qui unum ex peccatis Lev. V. 1 - 5. recensitis commiserat, ac ideo ad sacrificium piaculare ex pecore vel avibus adstrictus erat, qui tamen, si præ paupertate tale offerre haud poterat, tenebatur, ad decimam Ephæ ex simila partem, sed sine thure & oleo. Lev. V. 11.

§. XLI, *Secundæ speciei* est fertum קנאות *zelotypiæ* offerendum ab uxore de adulterio suspecta ad purgandum se à suspicione adulterii. Constabat illud è farina hordeacea sine thure & oleo. Num. V. 25.

§. XLII. *Tertiæ speciei* est fertum על דרך העברה *improprie* dictum à Sapientibus, de quo Num. V. 15. quod tamen propriam ferti naturam non habuerat, agnoscentibus Rabbinis, *Maimonide* & *Abarbanele*, *locis sæpius citatis.*

§. XLIII. *Quartæ speciei* est *fertum Sacerdotum*, & quidem tum חינוך *initiationis*, si munus sacerdotale anno vigesimo non Lege quidem divina, sed Consacerdotum voluntate aggrediebantur, cujus fundamentum Rabbini quærunt in Lev. VI. 13. *tum Pontificis M.* quod ab illo singulis diebus consecrandum erat, quod alias nomine *sartaginum Pontificis* venit. Constabat illud è decima similæ ac totum in ara incendendum erat Lev. VI. 13. 15.

§. XLIV. *Quintæ* & ultimæ *speciei* fertum est vi *voti aut voluntariæ oblationis* sacrum, quod sub se continet fertum *similæ*, *coctum in furno è placentis*, *laganis*, *sartaginis*, *aheni* (v. supra §. 7.) Hæc, quæ de variis fertorum speciebus hactenus dicta sunt, à sacrificaturis probe observanda erant, unum quodque enim fertum suo proprio nomine, ut *sartaginis*, *aheni*, in Templo offerendum. Alias sacrificaturus officio non satisfecerat. Imo si munera peccatoris & zelotypiæ alieno nomine pugillo collecta, in vas reposita vel incensa fuerint, reproba habebantur. *Tr.* מנחות Cap. I. 1.

§. XLV. Ex dictis constat, ferta quoque recte dividi *in præcepta & libera.* Exempla in supra dictis plura prostant. Publica cuncta imperata erant.

§. XLVI. *Ratione consumtionis ferta alia tota in ara comburebantur. Alia ex parte tantum, ex parte à Sacerdotibus comedebantur. Alia Sacerdotibus tota cesserant. Illa* sunt, veluti ferta initiationis Sacerdotum

tum, sartaginum Pontificis Lev. VI. 16. Sacerdotum peccantium & libaminum. *Ista* vero ferta peccatoris Lev. V. 12. Zelotypiæ Num. V. 26. Similæ, sartaginis, aheni, placentarum, laganorum, gentilium, mulierum, manipuli paschalis. *Hæc* vero duo panes pentecostales, & duodecim panes propositionis. *Vide tr.* מנחות Cap. VI. 1. 2. *cum Glossatoribus.* Si vero thus ferto addendum, semper illud integrum igni dandum erat. *v. supra* §. 29.

§. XLVII. *Ratione quantitatis ferta quædam definitam mensuram habebant, alia liberam. Illa* sunt ferta, veluti publica, duo panes pentecostales, XII. panes propositionis, manipulus paschalis, ferta peccatoris, zelotypiæ, initiationis Sacerdotum, sartaginum Pontificis, & quæ libaminum dicuntur. Et quidem panes pentecostales constare debebant ex duabus similæ decimis Lev. XXIII. 17. XII. Panes propositionis vero ex XXIV. decimis Lev. XXIV. 5. Sequentium quinque unumquodque ex decima *v. Maim. de sacrificiis* Cap. XII. 5. Fertorum, quæ libaminum dicuntur, mensura hæc est. Quando holocaustum vel pacificum ex agnis aut hœdis offerebatur, fertum erat decima similæ pars cum quartario hin olei subacta & quartario vini. Si vero oblatum illud ex arietibus, tum continebat fertum duas decimas cum triente olei mixtas, & triente vini. Sed si ex pecore bovino alterutrum sacrificium desumtum, fertum tenebat tres decimas cum dimidio hin olei subactas & dimidio hin vini. v. Num. XV. 4 - 12. & *Abarb. in Præf. ad* Lev. C. II. Adde exceptiones de quibus supra §. 36. Mensura hæc definita curate ab offerentibus observanda erat, ita ut ejus abundantia æque ac defectus fertum constituisset vitiosum. *v. tr.* מנחות Cap. III. 5. & *Maim. de sacrificiis* Cap. II. 5. *Hæc* vero sunt ferta privata ex voto vel spontanea oblatione sacra. Neque enim legislator mensuram determinaverat. Sapientes tamen quodammodo determinant. Nullum ex his fertis infra decimam similæ, nullum quoque supra LX. decimas continere debet *v. tr.* מנחות Cap. XII. 4. XIII. 1. Constitutionis hujus ratio credibiliter hæc est. Fertum vel vilissimum, cujus mensuram lex exprimit, decima constabat. Num. V. 15. & Lev. V. 11. Sed ferta ditissima, quæ vel ab integro cœtu offerebantur, constabant ex una & LX. decimis; Quemadmodum factum die prima festi Tabernaculorum, si illa inciderat in Sabbathum. Sufficiunt autem, inquiunt *Mischnici l. c.* si privatus inferior

Ecclesia una decima. *Maimonides* hujus constitutionis non videtur memor, quando scripserat: *Quoad quinque illa ferta, quæ vi voti, aut spontaneæ oblationis sacra sunt, offerre quis potest* כל מה *quantum lubet* אפילו אלף עשרון *etiam mille decimas.*

§. XLVIII. *Circa ferta aliæ actiones Israëlitarum offerentium sunt, aliæ Sacerdotum.*

§. XLIX. *Israëlitarum erat, ferta*, quæ vel ex debito vel ex libertate sacra debuerant, *ex suis adducere.* Et quidem publica emebantur ære publico tr. שקלים Cap. IV. 1. Privatus aliquis non habuerat copiam sumtus pro cœtu solvendi. Privata vero ex bonis privatis adducebantur. Juxta Legem Israëlitis liberum erat ferta in natura adferre. Subsequente tempore similam, thus, oleum, vinum (non tamen salem v. supra §. 25.) in ipso Templo ære emerant. Hæc lucem accipiunt ex Tractatu *Mischnæ* citato Cap. V. 3. 4. *Quatuor species sigillorum erant in sanctuario, quibus inscripta erant* עגל *Vitulus:* זכר *aries* (obscure vertunt: Masculus) גדי *hædus* חוטא *peccans. At Ben Asai inquit: Quinque fuerunt, & syriace inscriptum erat: Vitulus, aries, hædus* חוטא דל *peccator pauper &* חוטא עשיר *peccator dives. Qui sibi* נסכים *libamina* (potius ferta) *comparare vult, is adit Johanan præfectum sigillorum, cui pecuniam solverat, acceperatque ab illo sigillum, quod postea fert ad Achiam præfectum fertorum, à quo loco sigilli fertum accipit. Sub vesperam conveniunt hi duo præfecti. Achias promit sigilla & accipit pecuniam.* Confer dicta cum *fertis libaminum*, de quibus supra §. 45. & 35. Et causas sigillorum varie notatorum cognosces. *Ben Asai* autem ideo distincta sigilla *peccatoris pauperis & divitis* statuit, quoniam leprosus dives ad alia ferta, & pauper ad alia obstrictus erat. v. Lev. XIV. 10. 21.

§. L. *Unumquodque fertum pro diversa natura parandum erat.* Præparatio omnium minima circa *fertum zelotypiæ.* Decima farinæ hordeaceæ apportabatur corbe saligneo, quam maritus de adulterio suspectæ inde depromserat, posueratque in vas sanctum, & postea dederat uxori suæ tr. סוטה Cap. III. 1.

§. LI. *Fertum similæ* quod attinet, Maimonide recensente ita se habet. Oleum primo vasi inditur. Tum additur simila. Postea superadditur aliquid olei, quod cum simila commiscetur. Tum totum

tum hoc ponebatur בכלי שרת *in vas Ministerii*, in quod denuo oleum infundebatur. Tandem adjiciebatur Thus. Tr. מעשה הקרבנות Cap. XIII. 5. Conf. *Mischnam tr.* מנחות Cap. VI. 3.

§. LII. *Fertum sartaginis & aheni* vero parabatur in sequentem modum. Oleum primo vasi indebatur. Deinde addebatur simila. Rursus addebatur aliquid olei, quod cum simila commiscebatur. Tum pinsebatur mola בפושרין *aqua tepida*, atque juxta diversitatem voti coquebatur vel in sartagine, vase plano, aut in aheno, vase profundo. Post discindebatur in frusta, atque in vase sacro ponebatur, & perfundebatur reliquo olei, addito tandem Thure. *v. l. cit.*

§. LIII. *Fertum in furno coquendum vel ex placentis vel ex laganis constabat.* Placentarum crassiorum, quæ חלות dicuntur, parandarum hæc ratio dicitur. Simila cum oleo miscebatur. Tum depsebatur aqua tepida. Postea coquebatur. Hinc in frusta frangebatur, ponebaturque in vas Ministerii, & tandem thus addebatur nullo tamen oleo affuso. At laganorum tenuium, quæ רקיקין vocantur, sequens: Simila depsebatur aqua tepida. Tum lagana oleo ungebantur. Nam, quod Sapientes affirmant *tr.* מנחות Cap. VI. 3. *Placentæ poscunt* בלילה *commixtionem cum oleo sed lagana* משוחין *ungenda sunt*, *& quidem* כמין כי *in formam Græcorum* X.

§. LIV. *Fertum sartaginum Pontificis à Maimonide* describitur: Adferebatur decima integra dividebaturque in duas dimidias decimas, quæ in sanctuario erant. Simul adferebantur tres logi olei. Tum oleum cum simila commiscebatur, aqua fervida perfundebatur, pinsebaturque. Ex qualibet dimidia decima efficiebantur placentæ sex, & per consequens in universum duodecim. Unaquæque harum XII. placentarum seorsim fiebat Mediante quartario, qui in sanctuario asservabatur, dividebantur tres illi lagi in XII. partes, ut ita quartarius ad unamquamque placentam adhibitus fuerit. Ab initio placenta paululum coquebatur, tum frigebatur in sartagine cum oleo, quod reliquum è quartario. Postea unaquæque placenta per conjecturam in duas dividebatur partes, quarum una mane, sub vespera altera offerebatur. Porro autem unaquæque pars duplicabatur, atque in frusta discindebatur, sic ut unumquodque frustum complicatum esset ac geminatum. Ac dimidium

dium eorum mane sacrificabatur cum dimidio pugillo thuris]& dimidium residuum vesperi cum dimidio pugillo thuris.

§. LV. *Modus parandi fertum initiationis Sacerdotum* cum sartaginibus Pontificis convenit. Non tamen dividebatur, sed offerebatur totum cum pugillo thuris *v. l. cit.*

§. LVI. *De parandis fertis publicis, ut manipulo paschali, duobus panibus pentecostalibus, & XII. panibus propositionis alibi actum*, ubi ad ductum *Goodwini* hæc jura exponenda erant.

§. LVII. *Ferta rite parata à proprietariis ad Sacerdotes in Templum portabantur. Maim. tr. de Sacrificiis* Cap. XIII. 12. *Exportabat quisque è domo similam quasillis* (*R. Levi Barselonita* generatim habet בכלים *Vasis* ad Leg. CXVI.) *aureis, argenteis, vel etiam ex alio metallo. Poscebatur vas, quod vasi sacro conveniret.* Excipitur tamen vas in usum ferti zelotypiæ.

§. LVIII. *Quæ vero vasis communibus allata erant, postea ponebantur* בכלי שרת *in vasa ministerialia atque in his consecrabantur*, narrante *Maimonide* l. cit.

§. LIX. *Ferta quædam, quæ in Templum adducta, agitanda erant.* Ritus hic in sacris nomine תנופה venit. Generaliori notione notat *agitationem* ferti versus quatuor mundi plagas, nec non cœlum & terram versus, quæ posterior specialiori acceptione alias dicitur תרומה. Agitatio hæc dici potest functio mixta. Agitat enim, aut saltem aliquando agitandi jus habet laicus cum Sacerdote. Unde tr. סוטה Cap. III. 1. *Sacerdos manum suam supponit* manui uxoris de adulterio suspectæ fertum gestantis ומניפה & *agitat id. Agitationes vero* semper *antecedant* להגשות *adductiones ad aram*, ut tradit *Mischna* Cap. V. 6.

§. LX. *Agitatione peracta ferta* (*non tamen omnia*) *adducebantur ad aram*, & quidem *ad acumen cornu meridionalis occidentalis*, ut habet *Bartenoriensis* ad tr. מנחות Cap. V. 5. Hæc vero functio sacerdotalis tantum.

§. LXI. *Notandum hic quoque discrimen fertorum circa agitationem & adductionem.* Quædam enim ab utroque ritu libera, quemadmodum panes propositionis & ferta libaminum. Hæc tamen non absolu-

absolute libera habenda videntur. Quædam nonnisi adstricta ad agitationem, ut panes pentecostales & Logus olei leprosi, ejusdemque reatus. Alia ad solam adductionem, ut munus similæ, sartaginis, aheni, è placentis, è laganis, sacerdotum, sacerdotis uncti, gentilis, mulierum & peccatorum. Alia denique & ad agitationem & ad adductionem, ut manipulus paschalis & fertum zelotypiæ. *v. tr.* מנחות Cap. V. 5. 6.

§. LXII. *Fertum, quod agno jugi apponebatur, ut & Pontificis quotidianum ab uno; Quod ex ariete constabat, à duobus; Quod vero è pecore bovino, à tribus in altare gestabatur* v. tr. יומא Cap. II. 5. 6. 7.

§. LXIII. *Quædam ex fertis in aram apportata tota comburebantur.* De fertis sacerdotum lex clara prostat Lev. VI. 16. Quo *R. Levi Barzelonita* speciatim etiam refert *fertum Sacerdotis peccantis aut offerentis fertum voluntarium.* Ad Leg. CXXXIII. *Mischnici* huic classi accensent *ferta* נסכים *libaminum*, quæ cum animalibus offerenda erant v. tr. מנחות Cap. VI. 2. quos Magistri passim sequuntur. At dubitat Cl. *Lundius* in den Jüdischen Heiligthümern Lib. III. Cap. XXXI. n. 71. tum ob Lev. IX. 17. X. 12. tum ob *R. Levi Barzelonitam* excipientem sola sacerdotum ferta. *Mischnicis* præter παράδοσιν constantem favet locus classicus Num. XV. 4-13. qui combustionis horum fertorum ex parte nullam prorsus mentionem facit. Ferta vero Lev. II. alius naturæ sunt. Testimonium *R. Levi Barzelonitæ* non contrariatur. Nam non loquitur de fertis libaminum ex parte incendendis. Favet quoque *Josephus* Sacerdos Lib. III. Cap. IV. *Lundio* non prorsus negante.

§. LXIV. *Duo ferta tota cesserant Sacerdotibus.* Panes scil. pentecostales & XII. propositionis tr. מנחות Cap. VI. 2.

§. LXV. Reliqua ferta, ut quæ ex voto aut spontanea promissione consecrabantur, ferta gentilium, mulierum, manipulus paschalis, fertum peccatoris & zelotypiæ partim altari, partim Sacerdotibus cesserant tr. מנחות Cap. VI. 1.

§. LXVI. Et quidem cesserat altari totum thus & insuper pugillus ferti. Cujus ratio ex explicatione *R. Levi Barzelonitæ* hæc erat: Ritus קמיצה est, *cum Sacerdos de farina accipit pugillo suo sive extremitatibus digitorum suorum tantum, quantum pugillo capit quilibet, qui*

dium eorum mane sacrificabatur cum dimidio pugillo thuris] & dimidium residuum vesperi cum dimidio pugillo thuris.

§. LV. *Modus parandi fertum initiationis Sacerdotum* cum sartaginibus Pontificis convenit. Non tamen dividebatur, sed offerebatur totum cum pugillo thuris *v. l. cit.*

§. LVI. *De parandis fertis publicis, ut manipulo paschali, duobus panibus pentecostalibus, & XII. panibus propositionis alibi actum*, ubi ad ductum *Goodwini* hæc jura exponenda erant.

§. LVII. *Ferta rite parata à proprietariis ad Sacerdotes in Templum portabantur. Maim. tr. de Sacrificiis* Cap. XIII. 12. *Exportabat quisque è domo similam quasillis* (*R. Levi Barselonita* generatim habet בכלים *Vasis* ad Leg. CXVI.) *aureis, argenteis, vel etiam ex alio metallo. Poscebatur vas, quod vasi sacro conveniret.* Excipitur tamen vas in usum ferti zelotypiæ.

§. LVIII. *Quæ vero vasis communibus allata erant, postea ponebantur* בכלי שרת *in vasa ministerialia atque in his consecrabantur*, narrante *Maimonide* l. cit.

§. LIX. *Ferta quædam, quæ in Templum adducta, agitanda erant.* Ritus hic in sacris nomine תנופה venit. Generaliori notione notat *agitationem* ferti versus quatuor mundi plagas, nec non cœlum & terram versus, quæ posterior specialiori acceptione alias dicitur תרומה. Agitatio hæc dici potest functio mixta. Agitat enim, aut saltem aliquando agitandi jus habet laicus cum Sacerdote. Unde tr. סוטה Cap. III. 1. *Sacerdos manum suam supponit* manui uxoris de adulterio suspectæ fertum gestantis ומניפה *& agitat id. Agitationes vero* semper *antecedant* להגשות *adductiones ad aram*, ut tradit *Mischna* Cap. V. 6.

§. LX. *Agitatione peracta ferta (non tamen omnia) adducebantur ad aram*, & quidem *ad acumen cornu meridionalis occidentalis*, ut habet *Bartenoriensis* ad tr. מנחות Cap. V. 5. Hæc vero functio sacerdotalis tantum.

§. LXI. *Notandum hic quoque discrimen fertorum circa agitationem & adductionem.* Quædam enim ab utroque ritu libera, quemadmodum panes propositionis & ferta libaminum. Hæc tamen non absolu-

absolute libera habenda videntur. Quædam nonnisi adstricta ad agitationem, ut panes pentecostales & Logus olei leprosi, ejusdemque reatus. Alia ad solam adductionem, ut munus similæ, sartaginis, aheni, è placentis, è laganis, sacerdotum, sacerdotis uncti, gentilis, mulierum & peccatorum. Alia denique & ad agitationem & ad adductionem, ut manipulus paschalis & fertum zelotypiæ. *v. tr.* מנחות Cap. V. 5. 6.

§. LXII. *Fertum, quod agno jugi apponebatur, ut & Pontificis quotidianum ab uno; Quod ex ariete constabat, à duobus; Quod vero è pecore bovino, à tribus in altare gestabatur* v. tr. יומא Cap. II. 5. 6. 7.

§. LXIII. *Quædam ex fertis in aram apportata tota comburebantur.* De fertis sacerdotum lex clara prostat Lev. VI. 16. Quo R. *Levi Barzelonita* speciatim etiam refert *fertum Sacerdotis peccantis aut offerentis fertum voluntarium.* Ad Leg. CXXXIII. *Mischnici* huic classi accensent *ferta* נסכים *libaminum*, quæ cum animalibus offerenda erant v. tr. מנחות Cap. VI. 2. quos Magistri passim sequuntur. At dubitat Cl. *Lundius* in den Jüdischen Heiligthümern Lib. III. Cap. XXXI. n. 71. tum ob Lev. IX. 17. X. 12. tum ob R. *Levi Barzelonitam* excipientem sola sacerdotum ferta. *Mischnicis* præter παράδοσιν constantem favet locus classicus Num. XV. 4-13. qui combustionis horum fertorum ex parte nullam prorsus mentionem facit. Ferta vero Lev. II. alius naturæ sunt. Testimonium R. *Levi Barzelonitæ* non contrariatur. Nam non loquitur de fertis libaminum ex parte incendendis. Favet quoque *Josephus* Sacerdos Lib. III. Cap. IV. *Lundio* non prorsus negante.

§. LXIV. *Duo ferta tota cesserant Sacerdotibus.* Panes scil. pentecostales & XII. propositionis tr. מנחות Cap. VI. 2.

§. LXV. Reliqua ferta, ut quæ ex voto aut spontanea promissione consecrabantur, ferta gentilium, mulierum, manipulus paschalis, fertum peccatoris & zelotypiæ partim altari, partim Sacerdotibus cesserant tr. מנחות Cap. VI. 1.

§. LXVI. Et quidem cesserat altari totum thus & insuper pugillus ferti. Cujus ratio ex explicatione R. *Levi Barzelonitæ* hæc erat: Ritus קמיצה est, *cum Sacerdos de farina accipit pugillo suo sive extremitatibus digitorum suorum tantum, quantum pugillo capit quilibet, qui*

extensa vola extremitatibus digitorum potest, ita ut digiti volæ adhæreant, neque multum farinæ prehendant. Ad Leg. CXXXIII. Fertnm reprobum habebatur tum grandiori pugillo, tum quantitate minori, veluti si non exæquasset magnitudinem duarum olivarum, ut habet *Maim. tr.* מעשה הקרבנות Cap. XIII. c. f. Pugillus rite exemtus in vas sacrum ponebatur, consecrabaturque: Consecrabatur & sumebatur quoque omne thus, ponebaturque super exemto ferti pugillo illo, qui vasi inerat, ac super altare portabatur, ubi post salitionem è vase sacro igni consumendus tradebatur.

§. LXVII. Hæc pugno, & quidem dextro, capiendi ratio & difficilis, & solorum Sacerdotum, nec aliorum, quam νομίμως se habentium, habetur. v. tr. מנחות Cap. I. 2. Quæ, & nonnulla antecedentia lucem accipiunt ex sequentibus, apud *Maimonidem tr.* מעשה הקרבנות Cap. XII. f. *Fertorum fruges molebantur ac cibrabantur extra sanctuarium: At pinsebantur & coquebantur intra sanctuarium. Atque omnia ipsorum opera ab alieno (qui non Sacerdos) recte fieri poterant, donec offerebantur ad locum, quo eximebatur pugillus. Erant in atrio sartago, ahenum. Ambo hæc vasa ex ministerialibus erant, ac consecrabant contenta. Erat quoque in sanctuario furnus è metallo.*

§. LXVIII. Exemto pugillo quod residuum erat, in sacris vocatur הנותרת מן המנחה Lev. II. 3. 10. apud Rabbinos vero שירי מנחות *Reliquiæ fertorum* atque hoc omne solis Sacerdotibus cesserat *l. cit.* & quidem sexus masculini. Quanquam enim alia sacra fœminis familiæ sacerdotalis dari quoque poterant Num. XVIII. 19. reliquiæ hæ à solis masculis comedebantur. Naturam quippe habent קדש קדשים *rerum sanctissimarum*, in quas fœminis nullum jus Lev. VI. 22. Vide *Maim. tr. de sacrificiis* Cap. X. 3.

§. LXIX. Jus hoc quod lex Sacerdotibus generatim attribuit, Magistri specialius deducunt, observantque, non alios de reliquiis participare, quam idoneos. Qui inidonei ad cultum, inidonei ad comestionem habentur *v. Maim. de sacrificiis* Cap. X. 14. Participare dein illos, qui ea die ministrarunt, sive functio eorum circa aram occupata fuerit, sive non *l. c.* duodecim vero propositionis panes divisos fuisse inter classem Ministerio abeuntem & accedentem, ut unaquæque sex panes ad dividendum acceperit. *Idem in tr. de sacrificiis jugibus* Cap. IV. 12. Si autem Sabbathum incidisset, in

in unam ex tribus ſolennitatibus, tum cunctæ claſſes, quæ adeſſe ſolebant, panes æqualiter inter ſe partitæ erant. *l. cit.*

§. LXX. Hæc concernunt Sacerdotes gregarios, non item Pontificem M. Hic quippe ad partitionem non adſtringebatur. Sumſerat enim כל מה שירצה *omne quod voluerat. Maim. tr. de ſacrificiis.* Cap. X. 18. Copia ei erat, vel ſex panes propoſitionis in ſuum uſum accipiendi Lev. XXIV. 9. nec non unum ex duobus panibus pentecoſtalibus. Honoris, cui conſuluerat, gratia fruſtum nunquam ſumſerat. *v. Maim. de ſacrificio jugi* Cap. IV. ſ. & Cap. VIII. 11.

§. LXXI. Eo quod ferta jura ſanctiſſimorum habuerant, locus comeſtionis determinatus poſcebatur. Moſes de loco ſtatuerat Lev. VI. 9. *In loco ſancto, in atrio tentorii Conventûs comedantur.* Conf. Lev. XXIV. 9. Num. XVIII. 9. 10. quem Judæi varie exprimunt. *Sancta ſanctorum edebantur* לפנים מן הקלעים *intra vela* (cum reſpectu ad Tabernaculum) *ſancta levia vero* בכל מחנה ישראל *in omnibus Iſraëlis caſtris tr.* זבחים Cap. XIV. 3. *Maimonides tr.* בכורים Cap. I. 4. במקדש *in ſanctuario*, non in urbe Hieroſolymitana, ubi agnus paſchalis comedebatur.

§. LXXII. Quæ hactenus ex ſacris plenius de fertis & variis eorum ſpeciebus diximus, Deum auctorem habent ac pertinent ad חקים Δόγματα, quibus olim Deus populum ſuum & oneravit & ornavit. Quum vero Deus ſapientiſſimus ſit, liquet, illum gravibus rationibus motum Leges quoque has dediſſe.

§. LXXIII. *Certiſſimum eſt, ferta, etiam maxime eximia, ut conſtabant ex ſimila puriſſima, ſale condita, oleo mixta, thure aucta absque ullo fermento & melle in ſe Numini grata haud exſtitiſſe.* Neque enim conveniunt cum natura Dei ſpirituali. Ut non delectatur carne boum, nec ſanguinem hircorum ſitit, ſic non comedit panem vel ſimilagineum, præſtanti licet oleo bene oblitum Pſal. L. 13. Alias nunquam haberet fertum ceu munus שוא *vanum* Eſ. I. 13. Imo victimam caninam Eſ. LXVI. 3. Avide acceptaret *flumina olei* Mich. VI. 7. & Cainum, qui omnium primo fertum obtuliſſe legitur, benevole aſpexiſſet Gen. IV. 3.

§. LXXIV. *Sequitur ergo, aliud esse, quod Deum Israëlis moverat ad Leges ejusmodi farinarias ferendum. Moverat autem tum σχέσις ejus externa, quæque in omnium oculos incurrerat, tum etiam interna, Israëli spirituali nota.*

§. LXXV. *Si ad σχέσιν priorem attendimus, clarum est, Deum se Israëlis regem, Canaanis Dominum gessisse, atque ideo præcepisse, ut a populo suo omni illa subjectione & reverentia honoraretur, qua alius populus regem suum honorare solet.* Hic vero מנחות *munera* subjectionem testaturus miserat, quemadmodum exempla in sacris prostant plura v. 2. Sam. VIII. 2. 6. 1. Reg. IV. 21. 2. Reg. XVII. 4. Inservierant dein ejusmodi munera ministrorum sustentationi.

§. LXXVI. Hunc vero scopum Legibus memoratis assecutus erat Deus. Israël ferta, eaque selectissima ליהוה *Adonai* in sanctuarium adferens Deum tanquam regem suum veneratus fuerat, testatusque erat, terram, & quæ fruges in ea proveniunt, Dei esse. Id quod singulariter ostendebatur tum *Manipulo hordeaceo* in messis exordio, tum *duobus panibus pentecostalibus* in fine messis, tum etiam XII. *panibus propositionis* nomine publico offerendis. Declaraverat populus ritibus his solennibus, messem Dei esse, se ex solo Numinis indultu fruges demetere, benedictionem divinam expetere, ac pro concessa messe publicas dare grates; Duodecim Israëlis tribus munificentia Dei vivere.

§. LXXVII. Quando vero Rex Israëlis *Spiritus*, qui farina non alitur, est, parum de ferto igne incendebatur, reliquiæ alendis Ministris inserviverant. Convenienter tamen excipiebantur ferta sacerdotalia tota igne absumenda. Neque enim decuisset, ut ipsi Sacerdotes sua absumerent dona.

§. LXXVIII. Hæc vel carnales Israëlitæ cernere poterant & debebant. Nec tamen omnem sensum Legis tanto Legislatore dignum exhauriunt. Alia, quæ magis latent, & πνευματικῆς δηλώσεως sunt, intendi maxima veritatis specie asseritur. Si enim lex ceremonialis in genere rerum spiritualium & evangelicarum umbra est Hebr. X. 1. Coloss. II. 16. 17. quare non etiam lex de fertis integro capite, scil. Lev. II. lata, ac toties repetita deductaque, ut ex superioribus constat? Si solus ille scopus, quem *politicum* vel cum aliis *moralem* vocare posses, à Deo intentus esset, tot Leges,

quæ

quæ partes, ſpecies, modos fertorum definiunt, haud neceſſariæ fuiſſent. Nec ferta ideo קדש קדשים *ſanctiſſima* aut אשה ריח ניחוח ליהוה *ignitum, odor bonæ fragrantiæ Jehovæ* dicerentur Lev. II. 3. 4. 9. Et quare tanta ſolicitudine ſalis uſus mandaretur, at fermenti & mellis prohiberetur ? Vide Lev. II. 11. 13. Iſraëlita quippe melle æque Regem ſuum honoraſſet ac farina Accedit, quod lex hæc farinaria annumeretur aliis ritibus typicis, holocauſtis, pacalibus, piacularibus v. Lev. I. II. III. Pſal. XL. 7. Quæ vero horum ratio, eadem fertorum. Ultimo maxime notandum, quod tum ferta in genere, tum quædam in ſpecie, tum partes ea conſtituentes ceu typica in ſacris allegentur. Ex V. Teſtamento huc refer Jeſ. LXVI. 20. Malach. I. 11. Ex novo vero Hebr. V. 1. VIII. 3. IX. 9. X. 5. Eph. V. 2. 1. Cor. XV. 20. Jac. I. 18. Marc. IX. 49. 1. Cor. IX. 6-9. Luc. XII. 1.

§. LXXIX. Generalia hæc ſatis certa, liquidaque, ſaltem illis, qui ſapientiam & ſpiritualem naturam legum ceremonialium juxta fundamenta & ductum Evangelii ſcrutantur, agnoſcunt, æſtimant, diligunt, admirantur. Longe vero difficillimum ſpeciales intentiones variorum fertorum, partium, ex quibus conſtant, actionum tum laicarum, tum ſacerdotalium, uſuum & circumſtantiarum ita detegere, ut ſenſus myſticus apte cohæreat, ubi neceſſe, differat (ſunt enim variæ fertorum ſpecies) argumentisque ad conſcientiam demonſtretur. Credibiliter, ut alia typica, ſpecialia maxime ἐκ μέρες tantum in hac valle umbrarum inſpici queunt. Τὸ τέλειον *perfectus ſenſus* ab iis demum cum admiratione & gaudio perſpicietur, quos Deus dignabitur, ut ipſi dies noctesque ſerviant ἐν τῷ Ναῷ αὐτȣ̃ Apoc. VII. 15.


§. LXXX. Quare non promitto ſpecialiorem, curatioremque Myſterii fertorum expoſitionem. Ex conſtituto pauca, quæ ſequuntur, noto. Et primo quidem מנחה *fertum* maxime vicarium ſacrificii piacularis Lev. V. 11. refert Jeſum Chriſtum προσφορὰν Eph. V. 2. Hebr. X. conf. Pſal. XL. 7. Dan. IX. 26. Donum vere cœleſte Hebr. VI. 4. ſanctiſſimum Luc. I. 35. quod nobilis tritici inſtar è terra progerminaverat, creveratque Eſ. IV. 4. In fine vitæ vero demeſſum Joh. XII. 24. commolitum, coctumque, ut placaret Deum, exiſteretque εἰς ὀσμὴν εὐωδίας Eph. V. 2. conf. 1. Sam. XXVI.

XXVI. 19. eſſetque panis ad vitam Joh. VI. 51. 1. Cor. XI. 24. Eſt fertum maxime *ſalſum*, quod hinc ab exitio præſervat, eſtque vitæ æternæ cauſa Joh. XI. 25. 26. *Oleoſum* quoque ceu plenum Spiritu S. Joh. III. 34. ac denique *thureum*, utpote ſemper vivit εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν Hebr. VII. 25. Ex adverſo abſque fermento & melle eſt, ſive caret omni corruptione, dolo, blanditiis Eſ. LIII. 9. Hebr. VII. 26. Matth. XXII. 16.

§. LXXXI. Secundo ferta referunt *fideles*, *eorumque cultum*. Hinc fideles N. T. ſub מנחה *ferto* veniunt Eſ. LXVI. 20. Conf. Rom. XV. 16. Eorum cultus מנחה טהרה *fertum purum* Malach. I. 11. dicitur. Creſcunt & illi ex terra, fiuntque Deo accepti poſt plures afflictiones, mortificationes, ignesque, quos ſuſtinent Act. XIV. 22. Gal. V. 24. Coloſſ. III. 5. 1. Pet. IV. 12. Sunt & illi *ſalſi* Matth. V. 13. Marc. IX. 49. Oleo liti 1. Joh. II. 27. ac *thurei*, utpote quorum eſt ἀδιαλείπτως precari. Poſcuntur è contrario incorrupti, ſine dolo & blanditiis. Uti erant variæ fertorum ſpecies, ac quantitate admodum differebant, ſic fideles à ſe invicem differunt, nec eandem menſuram ſpiritus, ſalis, olei & thuris habent.

§. LXXXII. Dolendum, quod hæc clavis cognitionis Myſteriorum in gente Judaica ablata fuerit. Unde Magiſtri vel corticem tantum rodunt, vel incongruas rituum rationes fingunt. Omnium optima conſideratio, quam circa ferta penes Judæos reperi, exſtat in fine tr. מנחות *Phraſis* ignitum εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *dicitur & de holocauſto pecoris, & de holocauſto avis, & etiam de ferto, ut hinc diſcas, perinde eſſe, ſive quis multum, ſive parum offerat* בלבד שיכוין אדם את דעתו לשמים *modo homo intendat cognitionem Dei.* Convenit cum ſapienti Judicio Scribæ, quod Jeſus probaverat Marc. XII. 28 - 35.

CAPUT



CAPUT III.

De Libaminibus.

Σύνοψις.

Capite hoc traduntur nomina libaminum. §. 1.
Dein eorum materia, quæ juxta Legem nonnisi vinum erat. §. 2.
Sed juxta traditiones aliquando etiam aqua. §. 3.
Præterea integritas. §. 4.
Quem in finem vinum in Templo servatum distributumque erat. §. 5.
Insuper libatio, quando illa in usu. §. 6.
Porro mensura vini, quæ variabat. §. 7.
Unde consectarium formatur. §. 8.
Etiam functiones tum laicæ tum sacerdotales. §. 9.
Modus libandi.
א. Sacerdotum gregariorum. §. 10.
ב. Pontificis M. §. 11.
Nec non tempus, quod nonnisi dies erat. §. 12.
Denique differentia à sacrificiis & fertis. §. 13.
Ultimo ratio tum moralis, tum mystica. §. 14.

§. I.

QUemadmodum in cultu sacro *libamina* vulgo comitari solent sacrificia & ferta, sic & nos proximum locum libaminibus dabimus. Hebraice hæc audiunt נסכים LXX. Σπονδαὶ, Germ. Tranck-Opffer. Rabbini vocem נסכים latius extendunt, comprehenduntque præter vinum etiam fertum cum sacrificio *v. Maim. de sacrificiis* Cap. II. 1. At sacræ literæ distinguunt. Num. XV. 4 - 13.

§. II. Libamina ex vino tantum juxta Legem constabant. Unde sæpius exprimitur, veluti in Lege præcipua Num. XV. 7. יין

ויין לנסך *& vinum pro libamine* conf. v. 7. 10. Conveniunt Magistri in traditionibus. *Jonathan* יין Num. XV. 5. transfert חמר עינבא *vinum uvarum.* Non obstat Num. XVIII. 7. *Et libamen ejus quartarius Hin pro quolibet agno, in sancto libato*, aut libando libabitur, שכר *Jehovæ.* Licet שכר alibi latius quemvis potum inebriantem, veluti vinum dactylorum significet, hic tamen *vinum ex uvis* notat. Constat ex Legibus parallelis, quæ solius vini mentionem faciunt. vide infra v. 14. Num. XV. 4 - 13. & alibi. Si nullus locus fermenti, mellis in ara ob Lev. II. 11. tum quoque nullus locus in libamine ex potu participante de fermento, melle, ut vinum dactylorum. Quando vero legislator l. cit. שכר exprimit, intendit docere, non quodlibet vinum, sed generosum in cultu sacro adhibendum esse. Unde *Oncelos : In sanctuario libabitur libamen* דחמר עתיק *vini veteris*, cum quo quoque facit *Jonathan ; Syrus, Arabs. Targum Hierosolymitanum* libamen חמר בחיר *selecti vini. Kimchio* est vinum ἄκρατον. Cujus vero coloris vinum sacrum esse debuerit, lex non determinat. Bartenoriensis *rubrum* adhibitum fuisse subindicat v. illum ad tr. מנחות Cap. VIII. 6.

§. III. Aqua quidem etiam libabatur in ara holocausti, ut diximus *in notis ad Goodwinum* L. III. C. VI. n. 15. Sed hocce libamen Lege divina definitum non est.

§. IV. Et quandoquidem libamina quoque integra poscuntur Num. XXVIII. 31. Sapientes varie soliciti sunt de hac Lege implenda. Constat è tr. מנחות Cap. VIII. 6. *Unde vinum* (in usum libaminum) *adducebant ? Optimum sumebant è locis Kerotim & Tolim. Tum è Beth-Rima & Beth-Labban in monte & pago Signa in valle. Omnes quidem terræ legitimæ erant, ex quibus vinum sumi poterat. Attamen ex nominatis adducere soliti erant. Non* (animo deliberato) *adduxerant ex agro stercorato, neque è siticuloso, neque ex locis, inter quæ seminatum est. Si vero exinde allatum fuisset, legitimum tamen habebatur. Non adducunt* אליוסטן Ἡλιωςὸν *sole adustum. Si tamen adductum fuisset, bene se habet. Non etiam adducunt è vetere juxta verba Ribbi, sed Sapientes hoc legitimum habent. Non vero adducunt dulce* (scil. arte tale) *nec fumatum nec coctum. Si quis tale vinum adduxisset, profanum habebatur. Neque adducunt è vitibus altis, sed depressis, quæque excultæ erant.* Alias insuper cautelas adhibent juxta §. seq. ex qua noto : *Non sumunt*

ex

ex summitate dolii ob flores (wegen der Kahnen) *neque ex fundo ob faeces, sed ex parte dolii tertia & media.* Quæstoris hinc erat mediante calamo in vinum inquirere, num legitimum illud sit.

§. V. In hunc ipsum finem vinum in Templo asservatum & curæ certi præfecti commissum illud erat, sicuti jam observatum *Cap. de fertis* ad §. 46. Adde, quæ habet *Maimonides tr. de apparatu Templi* Cap. VII. 13. *Tricesimo quoque die pactio de vini & simila pretio fiebat cum eo, qui libaminibus præesset. Ac si pactionem esset consecuta libaminum caritas, nihilominus ea pro constituto pretio suppeditaret. Sin autem consecuta vilitas esset, pretio daret ea viliori. Quod igitur ærario lucri fiebat è variis istis pretiis, id* reliquiæ libaminum *appellabatur. Impendebatur autem in ea holocausta, quibus altare donabatur ab universa Ecclesia æstivo tempore.*

§. VI. Libamina neque seorsim & absque sacrificiis ac fertis offerri poterant, neque etiam omnibus sacrificiis addebantur. Id quod colligitur ex Num. XV. 3 - 13. ubi libamina adstringuntur ad holocausta, זבחים *sacrificia* pacalia, quæ vel vi voti aut promissionis aut *in solennitatibus* festivis Deo consecrantur. Nulla vero libaminum mentio fit, quando de sacrificiis pro peccato aut pro reatu sermo est. Judæi excipiunt quoque agnos paschales, animalia primogenita, decimata, ceu quæ à voto & promissione non dependent v. *Maim. tr. de sacrificiis* Cap. II. 3. Excipienda quoque videtur hostia leprosi pro peccato & pro reatu Lev. XIV. Nulla quippe vini fit mentio, licet ferti & olei.

§. VII. Variat tamen vini effundendi pro varietate & magnitudine hostiarum mensura. Quod de libaminibus noviluniorum breviter dicitur, applicatur quoque ad alia. *Libamina eorum* hæc sint: *Dimidia pars hin pro juvenco. Tertia vero pars hin pro ariete. Quarta vero pro agno ex vino.* Quæ capacitas mensuræ hin sit, disce ex *Goodwino* Lib. VI. Cap. VIII.

§. VIII. Unde constat magnam vini copiam, maxime in festis & extraordinariis solennitatibus, in honorem Dei Israëlis effusam fuisse. Singula ex memoratis sacris propria postulabant libamina. Hinc explicatur lamenti sacerdotalis ratio Joël I. 9. 13. II. 14.

ויין לנסך *& vinum pro libamine* conf. v. 7. 10. Conveniunt Magiſtri in traditionibus. *Jonathan* יין Num. XV. 5. transfert חמר עינבא *vinum uvarum*. Non obſtat Num. XVIII. 7. *Et libamen ejus quartarius Hin pro quolibet agno, in ſancto libato*, aut libando libabitur, שכר *Jehovæ*. Licet שכר alibi latius quemvis potum inebriantem, veluti vinum dactylorum ſignificet, hic tamen *vinum ex uvis* notat. Conſtat ex Legibus parallelis, quæ ſolius vini mentionem faciunt. vide infra v. 14. Num. XV. 4 - 13. & alibi. Si nullus locus fermenti, mellis in ara ob Lev. II. 11. tum quoque nullus locus in libamine ex potu participante de fermento, melle, ut vinum dactylorum. Quando vero legislator l. cit. שכר exprimit, intendit docere, non quodlibet vinum, ſed generoſum in cultu ſacro adhibendum eſſe. Unde *Oncelos: In ſanctuario libabitur libamen* דחמר עתיק *vini veteris*, cum quo quoque facit *Jonathan; Syrus, Arabs. Targum Hieroſolymitanum* libamen חמר בחיר *ſelecti vini. Kimchio* eſt vinum ἄκρατον. Cujus vero coloris vinum ſacrum eſſe debuerit, lex non determinat. Bartenorienſis *rubrum* adhibitum fuiſſe ſubindicat v. illum ad tr. מנחות Cap. VIII. 6.

§. III. Aqua quidem etiam libabatur in ara holocauſti, ut diximus *in notis ad Goodwinum* L. III. C. VI. n. 15. Sed hocce libamen Lege divina definitum non eſt.

§. IV. Et quandoquidem libamina quoque integra poſcuntur Num. XXVIII. 31. Sapientes varie ſoliciti ſunt de hac Lege implenda. Conſtat è tr. מנחות Cap. VIII. 6. *Unde vinum* (in uſum libaminum) *adducebant? Optimum ſumebant è locis Kerotim & Tolim. Tum è Beth-Rima & Beth-Labban in monte & pago Signa in valle. Omnes quidem terræ legitimæ erant, ex quibus vinum ſumi poterat. Attamen ex nominatis adducere ſoliti erant. Non* (animo deliberato) *adduxerant ex agro ſtercorato, neque è ſiticuloſo, neque ex locis, inter quæ ſeminatum eſt. Si vero exinde allatum fuiſſet, legitimum tamen habebatur. Non adducunt* אליוסטן Ἡλιωςὸν *ſole aduſtum. Si tamen adductum fuiſſet, bene ſe habet. Non etiam adducunt è vetere juxta verba Ribbi, ſed Sapientes hoc legitimum habent. Non vero adducunt dulce* (ſcil. arte tale) *nec fumatum nec coctum. Si quis tale vinum adduxiſſet, profanum habebatur. Neque adducunt è vitibus altis, ſed depreſſis, quæque excultæ erant.* Alias inſuper cautelas adhibent juxta §. ſeq. ex qua noto: *Non ſumunt*

ex

ex summitate dolii ob flores (wegen der Kahnen) *neque ex fundo ob faeces, sed ex parte dolii tertia & media.* Quæstoris hinc erat mediante calamo in vinum inquirere, num legitimum illud sit.

§. V. In hunc ipsum finem vinum in Templo asservatum & curæ certi præfecti commissum illud erat, sicuti jam observatum *Cap. de fertis* ad §. 46. Adde, quæ habet *Maimonides tr. de apparatu Templi* Cap. VII. 13. *Tricesimo quoque die pactio de vini & simila pretio fiebat cum eo, qui libaminibus præesset. Ac si pactionem esset consecuta libaminum caritas, nihilominus ea pro constituto pretio suppeditaret. Sin autem consecuta vilitas esset, pretio daret ea viliori. Quod igitur ærario lucri fiebat è variis istis pretiis, id* reliquiæ libaminum *appellabatur. Impendebatur autem in ea holocausta, quibus altare donabatur ab universa Ecclesia æstivo tempore.*

§. VI. Libamina neque seorsim & absque sacrificiis ac fertis offerri poterant, neque etiam omnibus sacrificiis addebantur. Id quod colligitur ex Num. XV. 3 - 13. ubi libamina adstringuntur ad holocausta, זבחים *sacrificia* pacalia, quæ vel vi voti aut promissionis aut *in solennitatibus* festivis Deo consecrantur. Nulla vero libaminum mentio fit, quando de sacrificiis pro peccato aut pro reatu sermo est. Judæi excipiunt quoque agnos paschales, animalia primogenita, decimata, ceu quæ à voto & promissione non dependent v. *Maim. tr. de sacrificiis* Cap. II. 3. Excipienda quoque videtur hostia leprosi pro peccato & pro reatu Lev. XIV. Nulla quippe vini fit mentio, licet ferti & olei.

§. VII. Variat tamen vini effundendi pro varietate & magnitudine hostiarum mensura. Quod de libaminibus noviluniorum breviter dicitur, applicatur quoque ad alia. *Libamina eorum* hæc sint: *Dimidia pars hin pro juvenco. Tertia vero pars hin pro ariete. Quarta vero pro agno ex vino.* Quæ capacitas mensuræ hin sit, disce ex *Goodwino* Lib. VI. Cap. VIII.

§. VIII. Unde constat magnam vini copiam, maxime in festis & extraordinariis solennitatibus, in honorem Dei Israëlis effusam fuisse. Singula ex memoratis sacris propria postulabant libamina. Hinc explicatur lamenti sacerdotalis ratio Joël I. 9. 13. II. 14.

§. IX. Israëlita libamen quidem in Templum ferre poterat. At apportatio in aram & effusio ejus functio sacerdotalis habetur. Et quidem, notante *Mischna tr.* יומא Cap. II. 3. 6. 7. & glossatoribus, unus Sacerdos, isque numero nonus, ferebat libamen agni jugis, duo portabant libamen arietis, tres vero juvenci publico nomine oblati.

§. X. Sacerdos gregarius libaturus ponte altaris conscenso, statim sinistram petebat (id quod communiter haud factum) conferebatque se ad cornu meridionale - occidentale libationi sacrum, ne scil. totum altare circumire ac ita vinum Deo consecratum fumo aræ perdere deberet. Erant vero ibi duo altaris foramina, quorum unum aquæ, alterum vino destinatum erat. Effundebatur igitur libamen in alterum vini foramen, descendebatque illud in torrentem Kidron v. tr. זבחים Cap. VI. 2. 3


§. XI. Alia & notabilior Pontificis libatio erat. Conscenderat is in comitatu Saganis aram & circuibat à cornu meridionali-orientali, hinc ad orientale - septentrionale, porro ad septentrionale-occidentale, tandem ad occidentale-meridionale, ubi ipsi vinum ab alio Sacerdote (ne illud, ut jam monitum, fumo nonnihil corrumperetur) porrectum erat. Tum Sagan stabat ad cornu, tenebatque manu sua linteum. Stabant etiam duo Sacerdotes ad mensam adipum cum duabus tubis argenteis in manibus. Clangebant illi primum sono æquali, tum fracto, postea rursum æquali. Veniebant & stabant apud filium Arsæ, quorum unus dextrum; alter sinistrum cinxerat. Quando Pontifex se incurvaverat ad libandum, Sagan linteum agitaverat, filius Arsæ cymbalum pulsaverat, & Levitæ dixerant canticum. Si absolverant versum, sonum dederant æqualem, & populus se incurvaverat. Ad unamquamque sectionem editus erat clangor æqualis, & unicuique clangori addebatur incurvatio. *v. tr.* תמיד Cap. VII. 3. ubi additur: *Hic erat sacrificii jugis ordo quoad Ministerium Domus Dei nostri. Sit* εὐδοκία *Dei, ut cito ædificetur in diebus nostris! Amen.*

§. XII. Uti alia sacra interdiu fiebant, sic vinum quoque tempore diurno libandum erat. *v. Maim. de sacrificiis* Cap. IV. 5. Ex intentione legislatoris, ut puto, statim addendum erat sacrificio & ferto, cum quo illud conjunctum erat.

§. XIII.

§. XIII. Differt libamen à carne & fertis. Hæc quippe sæpius magnam partem Sacerdotio cesserant, sed libamina integra effundenda erant. Nullibi jus sacerdotibus in vinum sacrum conceditur. Imo Lev. X. 9. jubentur tempore Ministerii abstemii esse.

§. XIV. Libaminis quoque alia ratio moralis, mystica alia. Illam quod attinet, satis liquidum est, Deum, qui ceu Rex Israëlis & Dominus Canaan tot aliis donis terrestribus honorari volebat, præcepisse quoque, ut fructus terræ præstantissimus, qualis vinum, ipsi consecraretur, agnosceretur que, quod Israëli non solum animalia, frumentum, oleum, sed & mustum daret. Convivium perfectum (sub hac vero χέσει sacra veniunt) non solum carne, simila, oleo, sed & vino constat. Hanc vero docet *Paulus*, Martyrium semel ac iterum sub Σπονδῇ *libamine* sistens. Phil. II. 17. 2. Tim. IV. 6. Fideles itaque promittunt ac votis se Deo obligant μέχρις αἵματος Hebr. XII. 4. ἄχρι Θανάτε Apoc. II. 10. non ea intentione, ut peccata expient (unde in sacrificiis pro peccato libaminum nullus erat usus) sed ut in morte nomen Dei glorificent Phil. I. 20. ac Ecclesiam ædificent Coloss. I. 24. testenturque flagrantem amorem pro Deo & fratribus. 1. Joh. III. 16.



 AGNI

* *

I. N. I. C.

AGNI IMMACULATI.

DISSERTATIO THEOLOGICA DE VICTIMARUM Integritate ac Myſterio,

præprimis

Ad ductum Legum Moſaicarum

Lev. XXII. 17. - 27. Deut. XV. 21. & XVII. 1.

Σύνοψις.

Thema Diſſertationis agit de integritate victimarum ac Myſterio. §. 1.

Cujus ſedes in Lege Moſaica indicatur. §. 2.

Partes tractationis ejus duæ ſunt. Una ſpectat ſenſum Legis literalem: Altera myſticum. §. 3.

I. Circa illam notantur

α. Legislator. §. 4. 5. 6.

β. Mediator. §. 7. 8. 9.

γ. Subditi, qui

(*a.*) Aharon & filii ejus. §. 10.

(*b.*) Iſrael originarius. §. 11.

(*c.*) Proſelyti Juſtitiæ. §. 12. 13.

(*d.*) Ethnici quoque. §. 14. 15.

δ. Lex ipſa §. 16. quæ

א. Victimam integram poſcit. §. 17. 18.

ב. At maculatam & in qua ulla res mala, reprobat. §. 19 - 23. ſpeciatim.

(1.) Cœcam. §. 23.

(2.) Fractam. §. 24.

(3.) Se-

 Exci-

§. I.



Pecimen exercitii academici exhibiturus constitui exponere *sacrificiorum integritatem & mysterium*, præprimis ad ductum Legum Mosaicarum Lev. XXII. 17 - 27. Deut. XV. 21. & XVII. 1. ceu Thema Philologiæ sacræ simul ac Theologiæ inserviens, quibus excolendis impræsentariarum opera mea consecranda est.

§. II. Quando vero Thema hoc deducturo haud raro Leges memoratæ allegandæ erunt, illas mox in fronte dissertationis apponam. Prima ita se habet: *Insuper locutus est Jehova ad Mosen dicens: Alloquere Aharonem & filios ejus & omnes filios Israel atque dic illis: Quisquis* (fuerit) *è domo Israel & de Proselytis in Israel, obtulerit oblationem suam de cunctis votis eorum, & de cunctis voluntariis eorum, quæ offerent Jehovæ in holocaustum, ad beneplacitum vestrum* (offerat) *masculum integrum*

grum è bobus, ovibus & capris. Omne (vero,) *cui macula inerit, non offeretis; Non enim erit vobis* εἰς εὐδοκίαν (Dei). *Sic quando quis offeret sacrificium pacificum Jehovæ ad separandum votum aut voluntarium de bobus vel pecore minuto, sit integrum ad beneplacitum : Nulla macula ei insit. Quod cæcum aut fractum aut incisum aut verrucosum aut purulentum aut impetigine affectum* (fuerit,) *hæc Jehovæ non offeretis, neque ignitum dabitis de illis super altare Jehovæ. Bovem quidem & pecus minutum redundantiæ aut parvitatis enormis voluntarium facere poteritis; at pro votivo non benevole acceptabitur. Compressum vero & avulsum & præcisum non offeretis Jehovæ, nec in terra vestra facietis. Etiam de manu alieni* (Ethnici) *non offeretis panem Dei vestri de omnibus istis; quoniam corruptio eorum in iis :* (&) *macula in iis, non acceptabuntur pro vobis.* Secunda vero : *Si fuerit in eo macula,* (ut si) *claudicans aut cæcum* (vel) *ulla macula mala, non sacrificabitis illud Jehovæ Deo tuo.* At tertia : *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem vel pecus minutum, in quo macula, ulla res vitiosa, quia tale abominatio est Jehovæ Deo tuo.*

§, III. Quo vero tractatio nostra bene ordinata ac intellectu facilior sit, duas ejus constituemus partes, literalem & mysticam. Illa, quantum pote, mentem Legislatoris apertam, hac magis absconditam dabimus.

§. IV. Circa primam notamus Legislatorem, mediatorem, subditos ac Legem ipsam.

§. V. Lator est Israelis Deus, nomine יהוה *Jehova* hic illustris Lev. XXII. 17. Quandoquidem sub V. Testamento *regnum cælorum* sive *Dei* nondum manifestatum erat Matth. III. 2. Marc. I. 15. Israel habuerat quoque מחקק *legislatorem* definitorem ex hominibus Gen. XLIX. 10. qui Leges minoris momenti definiverat, inculcaverat aut divinas deduxerat, ampliaverat ac subinde jugum grave & δυσβάστακτον populi humeris imposuerat, Matth. XXIII. 4. Leges tamen majoris momenti, fundamentales, capitales, dogmaticæ, morales, & quæ rerum cœlestium futurarum figuræ, solum Deum auctorem habuerant. Exod. XX. XXV. 9. 40. Deut. XIII. 1. Hebr. VIII. 5. Hujus generis præsens est. Data hinc à *Jehova*, qui genuina legislatoris postulata plene possidet, utpote ens perfectissimum, quod modo incomprehensibili *à se & per se est, erat & erit*, Spiritus omniscius, sapientissimus, sanctissimus, justissimus, infallibilis, verax,

rax

rax, omnipotens, Israelis non solum creator sed & jure fœderis absolutus Dominus, jus præcipiendi tenens ac exercens.

§. VI. Juvat magnificum hunc legislatorem probe nosse. Hinc enim dependet Legis auctoritas, valor, δήλωσις πνευματικὴ, gratia ac ejus certitudo.

VII. Jehova, qui potuisset Legem populo immediate ferre, usus erat Mediatore Mose gloriam suam manifestaturus ac verum Mediatorem Jesum Christum, per quem nobiscum in ultimis diebus loquitur, præadumbraturus, Deut. XVIII. 15. Hebr. I. 1. Joh. I. 18. Eph. IV. 10. 11. 1. Tim. II. 5.

§. VIII. Cum Mose immediate Jehova locutus erat Lev. XXII. 17. ut amicus cum amico, *ore ad os* Num. XII. 8. non item cum alio quovis. Privus hic honos ipsi quoque fratri Aharoni displicuerat, unde cum sorore indignans dixerat. *Num tantummodo per Mosen Deus loquitur? Annon etiam per nos loquitur?* Num. XII. 2. Verum Deus gloriam fidi servi, quam ipse sibi non tribuerat, præclare vindicaverat confirmaveratque.

§. IX. Moses non quidem hic expresse locum colloquii memorat. Constat tamen aliunde, quod fuerit Tabernaculum. Ex quo enim hoc erectum erat, Deus thronum suum in sanctissimo occupaverat ac cum servo suo è medio duorum Cherubinorum, qui super arcam, cum Mose locutus erat. v. Exod. XXV. 22. Lev. I. 1. Num. VII. 89.

§. X. Subditi, quibus lex hæc data, erant sequentes: Primo *Aharon & filii ejus* Lev. XXII. 18. qui referunt omnem posteritatem pontificialem ac sacerdotalem, hac Lege quoque constrictam. Horum primo lex meminit. Erant enim personæ aliis in Israel illustriores. Lex dein non solum ab iis observanda, ut Israëlitis, sed magis. Immolaturi sacrificia populi probe de victimis νομίμως integris solliciti esse debebant.

§. XI. Dein *omnes filii Israël* Lev. XXII. 18. originarii, sine discrimine tribus, sexus, status, dignitatis, divitiarum ac paupertatis. Arcte nimis Jonathan: *Vir Juvenis aut senex.* At rectius LXX. late πάσῃ συναγωγῇ Ἰσραὴλ, uti insuper elucet ex sequentibus: איש איש. *Vir, Vir,* hoc est, quilibet, nemine excepto. Ne quidem pauper-

culo licitum erat bestiam maculatam sacram facere. Lex quidem pauperibus clementer prospexerat de avibus loco quadrupedum aut etiam in summa paupertate simila loco cruenti sacrificii offerenda. Non vero licentiam dederat vitiosa sacrificandi. Mavult Deus nullam bestiam, quam maculatam.

§. XII. Porro *Proselyti in Israële* Hebr. הגר בישראל Lev. XXII. 18. Phrasis hæc dupliciter accipi potest, vel simpliciter de peregrino extra patriam inter Israelitas versante, vel de peregrino, qui non solum regione sed & Religione patria relicta ad Judæos transiit, qualis προσήλυτος dici solet, vel phrasi Veteris Testamenti התיהד *Judæus factus* Esth. VIII. 17. quique Judæis est גר צדק *Proselytus Justitiæ* in gremium Ecclesiæ Judaicæ, saltem posterioribus temporibus, receptus per מילה טבילה והרצאת קרבן *Circumcisionem, baptismum & oblationem sacrificii.* v. Maim. tr. איסורי ביאה Cap. III.

§ XIII. Quæritur hinc, quales *peregrinantes* hic intelligendi? Posteriores. Rationes sunt. 1. Illi peregrini intelligendi sunt, qui distinguuntur ab alienigenis Lev. XXII. 25. at tales *Proselyti Justitiæ.* 2. Illi dein intelligendi sunt, qui Deo Israëlis vota faciunt solvuntque v. 18. 3. Illi porro intelligendi, qui originariis Judæis in cultu, obedientia Deo præstanda ac juribus æquales: v. similia loca Exod. XII. 49. Lev. XVI. 29. XVII. 10. XXIV. 22. Bene itaque Syrus: *Ex iis, qui convertuntur ad me, degentibus in Israële.*

§. XIV. Lex hæc quoque spectat *Gentiles,* alienos à populo Israël. Data quidem nonnisi Originariis & *Proselytis*, sed Israël erat instruendus, quomodo se ex voluntate Dei erga Gentiles, ratione hujus Legis, gerere debeat. Patet ex Lev. XXII. 25. *Etiam de manu alieni* (Ethnici) *non offeretis panem Dei vestri de omnibus istis. Qui* בן נכר *alienigenam* Germ. Frembling vertunt, illi non satis distinguunt à גר *peregrino* v 18. quum tamen sint quam maxime distincti. Menochius, Junius, Ainsworthus *Ethnicum manentem in sua superstitione* explicant, qualem quoque probabiliter intelligit Onkelos בר עממיא *filium populorum*, nec non Jonathan. Subsequente tempore credibiliter hac quoque Lege comprehendebatur Samaritanus ἀλλογενὴς Luc. XVII. 16. 18. quam vocem hic LXX. adhibent. Baal Hatturim & Raschius quoque גוי *gentilem* exponunt, ut legitur in editione Bibliorum Buxtorfiana. Alii Codices legunt נכרי *alienus &*

ארמי

ארמי *Aramæus* ut notat *Joh. Frid. Breithauptus*, Raſchii doctiſſimus translator: At ſenſus eodem redit.

§. XV. Gentilem vero intelligendum ſequentes docent rationes. 1. Poſcit diſtinctio ab Iſraele & Proſelytis in nexu. 2. Dein uſus vocis נכר uti Pſal. LXXXI. 10. *Deus* נכר *alienus*. Jerem. V. 19. אלהי נכר *dii alieni* 2. Chron. XIV. 2. *altaria* הנכר *aliena* Exod. XII. 43. *filius* נכר *alienus*, qui Iſraëlitæ & Proſelyto Juſtitiæ opponitur. Num vero Gentiles copiam ſacrificandi habuerint, nec ne, inferius dicendi commodior anſa erit.

§. XVI. Nunc ipſa lex conſideranda venit. Ubi rurſum obſervamus א quid lex præcipiat. ב Quid vetet. ג Circa quæ ſacra verſetur. ד Quænam rationes Legis citentur.

§. XVII. א Lex, quam exponimus, poſcit victimam תמים *integram* Lev. XXII. 19. 21. Vox תמים merito emphaticis annumeratur & recte intellecta lucem per res ſacras diffundit: Lucem ejus itaque nonnihil inquiremus, ut poſtea nobis luceat. Opponitur in ſacris מום *vitio*, *maculæ* magis vel minus enormi ſive ob redundantiam ſive ob defectum connatæ & acquiſitæ, uti in hac Lege Lev. XXII. 19 - 25. Opponitur quoque עקש *perverſo* Prov. XI. 20. Adeoque vi oppoſitionis תמים ſignificat integrum, perfectum, rectum, quod habet id omne, quod habere debet, natura aut correctione, quæ ſubſequitur. Hunc ſignificatum quoque probat Radix תמם *integrum eſſe*, *conſummari*; Syris etiam, Chaldæis & Arabibus pro illo ſtantibus. Probant translatores, Onkelos, Jonathan vertens per שלים, LXX. hic ἄμωμος, alibi vero ὁλόκληρος &c. transferunt.

§. XVIII. Adhibetur modo in ſenſu morali, modo in phyſico. In illo prædicatur de ipſo Deo & rebus divinis, eminenter perfectis, absque ulla labe. Deut. XXXII. 4. Pſal. XVIII. 6. Prædicatur dein de hominibus *corde* Pſal. CXIX. 80. *via* ſive actionibus externis *integris* Pſal. CI. 2. 6. ceu ſine fraude, perverſitate, hypocriſi. Prov. XXVIII. 18. Legi perfecte adhærentibus Pſal. XIX. 8. Deut. XVIII. 18. ac juxta eam ſincere conſtituentibus cogitare, judicare, velle, loqui, agere. Quales תמימים *integri* ſunt, licet quædam internæ aut externæ actiones, ceu incognitæ vel præcipitanter actæ, poſtea damnatæ minus recte ſe habeant. In hoc ſive

physico sensu frequentissime sumitur de victimis labis expertibus, omnibus partibus, majoribus & minoribus, earumque facultatibus, ordine, situ, aliisque qualitatibus sufficienter instructis.

§. XIX. ב. Lex victimam non tantum definit θετικῶς uti dictum, sed & ἀρνητικῶς sive qualis non possit esse cultui sacra. Et primo quidem, quando præcipit Lev. XXII. 20. *Omne, in quo* מום, *non offeretis Deo*, v. 21. *nulla* מום *macula ei inerit.* Conf. quoque Deut. XVII. 1. Vocabulum Hebraicum מום omnem notat maculam, communiter corporis, quæ ejus pulchritudinem Dan. I. 4. 2. Sam. XIV. 25. perfectionem lædit, sive natura, sive morbo, sive casu aut alio aliquo modo contracta fuerit. Notio adeo certa, ut in ea conveniant veteres & recentiores interpretes; Syrus, Arabs, Samaritanus, Persa, Chaldæi, ut Onkelos, Jonathan מומא LXX. μῶμος, Vulg. *macula*, Luth. Fehl, Tigurini Mangel. Imo hæc ipsa vox transiit ad alias Linguas, Chaldaicam, Syriacam מומא, Græcam, unde μῶμος, Latinam *momus.* Arabibus loco generis species *febris*, *pleuritis* hoc nomine venit. Quando autem Kircherus vocem ex cognata אמן illustrare vult, detorsum nimis est.

§. XX. Quando vero victima Deo sacra בלא מום *sine macula* requiritur, constat quod debuerit esse absque ulla labe, non solum notabili sed & minus notabili, naturali, acquisita, saltem stabili ac tempore consecrationis, & mactationis ei inhærente, animalis rectæ naturæ, partibus, sensibus, membris, formæ, pulchritudini, quæ ab hominibus observari poterat, adversa, ut vere sit ἄμωμος, ἄμεμπτος, ἄσπιλος. Id quod inferius ex inductione macularum, tum juxta Mosen, tum juxta Sapientes ac subjuncta κρίσει plenius constabit.

§. XXI. Constat dein, quod lex Deut. XVII. 1. præcipiat abesse debere כל דבר רע *omnem rem* aut *omne verbum malum.* Requisitum intellectu difficilius, quam prima fronte videtur. Quæritur, quid sibi velit? An idem cum antecedente? *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem aut pecus minutum, cui macula inest, ulla res mala.* An distinctum quid & quodnam illud? Primo aliorum cogitata subjiciam, tum judicium apponam. Idem habent cum antecedente membro, veluti Aben Esra, dicens: Est in verbis פירוש מום *explicatio vocabuli macula.* Quomodo quoque LXX. πᾶν ῥῆμα πονηρὸν &

& Oncelos verba accipere videntur. Cum quibus Seb. Schmidius: *In quo fuerit macula ullius rei malæ.* Distinguunt alii, (unde præter Codicem originalem addunt *aut*) sed non explicant. Vulgatus: *In quo est macula aut quidpiam vitii.* Quomodo quoque Lutherus: Oder irgend etwas Böses an ihm hat; Tigurini, oder sonst etwas Böses an ihm hat. Ad hos accedit Abarbanel arbitrans, verba ideo addi, quod Legislator Lev. XXII. species recensuerit, לפי שרבר אפשר שיהיה בו מום אחר מלבד אותם אשר זכר שמה לכן הוצרך לומר כאן כל דבר רע שלא נאמר כאן: *Quia vero possibile alias adhuc maculas præter memoratas dari, necesse erat hic dicere; omnis res mala, quæ etiam ibi narrata non erat.* Alii distinguunt & simul explicant, quanquam varie; Syrus & Arabs exponunt per *deformitatem*; Jonathan Ben Uziel: *Aut quidquam mali, quod raptum aut ei ablatum fuerit:* Ainswortus per *morbum* bestiæ, ut Malach. I. 8. aut si emta *mercede meretricis* vel *pretio canis* Deut. XXIII. 19. Raschius vero; *Dehortatio hic habetur quoad eum, qui immundum quid facit per malam cogitationem:* Ut si sacra facturus cogitaverat comedere extra tempus suum, aut extra locum suum.

§. XXII. Variæ explicationes ita se habent, ut una, licet vario modo, loco lucem adferant. Simplicissima est prima, ceu quæ textui originali nihil addit, nullas species nominatim exprimit, ut sub phrasi generali omnes comprehendat. Haberi potest ceu ἐπεξήγησις, ἑρμηνεία in sacris usitata, qua membrum antecedens illustratur. Dixerat antea: *Non sacrificabis bovem, in quo macula.* Postea Legislator generatim maculam explicat per *omnem rem malam*, quæ victimæ aliquo modo adhæret eamque vitiat. Non ergo accurate loquendo *res mala* distincta est *à macula*, ut velle videntur, qui *aut* addunt. *Macula enim est res mala* Deut. XV. 21. Vaccæ dicuntur רעות המראה *malæ aspectu*, hoc est difformes. Opponuntur enim *pulchræ aspectu* Gen. XLI. 4.

§. XXIII. Hactenus in genere diximus de interdicto. Nunc in specie de vitiis, quæ Legislator nominat vetatque. Sunt autem numero undecim. Horum primum animalis *Cæcitas:* עורת *non offeretis.* Cœcitatis notionem voci inesse nemo dubitat. Interpretes ad unum omnes consentiunt. Radix & affinia idem poscunt. Solus Arabs *monoculum* vertit. Difficultas tamen quædam est ratione for-

formæ. Semel tantum in ſacris occurrit. Aben Eſra habet pro adjectivo & ſubintelligit עין *oculus* Quomodo quoque Lexicographi, Coccejus, Stokius legunt עִוֶּרֶת Sed Raſchius pro ſubſtantivo, quem quoque ſequimur, nam (a) textus Hebræus legit עַוֶּרֶת (b) Alia quoque vitia ſub forma ſubſtantivorum vetantur. (c) Hæc forma placuit, quo doceremur animal reprobum eſſe, in quo מום של עורת *macula cæcitatis*, ut ſupra citatus Raſchius putat.

§. XXIV. Alterum fractura. שבור *Fractum non offeretis.* Jonathan commode addit, *fractum* גרמא *oſſe*. LXX. ſpecialiorem vocem adhibent *συντετριμμένον contritum*, quam alii interpretes recte omittunt. Sola fractura victimam reprobam fecerat. Nec neceſſe eſt, ut cum Abarbanele exponamus de שבורת רגל *fractura pedum.* Lex generaliter loquitur. Dantur adhuc aliæ fracturæ.

§. XXV. Tertium *Sectura τμῆσις.* חרוץ *inciſum non offeretis.* Lev. XXII. 22. Hoc prioribus difficilius, ut ſcire licet ex variis verſionibus. Onkelos *ſucciſum*, quem ſequuntur Samaritanus, Arabs, Perſa. LXX. *γλωσσότμητον lingua ſectum.* Vulg. *Cicatricem habens.* Proxime Lutherus geſchlagen. Tig. Wund. Coccejus & Seb. Schmidius *mutilum.* Syrus *impetigine laborans.* Raſchius, *cujus ſupercilium oculi fiſſum aut ſciſſum.* – Item *cujus labium ſciſſum aut fiſſum eſt.* Abarbanel, *cujus labia aut aures ſciſſæ.* Ex Hebræis ſunt, qui *fracturam pedum intelligunt.* v. Aben Eſram. Vitium ſectionis generatim intelligimus, ſive pars corporis tantum inciſa, fiſſa, ſive deciſa fuerit. Convenit radix חרץ cum derivatis *inciſionis, deciſionis*, notionem habentibus: Quæ quoque, Caſtello notante, apud Chaldæos & Arabes reperitur. Commode ita diſtinguitur à reliquis vitiis. Favent, ut ex ſuperioribus conſtat, quidam interpretes. Qui ſpecialem membrorum ſectionem indicant, fundamentum in textu nullum habent. Multo minus Syrus, vel illi Hebræi, qui *fracturam pedum*, quæ ad antecedens vitium pertinet, intelligunt.

§. XXVI. Quartum *Verruca.* יבלת *verrucam non offeretis.* Lev. XXII. 22. Incertior vocabuli ſignificatus. Eſt enim *ἅπαξ λεγόμενον*, ac deſunt ſpeciales circumſtantiæ, quæ pro certo ſignificatu concludunt. Attamen pro hac ſignificatione ſtant Onkelos, Samaritanus, Arabs, Tigurini, Seb. Schmidius. Ex Hebræis Raſchius, Abarbanel, Confirmatur Lingua Chaldaica, quæ hanc vocis notio-

nem

nem retinuit. Vitium bestiæ à reliquis distinctum est. Quando vero lex *verrucæ* meminit, non ita explicanda est, ac si illud demum animal reprobum habendum esset, quod *verruca* sive totum verrucosum. Unum aliquod corporis vitium reprobat. Lev. XXII. 21. Deut. XVII. 1. XV. 21.

§. XXVII. Quintum species *scabiei*, eaque maligna. גרב (unde Castello Lat. *porrigo* per methathesin) *scabiem non offeretis*. Lev. XXII. 22. Generalior notio satis certà est. Conspirant amice veteres & recentiores interpretes. Confirmant etiam Lingua Chaldaica & Arabica. At species minus certa est. Jonathan explicat per *scabiem siccam*: Robertus Gell *purulentam* in Lev. XXI. 18 - 21. Seb. Schmidius *lepram*, pro quo Lingua Syriaca facit. Hujus tamen sententia non placet. Neque enim occurrit Lev. XIII. XIV. ubi Lepræ sedes est. Est tamen *scabies maligna* ob Deut. XXVIII. 27.

§. XXVIII. Sextum *impetigo*. ילפת *impetiginem non offeretis*. Lev. XXII. 22. uti Onkelos, Samaritanus, Arabs, LXX. Vulgatus vertunt. Sed Jonathan specialius *impetiginem Ægyptiacam*, quam sanationem respuere dicunt, transfert. Bochartus accipit pro *porrigine*. Specialia latent. Raschius refert ad לפת Jud. XVI. 29. & reddit rationem, *impetigo tenet* (hominem illa laborantem) *usque ad diem mortis, neque enim ei remedium est.*

§. XXIX. Septimum *redundantia enormis*. Indicata per שרוע Lev. XXII. 23. LXX. quidem transferunt ὠτότμητον. Syrus, *cujus auris est fissa*. Vulg. *aure amputatis*. At Onkelos, *superfluum*. Samaritanus, *membris excrescentes*. Raschius *quod membrum habet unum altero majus*. Jonathan, *redundans testiculo*. Recentiores plerumque *redundantiæ, prælongitudinis* notionem voci tribuunt. Quos quoque sequimur. Nam (1.) opponitur קלוט *contracto*, ut statim dicemus. (2.) Etiam קצר *curto* Esaj XXVIII. 20. (3.) Convenit cum Hebræorum סרח *redundare* per mutationem literarum ejusdem organi. (4.) Reliquiæ quoque apud Arabes *longitudinis* significatum tenent. (5.) Auris amputatæ vel fissæ nulla specialis ratio ex Lingua Hebraica dari potest, nec ex circumstantiis.

§. XXX. Octavum *parvitas enormis* expressa sub קלוט Lev. XXII. 23. Vult oppositio. Volunt reliquiæ radicis obsoletæ apud Rab-

Rabbinos & Arabes. Illis *contrahere*, his *exiguis corporis* significationem adscribentibus. Admittunt Versiones, Arabica transferens *nanam*, Onkelosi *diminutus*. Ne de recentioribus dicam. LXX. vertentes κολοβοκερκον *cauda amputatum* & qui illos sequi solent, vitii speciem probare nequeunt.

§. XXXI. Nonum *castratio animalis*. *Cujus* (testiculus) *compressus & contusus & avulsus & excisus est, non offeretis Jehovæ* : Lev. XXII. 24. Ita Ellipsin supplent tum translatores, tum interpretes. Illi, veluti LXX. Vulgatus, Onkelos, Persa, ex parte quoque Jonathan. Hi, uti Raschius, Abarbanel. Sensum hunc probabilem reddunt (1.) locus Deut. XXIII. 2. (2.) Ea, quæ sequuntur & *in terra vestra non facietis*, scil. animalium castrationem. Bene Jonathan לא תסרסון *non castrabitis*, nam, ut Abarbanel ait אין לשנות מעשי אלהים הטבעים *opera Dei naturalia mutanda non sunt*. (3.) Tot modis castratur agnus, ut fiat vervex. Græcis quatuor vocabula suppetunt, quæ, judice Bocharto, Hebræis totidem respondent ad amussim. Nam מעוך *compressus* est θλιβίας: כתות *contusus* θλαδίας vel θλασίας, נתוק *avulsus* σπάδων, כרות *excisus* τομίας v. ejus *Hieroz.* P. I. L. II. C. XLVI. p. 523. (4.) Justum, ut inter vitia victimarum castrationis quoque mentio fiat. Quod vero lex elliptice loquatur, honestatis gratia factum.

§. XXXII. Decimum *Claudicatio*, uti constat ex Lege Deut. XV. 21. Voce vitium pedum indicari 2. Sam. IX. 13. & quidem claudicationis clare satis colligitur ex 1. Reg. XVIII. 21. Unde communiter translatores conveniunt. Probant Linguæ affines, Chaldaica, Syriaca, etiam Arabica.

§. XXXIII. Undecimum *ægritudo*, quemadmodum ex Malachia scire licet, Cap. I. 8. 13. Nomen generale *ægritudinis* species comprehendit.

§. XXXIV. Hæc sunt victimarum vitia, quæ ipsa Scriptura memorat. In hæc multo studio inquisiverunt Hebræorum Sapientes ac latius deduxerunt, ut è sequentibus scire licet. Maimonides tr. ביאת המקדש Cap. VII. quinquaginta recenset, quæ Sacerdotes simul & bestias temerabant, illos מלעבוד *quo minus servire*, has מליקרב *ne offerri queant*.

§. XXXV.

§. XXXV. Horum quinque in auribus notant. Primum מי שנפגם סחוס אזנו כדי שתחגור הצפורן בפגם אבל העור המוקף לסחוס האזן אין בה מום בין ניקב בין נפגם בין נסדק: *Si cartilago auris sic incisa fuerit, ut unguis per incisuram* (deductus) *moretur. At vitium nullum in cute, quæ aurem circumdat, sive perforata, sive incisa, sive fissa fuerit.* Nam, ut Bartenora ait, Tract. Misch. בכורות Cap. VI. 1. cutis reconvalescit. Alterum מי שנסדק סחוס אזנו בכל שהוא אף על פי שלא חסר: *Si Cartilago auris vel minimum fissa fuerit, quamvis nihil ei desit.* Tertium מי שנקב סחוס אזנו כברשנה בין נקב עגול בין נקב אריך אם מצטרף לכרשנה הרי זה מום: *Si Cartilago auris perforata ad quantitatem viciæ, sive foramen rotundum, sive oblongum fuerit, modo viciæ magnitudinem exæquet, vitium est.* Quartum מי שיבשה אזנו כדי שתנקב ולא תוציא דם: *Si auris ita arida, ut perforata licet nullum emittat sanguinem*, vel ut tr. cit. בכרות dicitur, *non emittat* טיפת דם *guttam sanguinis.* Quintum מי שהיתה אזנו כפולה לשתים אפילו הגדי שדרך אזניו להיותן נוטות וכפולות בלבד שיהיו לו שני סחוסין אבל אם אין לה אלא סחוס אחד והרי הוא כגוף שנכפל כשר: *Si auris duplicata ac bipartita sit, hoedi licet, cujus aures solent ita extendi, ut duplicatæ videantur: Hac tamen conditione, ut cartilago gemina sit. Si vero cartilago una tantum fuerit, ut unum corpus, quod duplicatum jacet, victima legitima est.*

§. XXXVI. In palbebris tria. Primum מי שנקב ריס מריסי עיניו בכל שהוא: *si una palpebrarum quantulumcunque perforata fuerit.* Alterum מי שנסדק ריס מריסי עיניו בכל שהוא *si una palpebrarum vel parum fissa fuerit.* Tertium מי שנפגם ריס מריסי עיניו בכל שהוא *si una palpebrarum vel leviter incisa fuerit.* Breviſſime Miſchna Tr. בכרות Cap. VI. 2. in simili casu ריס של עין שנקב שנסדק שנפגם *Palpebra oculi perforata, fissa, incisa.* Hæc vitia Maimonides speciatim refert ad Mosis חרוץ Lev. XXII. 22. supra Paragr. XXV.

§. XXXVII. In oculis octo. Ex his, recensente Maimonide primum: העור בין באחד מעיניו בין בשתיהן *Cæcum sive uno, sive duobus oculis.* Alterum: מי שאינו רואה בשתי עיניו או באחד מהן אף על פי שאין נראה בהן שינוי כלל מחמת שירדו מים קבועים כנגד ראותו: *Sensu visus destitutum sive duobus oculis, sive altero tantum, ob aquas fi-*

xas

xas descendentes è regione visus, quanquam nulla prorsus differentia appareat. Mischna l. cit. tantum vocat מים קבועים *aquas fixas.* Tertium: מי שאינו רואה בעיניו או באחד מהן ראייה ברורה מחמת שהיה בה סנורים קבועים *Quod non cernit clare ambobus oculis, aut uno ob cæcitatem fixam.* Quartum: מי שבעיניו כמו עינב אף על פי שהוא רואה *In cujus oculis bacca est, quanquam videat;* Quod hinc Mischnici tr. c. simpliciter עינב *baccam* vocant. Quintum: מי שיצא בשר יתר בעיניו עד שחפה מעט מן השחור עיניכם *Quando superflua caro in oculos transit, ut nonnihil nigrum vel pupillam oculorum obtegat.* Sextum: מי שנמשך הלבן של עין ונכנס ממנו מעט בשחור עד שנמצא השחור מעורב בלובן: *si album in oculo ita productum, ut paululum nigrum intret atque sic nigrum cum albo commixtum sit.* Quod vitium תבלול *suffusionem* vocant. Si vero nigrum in album transiret, pro vitio non habent, ob regulam שאין מומין בלבן *in album* (ceu quod non pro oculo, sed ejus pinguedine habent) *nulla cadere vitia.* v. Mischnam tr. בכרות Cap. VI. 2. cum commentatoribus. Septimum: מי שהיתה נקודה לבנה בתוך השחור *Si punctum album pupillæ inesset,* quod Mischnici חורור *albuginem* vocant. Quæ fixa, illa jam 80. dies inhæserat. tr. cit. §. 3. quæque pupillam obtegit. Octavum: אם היתה נקודה שחורה בתוך השחור: *Si punctum nigrum demersum esset in pupilla.*

§. XXXVIII. In naso tria. Horum primum: מי שנקב חוטמו אפילו מצד אחד *Cujus nasus perforatus fuerit, etiam ab uno tantum latere.* Alterum: מי שנסדק חוטמו *Cujus nasus fissus fuerit.* Tertium: מי שנפגם חוטמו *Cujus nasus incisus fuerit:* Maimonidem præeunt Mischnici tr. בכורות Cap. VI. 4.

§. XXXIX. In ore sex. Primum: מי שנקב שפתו אפילו אחת מהן *Cujus labia vel eorum unum tantum perforatum esset.* Secundum: מי שנפגם שפתו *Cujus labium incisum fuerit.* Tertium: מי שנסדקה שפתו *Cujus labium fissum fuerit, ita tamen ut fissura sit à limbo ejus, donec bipartitum sit.* Quartum: מי שעצם לחיו התחתון עודף על העליון כל שהוא *Si os maxillæ inferioris parum exit præ superiori.* Quintum: מי שפיו נבלם מחמת גופו ובירייאתו אבל אם נבלם מחמת הרוח אינו מום: *Si fuerit tumidum os idque habitudine & constitutione: Nam si tumuerit ab aura, vitium non est.* Interprete Lud. de Compiegne de Veil.

Quæ

Quæ ejus interpretatio satis commoda. Aliquod tamen dubium incidit, eo quod בלם sub hac notione apud Hebræos, Rabbinos, Chaldæos in Lexicis non reperiatur. Castellus tamen observat Arabibus significare *tumentia habens labia.* At Seldenus vertit, *os ex sui constructione occlusum.* De successione in Pontif. l. II. Cap. V. pag. 227. Sextum: מי שנטל רוב המדבר של לשונו *Si Linguæ magna pars, cujus ad loquendum* (pro circumstantiis ad clamandum) *usus est, ablata fuerit.*

§. XL. In genitalibus duodecim 1. מי שנמעך הגיד שלו *Si nervus ejus fuerit compressus:* Vel 2. נכתת *contusus.* 3. vel נתק *avulsus.* 4. vel נכרת *excisus.* 5. מי שנמעכו הביצים שלו *Si testes ejus compressi fuerint vel etiam unus tantum.* 6. vel si נכתתו *contusi*, aut unus solummodo. 7. vel si נתקו *avulsi*, imo horum unus. Id quod 8. quoque valet, si נכרתו *excisi fuerint.* 9. מי שאין לו אלא ביצה אחת *Si cui unus tantum testiculus*, licet duo essent sacculi. 10. מי ששני ביציו בכיס אחד *Si cui duo essent testiculi in uno sacculo.* 11. הטומטום *obthuratus*, cujus hinc sexus latet. 12. האנדרוגנוס quod Græcis est Ἀνδρόγυνος *Hermaphroditus.*

§. XLI. In manibus & pedibus sex. Primum: הפוסח *quod claudicat.* Alterum: מי שנשמטה יריכו *Cujus femur altero longius est*, Uti Seldenus vitium recenset. Vide quoque Buxtorfium in R. שמט. At de Veil. *Si cujus est luxatum femur.* Tertium: מי שאחת מירכתיו גבוהה מחבורתה: *Quod unum femur altero altius habet.* Quartum: מי שנשבר עצם ידו והוא שיהיה ניכר *Cujus os manus ita fractum est, ut cognosci queat.* Quintum: מי שנשבר עצם רגלו והוא שיהיה ניכר אף על פי שאינו נכר כשעמד אם נכר כשיהלך הרי זה מום *Cujus tibia ita fracta est, ut observetur. Licet non observetur in stante, modo in incedente, vitium tamen est.* Sextum: מי שרגליו מבולמות מחמת עצמן ובריתן אבל אם היו מבולמות מחמת הרוח אינו מום *Cujus pedes natura & constitutione intumuerunt. Si vero intumuissent ob auram, macula non est.*

§. XLII. In toto corpore quatuor: Ex his primum מי שיש בו גרב יבש כל שהוא *Quod scabie sicca vel parum laborat.* Vide supra §. 27. Secundum: מי שיש בו יבלת שיש בו עצם *Cui verruca, in qua*

 os,

os, est. Tertium : מי שיש בו חזזית מצרוית כל שהוא *Quod impetigine Ægyptiaca quantulacunque affectum est.* v. supra §. 28. Quartum : כל עצם שבגלוי שנחרץ בו הרי זה מום *Cujus os apertum aliqua incisione incisum, vitiosum habetur.* Sed addit Maimonides, ossibus apertis costas non annumerari.

§. XLIII. His Magister nominatus tria adhuc accenset 1. זקן *senectutem*, qua animal adeo affectum, ut stando vacillet & tremat. 2. חלה *morbum*, qui tremorem causatur. 3. מזוהם *fœtorem* conf. quoque tr. בכרות Cap. VI. 12.

§. XLIV. Præter quinquaginta hactenus illo ordine, quem Maimonides tr. ביאת המקדש Cap. VII. tenet, enumerata vitia, sunt alia adhuc memoranda, at animalibus propria, ut illa extant tr. אסורי מזבח Cap. II. Horum primum : אם היה גלגל עיניו עגול כשל אדם *Si orbis oculi rotundus fuerit, quemadmodum hominis* : v. quoque tr. בכרות Cap. VI. 8. Alterum : עינו אחת גדולה כשל עגל והשנייה קטנה כשל אווז *Si oculorum unus ejus magnitudinis, cujus vituli, alter vero tam parvus, quam est anseris.* Tertium : אם יש בלובן עינה יבלת שיש בה שיער *Si albo oculi verruca cum pilo inesset.* Quartum, quod Mischnæ verbis, ceu brevioribus, proferam : פיו דומה לשל חזיר *Si os ejus ori porci simile*, tr. בכרות Cap. VI. 8. Hæc IV. in oculis & facie animalis notabantur.

§. XLV. In dentibus alia quatuor : ut sunt חטין החיצנות שנקבו או שנגממו אף על פי שנשאר מקצתן או שנפגמו : אם נעקרו חטין הפנימיות שהרי בעת שפותחת פיה וציוחות הן נראין חסרין *Si dentes animalis exteriores perforati, aut fracti, licet non penitus, aut incisi, vel si interiores ita evulsi fuerint, ut ore aperto ac edito clamore eorum defectus conspici potuerit.*

§. XLVI. In cornibus, genitalibus, caudis decem : אם נטלו קרניה וזכורתן עמהם ולא נשאר מהן כלום אבל נקבה שיש לה קרנים כשרה אם נפגם העור שחופה את גיד הבהמה אם נפגמה הערוה של נקבה אם נפגם הזנב מן העצם אבל לא מן הפרק אם היה ראש הזנב מפוצל לשנים בשני עצמים אם היה בין חוליא לחוליא מלא אצבע בשר אם היה הזנב קצר ועד כמה בגדי חוליא אחד מום שתים כשר ובטלה אורך

אורך שתי חוליות מום היתה שליש כשר זנב הגדי שהיה רך ומדולדל דומה לשל חזיר אם נשבר עצמן מן הזנב אבל נשבר עצם מצלעותיו כשר מפני שאינו בגלוי ; *Si cornua una cum virilitate eorum ita ſublata fuerint, ut nihil quicquam ſupereſſet. At fœmina cornuta legitima erat: Si ea cutis pars, quæ nervum obtegit, inciſa eſſet aut fœmellæ nuditas: Sic ſi caudæ os perforatum, non vero inciſio inter vertebras facta fuiſſet: Si extremitas caudæ in duas diviſa fuiſſet partes, ut in unaquaque os repertum fuiſſet: Si inter vertebras caro ad magnitudinem digiti interpoſita eſſet: Si cauda eſſet curta: Si cauda hoedi unam habuiſſet vertebram, tum vitium, ſi duas, nullum. Cauda agni quæ longitudinem duarum vertebrarum habuerat, vitioſa, ſed trium legitima erat.* (Sic illegitima) *cauda hoedi, quæ adeo tenera & languida, ut porci ſimilis: Si os ejus fractum: Si vero aliquod coſtarum os fractum fuiſſet, legitima fuiſſet victima, eo quod vitium non erat apertum.*

§. XLVII. Tandem pedum vitia in victima erant numero quinque. Primum: בעל חמש רגלים *Si quinque pedum fuerit.* Alterum: אם אין לה אלא שלש רגלים *Si trium tantum.* Tertium: אם היתה אחת מרגליו וידיו פרסתה עגולה כשל חמור אף על פי היא סדוקה ופרוסה *Si pedum poſteriorum vel anteriorum unus quoad ungulam rotundus fuerit, ut aſini, licet ungula fiſſa aut diviſa.* Quartum: אם היתה ידו או רגלו קלוטה כשל המור *Si pedis anterioris vel poſterioris ungula ſolida, ut aſini eſſe ſolet.* Quintum: אם נגממו טלפיה וזכורתן עמהן אף על פי שנשאר מזכורתן מעט קרוב לבשר *Si ungula exciſa fuerit una cum virilitate, quanquam de hac parum quid circa carnem relictum fuiſſet.*

§. XLVIII. Meminit Maimonides quoque vitiorum, quæ diſtinctionis gratia עוברים *tranſitoria* vocant, qualia גרב לח חזזית שאינה מצרית מים שיורדין בעין ואינן קבועין סנורין שאינן קבועין *Scabies humida, impetigo, non tamen Ægyptiaca, aquæ in oculos defluentes, non tamen juges; Sic cæcitas non fixa.* Nec non quatuor morborum genera, ut מי שבלובן עיניו יבלת שאין בו שער אם נגממו קרניו אף על פי שנשאר מזכורתן מעט סמוך לבשר אם נפגמו חיטיו הפנימיות או נגממו חיטי הפנימיות *Quando verruca in albo oculi absque pilo eſſet: Si cornua ita fuerint ſucciſa, ut de eorum virilitate parum prope carnem*

reli-

os, est. Tertium : מי שיש בו חזזית מצרוית כל שהוא *Quod impetigine Ægyptiaca quantulacunque affectum est.* v. supra §. 28. Quartum : כל עצם שבגלוי שנחרץ בו הרי זה מום *Cujus os apertum aliqua incisione incisum, vitiosum habetur.* Sed addit Maimonides, ossibus apertis costas non annumerari.

§. XLIII. His Magister nominatus tria adhuc accenset 1. זקן *senectutem*, qua animal adeo affectum, ut stando vacillet & tremat. 2. חלה *morbum*, qui tremorem causatur. 3. מזוהם *fœtorem* conf. quoque tr. בכרות Cap. VI. 12.

§. XLIV. Præter quinquaginta hactenus illo ordine, quem Maimonides tr. ביאת המקדש Cap. VII. tenet, enumerata vitia, sunt alia adhuc memoranda, at animalibus propria, ut illa extant tr. אסורי מזבח Cap. II. Horum primum : אם היה גלגל עיניו עגול כשל אדם *Si orbis oculi rotundus fuerit, quemadmodum hominis* : v. quoque tr. בכרות Cap. VI. 8. Alterum : עינו אחת גדולה כשל עגל והשנייה קטנה כשל אווז *Si oculorum unus ejus magnitudinis, cujus vituli, alter vero tam parvus, quam est anseris.* Tertium : אם יש בלובן עינה יבלת שיש בה שיער *Si albo oculi verruca cum pilo inesset.* Quartum, quod Mischnæ verbis, ceu brevioribus, proferam : פיו דומה לשל חזיר *Si os ejus ori porci simile*, tr. בכרות Cap. VI. 8. Hæc IV. in oculis & facie animalis notabantur.

§. XLV. In dentibus alia quatuor : ut sunt חטין החיצנות שנקבו או שנגממו אף על פי שנשאר מקצתן או שנפגמו : אם נעקרו חטין הפנימיות שהרי בעת שפותחת פיה וצוחות הן נראין חסרין *Si dentes animalis exteriores perforati, aut fracti, licet non penitus, aut incisi, vel si interiores ita evulsi fuerint, ut ore aperto ac edito clamore eorum defectus conspici potuerit.*

§. XLVI. In cornibus, genitalibus, caudis decem : אם נטלו קרניים וזכורתן עמהם ולא נשאר מהן כלום אבל נקבה שיש לה קרנים כשרה אם נפגם העור שחופה את גיד הבהמה אם נפגמה הערוה של נקבה אם נפגם הזנב מן העצם אבל לא מן הפרק אם היה ראש הזנב מפוצל לשנים בשני עצמים אם היה בין חוליא לחוליא מלא אצבע בשר אם היה הזנב קצר ועד כמה בגדי חוליא אחד מום שתים כשר ובטלה אורך

אורך שתי חוליות מום היתה שלש כשר זנב הגדי שהיה רך ומדולדל דומה לשל חזיר אם נשבר עצמן מן הזנב אבל נשבר עצם מצלעותיו כשר מפני שאינו בגלוי; *Si cornua una cum virilitate eorum ita sublata fuerint, ut nihil quicquam superesset. At fœmina cornuta legitima erat: Si ea cutis pars, quæ nervum obtegit, incisa esset aut fœmellæ nuditas: Sic si caudæ os perforatum, non vero incisio inter vertebras facta fuisset: Si extremitas caudæ in duas divisa fuisset partes, ut in unaquaque os repertum fuisset: Si inter vertebras caro ad magnitudinem digiti interposita esset: Si cauda esset curta: Si cauda hoedi unam habuisset vertebram, tum vitium, si duas, nullum. Cauda agni quæ longitudinem duarum vertebrarum habuerat, vitiosa, sed trium legitima erat.* (Sic illegitima) *cauda hoedi, quæ adeo tenera & languida, ut porci similis: Si os ejus fractum: Si vero aliquod costarum os fractum fuisset, legitima fuisset victima, eo quod vitium non erat apertum.*

§. XLVII. Tandem pedum vitia in victima erant numero quinque. Primum: בעל חמש רגלים *Si quinque pedum fuerit.* Alterum: אם אין לה אלא שלש רגלים *Si trium tantum.* Tertium: אם היתה אחת מרגליו וידיו פרסתה עגולה כשל חמור אף על פי היא סדוקה ופרוסה *Si pedum posteriorum vel anteriorum unus quoad ungulam rotundus fuerit, ut asini, licet ungula fissa aut divisa.* Quartum: אם היתה ידו או רגלו קלוטה כשל חמור *Si pedis anterioris vel posterioris ungula solida, ut asini esse solet.* Quintum: אם נגממו טלפיה וזכורתן עמהן אף על פי שנשאר מזכורתן מעט קרוב לבשר *Si ungula excisa fuerit una cum virilitate, quanquam de hac parum quid circa carnem relictum fuisset.*

§. XLVIII. Meminit Maimonides quoque vitiorum, quæ distinctionis gratia עוברים *transitoria* vocant, qualia גרב לח חזזית שאינה מצרית מים שיורדין בעין ואינן קבועין סנורין שאינן קבועין *Scabies humida, impetigo, non tamen Ægyptiaca, aquæ in oculos defluentes, non tamen juges; Sic cœcitas non fixa.* Nec non quatuor morborum genera, ut מי שבלובן עיניו יבלת שאין בו שער אם נגממו קרניו אף על פי שנשאר מזכורתן מעט סמוך לבשר אם נפגמו חיטיו הפנימיות או נגממו חיטי הפנימיות *Quando verruca in albo oculi absque pilo esset: Si cornua ita fuerint succisa, ut de eorum virilitate parum prope carnem reli-*

reliquissent. Si dentes interiores fuerint fracti aut succisi: Hæc quoque ex quorundam Magistrorum judicio (quoniam non erant מן המובחר *selecta*) nec immolanda, nec etiam redimenda, sed tamdiu pascenda, donec aliud in ipsis vitium oriretur. Ipse tamen, quem hic secutus sum, Magister arbitratur talia immolata Deo ingrata non fuisse. v. tr. אסורי מזבח Cap. II.

§. XLIX. Tandem finiam prolixum satis vitiorum, quæ in animalia cadunt, eaque ad offerendum illegitima reddunt, Catalogum, si sequentium adhuc mentionem injecero ac simul memoravero quatuordecim species, ad quas Maimonides cuncta ab altari prohibita redigit. *Illa sunt:* Animal ob morbum ad esum illicitum, illicitum quoque ad aram. Dein si quod homini mortem intulisset. Porro si venere humano turpificatum aut ad Idololatriam adhibitum. Insuper quod duplicis naturæ, aut natum modo insolito per matris latus, vel quod tempore in Lege præfixo caruerat. Præterea, si quod speciem mentitum erat, veluti agnus ovinus à capra editus. Denique emtum mercede prostibuli aut pretio canis. Ultimo quod clam surreptum aut palam per vim ereptum erat. De his v. Maimonidem tr. אסורי מזבח Cap. II. §. 9. 10. III. 4. 5. 6. 7. V. 7.

§. L. *Hæ vero* בעל מום שאינו מן המובחר ומחוסר אבר מבפנים וטרפה וכלאים ויוצא דופן ורובע ונרבע ושהמית האדם המוקצה האתנן המחיר מחוסר זמן *Animal vitiatum: Quod non selectum: Quod caret membro interiori: Quod lethaliter affectum: Quod diversæ naturæ: Quod per latus editum: Quod mulierem compresserat: Quod à viro compressum: Quod necaverat hominum: Quod pro numine cultum: Quod destinatum ad cultum vani numinis: Quod meretricis merces aut quod canis pretium: Vel quod temporis indigum erat.* Si quæ ex memoratis speciebus commixta fuerit cum aliis animantibus, vel etiam mille, omnes ita contaminasset, ut ad aram illegitimæ redditæ fuissent. v. Maim. tr. cit. Cap. III. 11. 12.

§. LI. Licet plurima fuerint vitia, quæ animalia ab ara arcuerant, attamen unum aliquod jam suffecerat illa illegitima reddens. Clare hac de re lex loquitur: *Nulla macula* (in animali) *sit. In quo cæcitas,* aut *quod fractum* vel *mutilum* aut *in quo verruca* vel *scabies* vel *impetigo, non offeretis illa Jehovæ.* Lev. XXII. 21. 22. Conf. Deut. XV. 21.

XV. 21. XVII. 1. Recte itaque Maimonides tr. אסורי מזבח II. 6. כל מום *Unumquodque vitium ex numeratis 73. profanum reddebat animal, quominus offerri potuerit.*

§. LII. Atque hujus interdicti tantus rigor in gente Judaica habitus erat, ut contrarium agens verberatus fuerit. De hoc rigore plenius modo allegatus Maimonides. tr. cit. Cap. I. 4. שוחט בעל מום לשם קרבן לוקה שהרי נאמר בבעלי מומים לא תקריבו אלה לײ ומפי השמועה למדו שזו אזהרה לשוחט וכן הזורק דם בעלי מומין על מזבח לוקה שהרו נאמר בהן לא תקריבו אלה לײ מפי השמועה למדו שהיא אזהרה לזורק וכן המקטיר אימורי בעלי מומין על המזבח לוקה שנאמר ואשה לא תתנו מהן על המזבח אלו החלבים נמצאת למר שאם הקדיש בעל מום ושחטו וזרק דמו והקטיר אמורין לוקה ארבע מלקיות: *Si quis animal vitiatum nomine sacrificii mactat, ille verberatur. Vetitum enim de vitiatis* Lev. XXII. 22. Non offeretis illa Jehovæ (At verberibus coërcebatur ex Sapientum mente, qui Legem prohibitivam transgressus fuerit.) *Orali vero traditione acceptum est, dehortationem istam pertinere ad mactantem. Consimiliter, qui sanguinem victimarum vitio affectarum super altare spargit, verberabatur ob idem interdictum.* Non offeretis illa Jehovæ. *Ex orali vero traditione scimus, dehortationem hanc etiam spargentem spectare. Pariter se habet cum illo, qui exta talium sacrificiorum in ara incendit; Etiam hic verberabatur ob præceptum negativum.* Non adolebitis ex iis super altare Domini Lev. XXII. 22. *quo adeps intelligitur. Unde sequitur, si quis animal vitiosum sacrum fecisset, & mactasset, & ejus sanguinem sparsisset, & exta adolevisset, illum quater pœna verberationis castigatum fuisse.* Hunc rigorem extendendum putat Maimonides ad sacra non solum perpetuis vitiis sed & temporariis laborantia, ad Gentilium æque ac Judæorum, vitiata ante consecrationem ac etiam post eam culpa cujusdam, animalia æque substituta ac consecrata, exceptis tamen bestiis primogenitis & decimis, ceu quarum alia ratio. §. 5 - 9.

§. LIII. Qua occasione quæritur, quæ jura ipsius bestiæ in sacrificium donatæ quidem sed vitiosæ, vel integræ datæ, postea vitio affectæ. Non solum vitiosam offerens aut causans verberabatur, ut jam dictum, sed bestia nihilominus sacra habebatur, non quidem ut actu in ara offerri potuerit, sed ceu sacra ex Sacerdotis æstima-

æstimatione redimenda. Quo in casu pretium redemtionis impendebatur לקרבן *in aliud sacrificium*, bestia vitiosa vero מוכרין אותו בשוק בחולים *vendebatur in macello, ut aliæ profanæ vendi solent*, exceptis rursum primogenitis & decimatis. tr. & c. cit. §. 9. 11.

§. LIV. Porro quæritur, an Judæorum Sapientes convenienter voluntati & Legi Numinis alia adhuc victimarum vitia statutis Mosaicis non expressa definiverint ac animalia his affecta ab ara arcuerint? Vel an hæc annumeranda sint traditionibus Seniorum humanis, Legi contrariis? Prius generatim affirmatur. Etenim. 1. Lex Mosaica *omnem maculam, omnem rem malam* in victimis prohibet Lev. XXII. 20. 21. Deut. XVII. 1. Ergo maculæ, mala, quæ κατὰ ῥητὸν in Legibus non extant, simul prohibita sunt. 2. Species expressæ Lev. XXII. 22 - 24. ita late nominantur, ut generum naturam assumant ac alias sub se species comprehendant. 3. Ævo quoque Malachiæ illegitimæ declarantur victimæ, quæ à Mose expressis verbis reprobæ habitæ non erant, ut ægrotæ, raptæ Malach. I. 8. 13. 14. 4. Quis negabit Sapientes recte ab ara arcere animalia diversæ naturæ, coitu humano turpificata, in cultu idololatrico usurpata &c. licet expresse in Catalogo animalium vitiatorum non prostent. Praxis Sapientes docuit prohibere animalia, quæ diserte lex non prohibet. Quare circa hæc reprehendendi non essent, modo Legum graviorum, fidei, misericordiæ, justitiæ majorem habuissent rationem. Valet & hic illud Salvatoris; Ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι Matth. XXIII. 23. Num vero omnia prorsus à Sapientibus notata vitia talia ex virtute Legis sint, id altioris ac nimium prolixæ indaginis.

§. LV. Hinc oritur alia quæstio: An Mysterium etiam recte quæratur in vitiis Patrum παραδόσει traditis? Omnium primo quærendum illud est in speciebus Lege nominatis. Tum etiam quæri potest in illis, quas vis Legis certo continet. Valet tamen cautela: *Ne quid nimis*. Sed hac de re inferius plura.

§. LVI. Ex dictis constat, quod Sacerdotes Aaronici, κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς vocati, molestum ac difficile vivendi genus duxerint, maxime circa festa, ceu quorum erat distinguere inter sanctum & profanum. Lev. X. 10. Quod si enim unumquodque animal tot expositum erat vitiis, magna poscebatur sollicitudo circa explo-

explorationem eorum. Tempore feſtorum vero longe plurima tum publica, tum etiam privata, offerebantur ſacrificia, quæ cuncta ſub comminatione verberationis à vitiis immunia poſtulabantur.

§. LVII. Nullum ergo animal ante ſolicitum examen ſacrum fieri poterat. Quo facit hiſtoria de Bava ben Buta, cujus Ligtfootus meminit, illuſtrans locum Matth. XXI. 12. *Veniens quadam die Bava ben Buta in atrium, vacuum pecoribus illud reperit, deſolentur, inquit ille, domus eorum, qui deſolatam reddiderunt Domum Dei noſtri. Accerſivit ter mille oves ex ovibus Kedar, & poſt examen, an absque labe eſſent, eas introduxit in montem Domus.* Teſtimonium quoque Philonis in tr. de victimis p. 836. Edit. Francof. 1691. Πάντα δ᾽ ὁλόκληρα περὶ μηδὲν μέρος κηραίνεται τὰ τοῦ σώματος, ὅλα δι᾽ ὅλων ἀσινῆ μώμων ἀμέτοχα. Τοσαύτη γοῦν ἐστὶ πρόνοια οὐ μόνον τοῖς ἀνάγουσι τὰς θυσίας ἀλλὰ καὶ τοῖς ἱερωμένοις ὥστε οἱ δοκιμώτατοι τῶν ἱερέων ἀριστίνδην ἐπὶ ποδῶν ἄκρων ἐρευνῶσιν ὅσα τε ἐμφανῆ. Καὶ ὅσα ἐν γαστρὶ καὶ μηροῖς ἀνακέκρυπται, μήπου βραχεῖα λώβη διαλέληθε. *Requiruntur integra hæc omnia, illæſa partibus omnibus & maculis etiam nævisque carentia. Tanta enim cautela utuntur in hoc negotio & qui offerunt victimas & ipſi ſacrifici, ut probatiſſimi Sacerdotum peritiſſimique ab extremis pedibus exorſi per totum corpus inquirant, quæ ſunt conſpicua, ne ventre fœminibusque celetur vel minima labecula.* Maxime ſoliciti erant circa examen agnorum jugium, qui more agni paſchalis olim in Ægypto mactati examinabantur ד ימים קודם שחיטתו *quatuor diebus ante mactationem* v. Bartenoram ad tr. תמיד Cap. III. 4. Poſt examen peculiari includebantur conclavi, quod hinc dici ſolet טלאי קרבן *agnorum oblationis*, quodque ſitum in loci focarii parte *occidentali meridionali* tr. מדות Cap. I. 6. in quo jugiter ſex agni explorati reperiundi erant v. tr. ערבים Cap. II. 5. Iidem rurſum explorabantur die mactationis אף על פי שהוא מבוקר מבערב מבקרין אותו לאור האבוקות *Quamvis* (agnus jugis) *præcedente veſpera exploratus fuerit, rurſum explorandus ille* (die mactationis) *ad lucem candelarum*, nam forſan illa nocte vitium contraxit.

§. LVIII Inquiſitio beſtiæ vivæ nondum ſuffecerat; Inquirebatur quoque mactata ac ab ara prohibebatur ſequentes ob cauſas juxta Maimon. tr. אסורי מזבח Cap. II. 11. נשחטה ונמצאת טריפה הרי

æstimatione redimenda. Quo in casu pretium redemtionis impendebatur לקרבן *in aliud sacrificium*, bestia vitiosa vero מוכרין אותו בשוק כחולים *vendebatur in macello, ut aliæ profanæ vendi solent*, exceptis rursum primogenitis & decimatis. tr. & c. cit. §. 9. 11.

§. LIV. Porro quæritur, an Judæorum Sapientes convenienter voluntati & Legi Numinis alia adhuc victimarum vitia statutis Mosaicis non expressa definiverint ac animalia his affecta ab ara arcuerint? Vel an hæc annumeranda sint traditionibus Seniorum humanis, Legi contrariis? Prius generatim affirmatur. Etenim. 1. Lex Mosaica *omnem maculam, omnem rem malam* in victimis prohibet Lev. XXII. 20. 21. Deut. XVII. 1. Ergo maculæ, mala, quæ κατὰ ῥητὸν in Legibus non extant, simul prohibita sunt. 2. Species expressæ Lev. XXII. 22 - 24. ita late nominantur, ut generum naturam assumant ac alias sub se species comprehendant. 3. Ævo quoque Malachiæ illegitimæ declarantur victimæ, quæ à Mose expressis verbis reprobæ habitæ non erant, ut ægrotæ, raptæ Malach. I. 8. 13. 14. 4. Quis negabit Sapientes recte ab ara arcere animalia diversæ naturæ, coitu humano turpificata, in cultu idololatrico usurpata &c. licet expresse in Catalogo animalium vitiatorum non prostent. Praxis Sapientes docuit prohibere animalia, quæ diserte lex non prohibet. Quare circa hæc reprehendendi non essent, modo Legum graviorum, fidei, misericordiæ, justitiæ majorem habuissent rationem. Valet & hic illud Salvatoris; Ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι Matth. XXIII. 23. Num vero omnia prorsus à Sapientibus notata vitia talia ex virtute Legis sint, id altioris ac nimium prolixæ indaginis.

§. LV. Hinc oritur alia quæstio: An Mysterium etiam recte quæratur in vitiis Patrum παραδόσει traditis? Omnium primo quærendum illud est in speciebus Lege nominatis. Tum etiam quæri potest in illis, quas vis Legis certo continet. Valet tamen cautela: *Ne quid nimis.* Sed hac de re inferius plura.

§. LVI. Ex dictis constat, quod Sacerdotes Aaronici, κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς vocati, molestum ac difficile vivendi genus duxerint, maxime circa festa, ceu quorum erat distinguere inter sanctum & profanum. Lev. X. 10. Quod si enim unumquodque animal tot expositum erat vitiis, magna poscebatur sollicitudo circa

explo-

explorationem eorum. Tempore festorum vero longe plurima tum publica, tum etiam privata, offerebantur sacrificia, quæ cuncta sub comminatione verberationis à vitiis immunia postulabantur.

§. LVII. Nullum ergo animal ante solicitum examen sacrum fieri poterat. Quo facit historia de Bava ben Buta, cujus Ligtfootus meminit, illustrans locum Matth. XXI. 12. *Veniens quadam die Bava ben Buta in atrium, vacuum pecoribus illud reperit, desolentur, inquit ille, domus eorum, qui desolatam reddiderunt Domum Dei nostri. Accersivit ter mille oves ex ovibus Kedar, & post examen, an absque labe essent, eas introduxit in montem Domus.* Testimonium quoque Philonis in tr. de victimis p. 836. Edit. Francof. 1691. Πάντα δ' ὁλόκλημα περὶ μηδὲν μέρος κηραίνεται τὰ τοῦ σώματος, ὅλα δι' ὅλων ἀσινῆ μώμων ἀμέτοχα. Τοσαύτη γοῦν ἐστὶ πρόνοια οὐ μόνον τοῖς ἀνάγουσι τὰς θυσίας ἀλλὰ καὶ τοῖς ἱερωμένοις ὥστε οἱ δοκιμώτατοι τῶν ἱερέων ἀριστίνδην ἐπὶ ποδῶν ἄκρων ἐρευνῶσιν ὅσα τε ἐμφανῆ. Καὶ ὅσα ἐν γαστρὶ καὶ μηροῖς ἀνακέκρυπται, μήπου βραχεῖα λώβη διαλέληθε. *Requiruntur integra hæc omnia, illæsa partibus omnibus & maculis etiam nævisque carentia. Tanta enim cautela utuntur in hoc negotio & qui offerunt victimas & ipsi sacrifici, ut probatissimi Sacerdotum peritissimique ab extremis pedibus exorsi per totum corpus inquirant, quæ sunt conspicua, ne ventre fœminibusque celetur vel minima labecula.* Maxime soliciti erant circa examen agnorum jugium, qui more agni paschalis olim in Ægypto mactati examinabantur ד ימים קודם שחיטתו *quatuor diebus ante mactationem* v. Bartenoram ad tr. תמיד Cap. III. 4. Post examen peculiari includebantur conclavi, quod hinc dici solet טלאי קרבן *agnorum oblationis*, quodque situm in loci focarii parte *occidentali meridionali* tr. מדות Cap. I. 6. in quo jugiter sex agni explorati reperiundi erant v. tr. ערבים Cap. II. 5. Iidem rursum explorabantur die mactationis אף על פי שהוא מבוקר מבערב מבקרין אותו לאור האבוקות *Quamvis* (agnus jugis) *præcedente vespera exploratus fuerit, rursum explorandus ille* (die mactationis) *ad lucem candelarum*, nam forsan illa nocte vitium contraxit.

§. LVIII Inquisitio bestiæ vivæ nondum suffecerat; Inquirebatur quoque mactata ac ab ara prohibebatur sequentes ob causas juxta Maimon. tr. אסורי מזבח Cap. II. 11. נשחטה ונמצאת טריפה הרי

 זו

זו תצא לבית השריפה וכן אם נמצא אחד מאיבריה הפנמיות חסר אף על פי שאין טריפה כגון שנמצאת בכוליא אחת או שנטל הטחול הרי זו אסור למזבח ותשרף לא מפני שהיא בעלת מום שאין חסרון שבפנים חסרון אלא מפני שאין מקריבין חסר כלל שנ׳ תמימים יהיו לכם וכל היתר כחסר לפיכך אם נמצא שם ג׳ כוליות או ב׳ טחולים פסולה: *Si victima post mactationem reperitur lethaliter affecta, illa comburenda est. Pariter si membrum interius invenitur deficiens, licet lethaliter affecta non fuerit, velut quando renum alter aut splen deest, arcetur ab ara ac comburitur. Non quidem ideo ac si haberetur vitiata, etenim defectus interiorum vitium non est, sed quoniam prorsus non offerunt, quæ defectu laborant. s. e. est. Num. XXVIII. 10.* Integra vobis sint : *Et quemadmodum se habet cum iis, quæ desunt. sic cum iis, quæ redundant, veluti si victima haberet renes tres aut splenes duos, reproba illa esset.* Hinc lux affundi solet loco Hebr. IV. 13.

§. LIX. Sapientes arbitrabantur, ne hac quidem ratione pietati satisfieri, si victimæ labis immunes sint; offerendas insuper esse optimas, selectas כל שיביא לקרבן יביא מן המובחר וכך היו עשין בזמן המקדש מביאין אלים ממואב ומביאים כשבים שגביהם רחבים מחברון ומביאם עגלים מן השרון וגוזלות מהר המלך *Omne id, quod in sacrificium offertur, ex selecto offerendum illud est. Atque ita fiebat stante templo. Unde arietes è Moab, agnos lato dorso è Chebron, vitulos è Saron ac pullos columbinos è monte regio adduxerant.* Maimon. tr. אסורי מזבח Cap. VIII. 1. 2.

§. LX. ג. Progrediendum tandem & videndum, quænam sacrorum species poscantur integræ ac omnis labis expertes & an quædam ab his legibus immunes habeantur. Inquiremus autem tripliciter, tum ratione ipsarum specierum, ex quibus sacrificia constare solent, tum ratione animantium, quorum in sacris usus, tum denique ratione offerentium.

§. LXI. Quod primum attinet, constat tum ex sacris, tum quoque Judæorum Antiquitatibus quatuor præcipuas oblationum species recenseri : Holocausta scilicet, sacrificia pro peccato, pro reatu & pacalia. Ex his alia dicuntur eucharistica, vota alia, & alia spontanea. Et quoniam agnus paschalis, primogenita & deci-

mæ

mæ peculiaria jura habent, hinc reliquis distincte addi solent, v. Lev. I. II. III. IV. V. VI. VII. Exod. XII. Deut. XV. In hunc sensum Maimonides tr. מעשה הקרבנות Cap. I. 2. 3. כל הקרבנות בין של צבור בין של יחיד ארבעה מנין עולה וחטאת ואשם ושלמים ועוד יש שם שלשה מיני קרבן יחיד והם הפסח והבכור והמעשר: *Omnium sacrificiorum, tam publicorum, quam privatorum, quatuor sunt species: Holocaustum, sacrificium pro peccato, pro reatu & pacalia: Præterea tres species sacrificiorum privatorum sunt: Pascha scil. animalia primogenita & decimæ.*

§. LXII. Singulas nunc species perlustrabimus, observabimusque illas hac integritatis Lege teneri. Et primo quidem *holocausta*, quæ, si cutem excipis, tota comburebantur. Hæc integra postulantur Lev. I. 3 *si* עולה *holocaustum sacrificium fuerit ex bobus marem* תמים *integrum offerat.* Et v. 10. *si vero ex pecore minuto, ex agnis aut hoedis, sacrificium ejus fuerit, offerat marem* תמים *integrum.* Nec non Lev. XXII. 18. *qui obtulerit oblationem suam de cunctis* נדריהם *votis eorum & de cunctis* נדבותם *voluntariis eorum, quæ offerent Jehovæ* לעלה *in holocaustum ad beneplacitum vestrum* (offerat) תמים *integrum marem.*

§. LXIII. Occasione posterioris Legis difficultas oritur: Quomodo Legislator *holocausti* mentionem facit & simul notat illud nomine *voti & sacrificii voluntarii* offerri, quum tamen distinctæ sacrorum species sint, docente Mose ac consentientibus Magistris? Sunt quidem distinctæ veluti (a.) ratione sanctitatis. Holocausta sunt קדשי קדשים *sacrificia sanctissima.* At votiva & spontanea קדשים קלים *sancta levia.* (b.) Holocausta, quæ quadrupeda, ex solis masculis desumebantur. Non item pacalia, votiva, spontanea. (c.) Holocaustorum caro tota comburebatur, nulla ejus particula comedebatur. At votiva & spontanea poterant ex parte comedi. Ut alias transeam differentias. Attamen offerens poterat vovere ac sponte declarare, victimam suam עולה *holocaustum* esse debere. Quale sacrificium jura holocaustorum habuerat, non votorum & voluntariorum, de quibus Lev. VII. 16. Atque ita Legem Lev. XXII 18. explicamus, quæ hinc distinguitur à שלמים *pacalibus* v. 21. quum alias sacrificia ex voto & spontanea oblatione *species pacalium* sint. Vide Relandum Antiq. S. p. 3. C. V. Probat sequens Maimonidis

 dictum

dictum מתנדב אדם ונודר עולה ושלמים וכל מין שירצה מחמשת מיני מנחות הבאין בנדר ונדבה *Quilibet sponte promittit, vovet holocausta, pacalia & quamlibet ex quinque fertorum speciebus, quæ ex voto & spontanea oblatione offeruntur* tr. מעשה הקרבנות Cap. XIV. 1. Conf. §. 4. ac sparsim in Cap. XV. & XVI.

§. LXIV. Integra quoque requiruntur sacrificia pro peccato & pro reatu. Non quidem diserta eorum in sede hujus argumenti Lev. XXII. mentio fit. Attamen certissimum est. Constat ex generali Lege: *Non offeretis illa* (vitiata scil.) *Jehovæ neque ignitum dabitis de illis super altare Jehovæ* v. 22. sic Deut. XVII. 1. *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem aut pecus minutum, in quo macula, ulla res vitiosa.* Constat quoque ex specialibus alibi apud Mosen reperiundis, veluti de sacrificiis pro peccato. Lev. IV. 3. 23. 28. 32. de sacrificiis pro reatu Lev. V. 15. 18.

§. LXV. Integra præterea poscebantur שלמים *pacalia*, pacis inter Deum, Sacerdotes & Israelitas ob communem cibum testes. Expresse Lev. XXII. 21. *Quando quis offeret sacrificium pacificum Jehovæ ad separandum votum aut voluntarium de bobus vel pecore minuto, sit integrum ad beneplacitum, nulla macula ei insit.* Credibiliter Legislator hujus speciei plenius meminit, eo quod præ aliis videri queat ad Legem integritatis non ita examinanda, quandoquidem ad *sancta levia* nonnisi pertinet. Alibi quoque pacalia integra postulat Legislator Lev. III. 1. 6.

§. LXVI. Quæ vero ratio est pacalium generatim sumtorum, eadem erit specierum, quarum tres Lev. VII. numerari solent 1. תודה αἴνεσις, qua Deus ob collata beneficia laudatur, quæ dicitur זבח תודת שלמים *sacrificium laudis pacalium* Lev. VII. 13. Conf. v. 15. cujus caro prima die comedi debebat, quum sequentium altera quoque comedi poterat Lev. VII. 15. 16. 17. 2. נדר *votum*, quo Israelita pro impetrando beneficio se ad sacrificium adstrinxerat Lev. VII. 16. 3. נדבה ἑκούσιον, *spontanea oblatio*, quam quis nulla Lege obligatus sacram facit. Has duas posteriores species Hebræi ita distinguunt, ut votum habeatur, si quis generatim ait: הרי עלי *Ecce super me*, veluti holocaustum: Sed qui speciatim ait: הרי זה *Ecce hoc* holocaustum est, ἑκούσιον *dicunt* vid. Abarbanel ad Lev. XXII. 21. maxime Maimonid. tr. מעשה הקרבנת Cap. XIV. 4. 5.

§. LXVII.

§. LXVII. Non prorsus hic prætereunda est paulo difficilior vox לפלא quam Moses hac occasione adhibet Lev. XXII. 21. לפלא נדר או לנדבה. Ex usu constat dici de sacrificiis, non tamen omnibus, sed שלמים *pacalibus.* Num. XV. 8. *spontaneis* l. p. Num. XV. 1. *votis* l. p. Num. XV. 3. 8. Dicitur etiam de aliis votis Num. VI. 2. Lev. XXVII. 2. Qui *solutionis* notionem voci attribuunt, uti quædam translationes, illis loca citata minus favent, maxime Num. VI 2. Lev. XXVII. 2. Favent potius notioni *distinctionis*, *separationis*, qua quis certis rationibus motus id, quod hactenus suum, distinguit ac separat in usum sacrum, quo quoque aliquid tribuit constructio לנדר Num. VI. 2. לנדבה Lev. XXII. 1. Accedit, quod radix פלה *distinctionis*, *separationis* notionem extra hunc usum teneat v. *Cocceji* Lexicon. Ipse Moses per הזיר *separare* explicare videtur Num VI. 2. Oncelos per פרשה, Jonathan אפרשה, R. David Kimchi per הפרישה, Aben Esra per לפרש, quæ cuncta *separationem* notant, exponunt. Raschius & Abarbanel ulterius progrediuntur putantes intelligi separationem בדבור *sermone.* Etenim cogitatio cordis votum non constituit, sed verbum ore prolatum, ut *Joh. Fr. Breithauptus* ad Lev. XXII. 21. notat. Quo probabiliter *Persa* respicit, *ad declarandum votum.*

§. LXVIII. Alia adhuc difficultas hic oritur. Legislator Lev. XXII. 21. vetat sacrificium לנדבה *voluntarium*, quod ullam maculam habet: Postulat תמים *integrum.* At C. c. v. 23. ait bovem & pecus minutum redundantiæ enormis aut contractum, נדבה constitui posse, sive acceptum esse. Quomodo hæc conveniunt? Difficulter nodum solvunt, qui נדבה in utroque loco pro *sacrificio voluntario*, ein freywilliges Opffer, accipiunt. Facile, qui נדבה habent pro dono spontaneo in genere, cujus tantum species נדבה *sacrificium voluntarium* Lev. VII. 16. Significatum vero generalem non solum admittit radix sed & usus vocis. Adhibetur enim de variis donis pro Tabernaculo construendo Exod. XXXV. 29. *Omnis vir & mulier* אשר נדב לבם *quorum cor spontaneum ad offerendum pro cuncto opere, quod jusserat Dominus fieri per manum Mosis, offerebant filii Israelis* נדבה *voluntarium Jehovæ.* Vid. insuper Cap. XXXVI. 3. Quare נדבה v. 21. ut & 18. specialiter *sacrificium voluntarium* sed v. 23. generaliter *omne donum* Deo sponte sacrum notat. Commode itaque Raschius *pro voluntario dono facere*

dictum מתנדב אדם ונודר עולה ושלמים וכל מין שירצה מחמשת מיני מנחות הבאין בנדר ונדבה *Quilibet sponte promittit, vovet holocausta, pacalia & quamlibet ex quinque fertorum speciebus, quæ ex voto & spontanea oblatione offeruntur* tr. מעשה הקרבנות Cap. XIV. 1. Conf. §. 4. ac sparsim in Cap. XV. & XVI.

§. LXIV. Integra quoque requiruntur sacrificia pro peccato & pro reatu. Non quidem diserta eorum in sede hujus argumenti Lev. XXII. mentio fit. Attamen certissimum est. Constat ex generali Lege: *Non offeretis illa* (vitiata scil.) *Jehovæ neque ignitum dabitis de illis super altare Jehovæ* v. 22. sic Deut. XVII. 1. *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem aut pecus minutum, in quo macula, ulla res vitiosa.* Constat quoque ex specialibus alibi apud Mosen reperiundis, veluti de sacrificiis pro peccato. Lev. IV. 3. 23. 28. 32. de sacrificiis pro reatu Lev. V. 15. 18.

§. LXV. Integra præterea poscebantur שלמים *pacalia*, pacis inter Deum, Sacerdotes & Israelitas ob communem cibum testes. Expresse Lev. XXII. 21. *Quando quis offeret sacrificium pacificum Jehovæ ad separandum votum aut voluntarium de bobus vel pecore minuto, sit integrum ad beneplacitum, nulla macula ei insit.* Credibiliter Legislator hujus speciei plenius meminit, eo quod præ aliis videri queat ad Legem integritatis non ita examinanda, quandoquidem ad *sancta levia* nonnisi pertinet. Alibi quoque pacalia integra postulat Legislator Lev. III. 1. 6.

§. LXVI. Quæ vero ratio est pacalium generatim sumtorum, eadem erit specierum, quarum tres Lev. VII. numerari solent 1. תודה αἴνεσις, qua Deus ob collata beneficia laudatur, quæ dicitur זבח תודת שלמים *sacrificium laudis pacalium* Lev. VII. 13. Conf. v. 15. cujus caro prima die comedi debebat, quum sequentium altera quoque comedi poterat Lev. VII. 15. 16. 17. 2. נדר *votum*, quo Israelita pro impetrando beneficio se ad sacrificium adstrinxerat Lev. VII. 16. 3. נדבה ἑκούσιον, *spontanea oblatio*, quam quis nulla Lege obligatus sacram facit. Has duas posteriores species Hebræi ita distinguunt, ut votum habeatur, si quis generatim ait: הרי עלי *Ecce super me*, veluti holocaustum: Sed qui speciatim ait: הרי זה *Ecce hoc* holocaustum est, ἑκούσιον *dicunt* vid. Abarbanel ad Lev. XXII. 21. maxime Maimonid. tr. מעשה הקרבנת Cap. XIV. 4. 5.

§. LXVII.

§. LXVII. Non prorsus hic prætereunda est paulo difficilior vox לפלא quam Moses hac occasione adhibet Lev. XXII. 21. לפלא נדר או לנדבה. Ex usu constat dici de sacrificiis, non tamen omnibus, sed שלמים *pacalibus.* Num. XV. 8. *spontaneis* l. p. Num. XV. 1. *votis* l. p. Num. XV. 3. 8. Dicitur etiam de aliis votis Num. VI. 2. Lev. XXVII. 2. Qui *solutionis* notionem voci attribuunt, uti quædam translationes, illis loca citata minus favent, maxime Num. VI 2. Lev. XXVII. 2. Favent potius notioni *distinctionis*, *separationis*, qua quis certis rationibus motus id, quod hactenus suum, distinguit ac separat in usum sacrum, quo quoque aliquid tribuit constructio לנדר Num. VI. 2. לנדבה Lev. XXII. 1. Accedit, quod radix פלה *distinctionis*, *separationis* notionem extra hunc usum teneat v. *Cocceji* Lexicon. Ipse Moses per הזיר *separare* explicare videtur Num VI. 2. Oncelos per פרשה, Jonathan אפרשה, R. David Kimchi per הפרשה, Aben Esra per לפרש, quæ cuncta *separationem* notant, exponunt. Raschius & Abarbanel ulterius progrediuntur putantes intelligi separationem בדבור *sermone.* Etenim cogitatio cordis votum non constituit, sed verbum ore prolatum, ut *Joh. Fr. Breithauptus* ad Lev. XXII. 21. notat. Quo probabiliter *Persa* respicit, *ad declarandum votum.*

§. LXVIII. Alia adhuc difficultas hic oritur. Legislator Lev. XXII. 21. vetat sacrificium לנדבה *voluntarium*, quod ullam maculam habet: Postulat תמים *integrum.* At C. c. v. 23. ait bovem & pecus minutum redundantiæ enormis aut contractum, נדבה constitui posse, sive acceptum esse. Quomodo hæc conveniunt? Difficulter nodum solvunt, qui נדבה in utroque loco pro *sacrificio voluntario*, ein freywilliges Opffer, accipiunt. Facile, qui נדבה habent pro dono spontaneo in genere, cujus tantum species נדבה *sacrificium voluntarium* Lev. VII. 16. Significatum vero generalem non solum admittit radix sed & usus vocis. Adhibetur enim de variis donis pro Tabernaculo construendo Exod. XXXV. 29. *Omnis vir & mulier* אשר נדב לבם *quorum cor spontaneum ad offerendum pro cuncto opere, quod jusserat Dominus fieri per manum Mosis, offerebant filii Israelis* נדבה *voluntarium Jehovæ.* Vid. insuper Cap. XXXVI. 3. Quare נדבה v. 21. ut & 18. specialiter *sacrificium voluntarium* sed v. 23. generaliter *omne donum* Deo sponte sacrum notat. Commode itaque Raschius *pro voluntario dono facere*

poteris (animal vitiosum) לבדק הבית *ad reparationem templi*, non vero usum altaris. Maimonides, uti illum Ainswortus ad h. l. citat, ait: Ecclesiasticam exstare traditionem, quæ docet verba v. 23. intelligenda esse de *bestiis vitio affectis* Deo ad Templum resarciendum sponte donatis.

§. LXIX. Quando vero Lex permittit bestias vitiosas in donum voluntarium, non vero in votum, quæritur, quæ hujus rei ratio sit? Voti major videtur sanctitas, hinc rigor, quam spontanei doni. Illius ratio imminens periculum Jon. I. 16. aut peculiare beneficium Gen. XXVIII. 20. non item hujus. Itaque voto obligatus ad perfecta animalia tenetur.

§. LXX. Atque ita evicimus quatuor communes sacrificiorum species hac integritatis Lege constringi. Quædam addenda sunt ratione agnorum paschalium, animalium primogenitorum ac decimatorum. Illos sive agnos paschales quod attinet, Lex clarissima prostat שה תמים *Pecus minutum integrum sit.* Exod. XII. 5. cum qua omnes Magistri consentiunt, ac ideo arbitrantur agnum jam decima die à grege separandum fuisse, quo longum suppeteret tempus exacti examinis v. Goodw. L. III. C. IV. §. 11. 12. n. 9.

§. LXXI. Major difficultas videtur circa animalia primogenita ac decimata, quippe nulla hic animalium electio valebat. Sacra erant, quæ primo partu talia, aut jure decimationis.

§. LXXII. De primogenitis notanda est lex Deut. XV. 21. *si in eo* (primogenito) *fuerit macula*, (velut si fuerit) *claudicans aut cæcum* (vel) *quamcunque habuerit malam maculam*, *non sacrificabis illud Jehovæ Deo tuo.* Adeoque non sparges sanguinem ejus in ara nec adipem adolebis Num. XVIII. 17. aut carnem comedes, ut integrorum jura erant.

§. LXXIII. Ne vero lex hæc violaretur atque bestia primogenita vitiosa diceretur, quæ tamen talis non erat, Sapientes gentis Judaicæ statuerant, ne *jugularetur*, אלא על פי מומחה שנתן הנשיא שבארץ ישראל רשות *nisi ex sententia viri experti, quique à supremo judice terræ Israeliticæ potestatem acceperat*, ne quidem in illis casibus, si vitium erat גדול וגלוי *magnum ac manifestum.* Talis expertus cujusvis fœtibus primogenitis perlustrandis aptus erat, חוץ מבכורי עצמו *excep-*

exceptis tamen propriis. Quod si vero ejusmodi vir expertus ad manus esse non poterat, bestia primogenita nihilominus mactabatur, cui vitium notissimum erat, על פי שלשה בני הכנסת ex *sententia trium virorum Synagogæ* v. Maim. tr. בכורות Cap. III. 1. 2. Si quis autem talem bestiam jugulasset, non vero antea viro experto lustrandam dedisset, אסור ויקבר כבכור שמת *interdicta erat ac sepelienda ad instar primogenitæ mortuæ*, licet post mactationem vitium, quale jam antea certo erat, ostendisset. Sepelienda quoque erat, quæ quidem ante jugulationem perlustrata, sed ab eo qui non erat מומחה *expertus.* Imo hic condemnabatur ad certam summam solvendum.

§. LXXIV. Juxta Legem fœtus primogenitus vitiosus promiscue comedebatur. *Intra portas comedas illum. Immundus ac mundus pariter* (comedere poterit,) *ut capream & cervum*, excepto tamen sanguine, qui in terram effundendus erat. Deut. XV. 22. 23. quam Maimonides ita deducit בכר בהמה טהורה שהוא בעל מום בין שנולד במומו בין שנפל בו מום אחר שהיה תמים הרי הוא לכהן אם רצה אוכלו בכל מקום או מכרו או מאכילו למי שירצה אפילו לגוי מפני שהוא חולין *Bestia primogenita munda, quæ vitio affecta sive vitiosa nata fuerit sive postea facta, ita Sacerdotis erat, ut illam ubicunque locorum comedere potuerit, aut vendere vel aliis, quibus voluerat, comedendam dare, licet Ethnico, quippe profana erat* tr. בכרות C. III. 1. De vitiis fœtus primogeniti alia non monebimus præter ea, quæ supra. Si quis tamen de his curatius instrui vellet, legat Maim. in Tract. cit. Cap. II.

§. LXXV. Quod vero ultimo bestias decimas attinet, de illarum integritate ac usu in ara nihil speciatim ac diserte Legislator statuit. At Magistri utrumque tradunt. Maimonides tractatu בכורות Cap. VI. 4. דין מעשר בהמה שיהיה נשחט בעזרה וזורקין את דמו זריקה אחת כנגד היסוד ומקטיר אמורין ושאר הבשר נאכל לבעלים בירושלים כשאר קדשים קלים ואין לכהנים בו כלום אלא בולו לבעלים כפסח ואם היה בעל מום בין שנפל בו מום בין שהפרישה בתחלה במומו הרי זה נאכל בכל מקום *Bestiæ decimæ jus sequens erat; Mactabatur illa in atrio & sanguis ejus una sparsione versus fundamentum altaris*

altaris spargebatur, exta vero adolebantur, reliqua caro à possessoribus Hierosolymis comedebatur, ut sacra levia comedi solent. At Sacerdotibus nihil exinde cesserat, sed tota possessorum erat, quemadmodum agnus paschalis. Si vero bestia decima vitio laboraverat, sive vitium post separationem attraxisset sive jam ante vitiosum exstitisset, illa passim locorum comedi poterat. Loquitur autem de decima secunda, notante Ludovico de Compiegne de Veil ad h. l. Quando vero decima קדש יהוה *sancta Jehovæ* Lev. XXVII. 32. ac vitiata quæque ara respuit, nullam video rationem, quare circa integritatem animalium decumorum aram tangentium Magistris non esset fides habenda.

§. LXXVI. Ad secundum progredior paucis inquisiturus, quænam animalia aræ sacra integra poscantur. Hac de re lex Deut. XVII. 1. *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo* שור ושה *bovem & pecus minutum, in quo macula, ulla res vitiosa.* Conf. Lev. XXII. 23. Aliis verbis idem præcipit Legislator memorans בקר וצאן v. 21. scil. voces שור ac בקר notant genus *bovinum*, juvencos, vitulos, sed שה & צאן *genus ovinum & hircinum*, veluti arietes, oves, agnos, hircos, capras, hœdos, ut clare scimus ex collatione cum v. 19. (offerat) *masculum integrum è bobus, ovibus*, (aut genere ovino) & *capris.* vid. quoque Lev. I. 10.

§. LXXVII. Hac tamen exacta integritatis Lege non constringuntur sacrificia aviaria, constantia è turturibus aut pullis columbinis. Rationes sunt *I.* Lex quadrupedum nonnisi meminit. Lev. XXII. 17-27. Deut. XVII. 2. & alibi. 2. Ubi aves memorat, neque poscit integritatem neque vetat vitia Lev. I. 14. V. 7. XII. 8. XIV. 22. 23. 3. Consentiunt Magistri. Raschius ad Lev. XXII. 19. בעולת העוף אין צריך תמות *in holocausto avium integritas non poscitur.* Maimonides in tr. אסורי מזבח Cap. III. 1. אין המומין פוסלין בעוף וכן אחד הזכר ואחד הנקבה בעוף שלא נאמר תמים זכר אלא בבהמה בלבד *Aves vitiis non temerantur: Perinde quoque se habet sive mares sive fœminæ. Neque enim jubet Legislator*: Masculus integer, *nisi ratione quadrupedum tantum.*

§. LXXVIII. Quanquam lex volucres integras haud poscat, non tamen putandum quasdam enormiter vitiosas legitime oblatas fuisse, utpote ita offerentes, quam Deo debent, reverentiam minime

me teſtatam feciſſent. Quare probanda Maimonidis, quæ ſequuntur. בר"א במומין קטנים אבל עוף שיבש גפו או נסמית עינו או נקטעה רגלו אסור לגבו המזבה שאין מקריבין חסר כלל וכן אם נולד בו אחד מן הטריפות שאוסרין אותו באכילה הרי זה נפסל לקרבן *Quomodo hæc* (de vitiis aves non temerantibus) *intelligenda ſunt ? De vitiis minutis. Quod ſi vero corpus avis exaruiſſet , aut oculus ejus excæcatus aut pes abſciſſus eſſet , altari interdicta illa erat. Neque enim offerendum , quod parte caret. Pariter ſi aliquo morborum , qui lethaliter afficiunt, & avem reddunt eſu illicitam, laboraret* tr. אסורי מזבח Cap. III. 1. *vid. alia in ſeq. & etiam Cap. IV.*

§. LXXIX. Reſtat tertium, ſive quinam offerentes ad Legem integritatis quoad ſacrificia ſervandam teneantur. Tenentur Sacerdotes, Iſraëlitæ, Proſelyti ac etiam Gentiles v. ſupra 10 - 16. Heic tamen paulo plenius exponenda lex peculiaris Ethnicos ſpectans , quæ ita ſonat : *Etiam de manu Ethnici non offeretis panem Dei veſtri de omnibus iſtis , quoniam corruptio eorum in iis. Non acceptabuntur pro vobis* Lev. XXII. 25.

§. LXXX. Commode ſub phraſi לחם אלהיכם *panis Dei veſtri* victima Deo ſacra intelligitur. Poſtulat nexus, admittit uſus Lev. XXI. 8. 22. Clarius adhuc Lev. III. 11. XXI. 6. 17. Num. XXVIII. 24. ubi per קרבן אשה, *ignitum*, *ſacrificia* in connexione explicatur v. quoque Ezech. XLIV. 7. Senſus quoque commodus, nam ut Anonymus in Lev. XXII. 25. quem Rhenferdius publicavit, habet : *Eſt vox* לחם ab edendo *tracta* ; *nimirum , quoniam victima , velut ignis eſca fuit ac cibus appoſitus Deo.* Conveniunt quidam ex veteribus interpretibus, Onkelos ac Jonathan , qui קורבן, Arabs *ſacrificium* , Perſa *oblationem* transferunt. Quare nequaquam audiendi , qui *panes propoſitionis* , de quibus in nexu nulla mentio, intelligunt.

§. LXXXI. Poſtulat ergo Legislator, ut etiam Ethnicorum ſacra vel unico vitio affecta ab ara prohibeantur. *E manu Ethnici non offeretis panem Dei veſtri* מכל אלה *de omnibus iſtis* , vitiis ſcilicet. Optime Arabs : *Dum fuerit in ipſo aliquod ex his vitiis.* Præter textum & ſcopum Vulgatus. *Et quicquid aliud dare voluerit.*

§. LXXXII. Postulatum dein rationibus munit. *Quia corruptio eorum in iis : Macula in iis : Non acceptum erit vobis.* Primo intuitu משחת haud incommode *corruptionem* moralem offerentium, מום physicam oblationum notat. At quoniam sacrificia integra ab Ethnicis acceptata erant, ut statim probabimus, ratio non stringit. Itaque utrumque ipsarum victimarum corruptionem physicam significat, atque posterius prius explicat. Sic quoque hæc vox sumitur Malach. I. 14.

§. LXXXIII. Interdicit ergo Legislator non simpliciter victimis Ethnicorum, sed tantum vitiosis, quales quoque, si ab Israëlitis oblatæ, rejectaneæ fuissent. Integras vero, quas Ethnici Deo Israëlis bono animo donabant, acceptatas fuisse hic ipse textus probat. Quando enim ratio horum sacrorum non offerendorum *corruptio*, *macula* est, sequitur quod, quæ absque corruptione & macula sunt, offerri queant. Nec exstat generalis lex Gentilium sacrificia prohibens. Habebant hi libertatem in Templo precandi ac spem exauditionis 1. Reg. VIII. 41 - 44. Ergo etiam offerendi. Preces olim sacrificiis conjunctissimæ erant. Sacrificia porro, teste Philone, libro *de victimis* p. 836. c. facta erant ὑπὲρ ἅπαντος ἀνθρώπων γένους *pro universo humano genere.* Quare non nomine *piorum* Gentiles inter? Prostant denique exempla Darii, Regis Persarum Esdræ VI. 8 - 11. Seleuci quoque Asiæ Regis 2. Maccab. III. 3. regios sumtus impendentium ad sacrificia in Templo Hierosolymitano.

§. LXXXIV. Licet Judæi Ethnicos contemtissime habeant, fatentur tamen eorum sacra aræ admota fuisse, licet non sine exceptionibus. Raschius ad h. l. תמימה תקבלו מהם לכך נאמר למעלה איש איש לרבות את הגוים שנודרים נדרים ונדבות כישראל *Victimam integram accipietis ab* (Ethnicis.) *Quare supra v. 18. dictum est :* איש איש quilibet, *ut etiam Gentiles comprehendantur, qui vota faciunt ac oblationes spontaneas consecrant, ut Israëlita.* Maim. tr. מעשה הקרבנות Cap. III. 2. אבל הגוים אין מקבלין מהן אלא עולות בלבד שנאמר ומיד בן נכר לא הקריבו את לחם אלהיכם אפילו עלות העוף מקבלין מן הגוי אע״פ שהוא עובד ע״ז אבל אין מקבלין מהן שלמים ולא מנחות

ולא

ולא חטאות ואשמות וכן עולות שאין באות כנדר ונדבה אין מקבלין אות מן הגוים כגון עולות יולדת וביוצא בה מעולות שאינן באות משום נדר ולא משום נדבה: *Quod vero attinet Gentiles, ab illis non nisi holocausta accipiunt.* Eſt enim ſcriptum Lev. XXII. 25. & è manu alieni non offeretis panem Dei veſtri. *Accipiunt etiam aves in holocaustum à Gentili, idololatra licet: Non tamen accipiunt vel pacalia, vel ferta, aut ſacrificia pro peccato vel reatu; Ne quidem holocauſta, quæ votiva aut voluntaria non erant, ut holocauſta puerperarum ac his ſimilia; quæ neque ex voto neque ex voluntaria ſponſione offerebantur.*

§. LXXXV. ד Tandem ſequitur quartum membrum partis primæ, quod Legis rationes continet. Alia reſpicit ſacrificia integra Lev. XXII. 19. לרצניכם *ad beneplacitum veſtrum* (offerat) *integrum.* Sic v. 21. *integrum erit* לרצון *ad beneplacitum: Nulla ei inerit macula.* At alia *vitioſa:* Nam non erit vobis לרצון *ad beneplacitum* v. 20. Deut. XXII. 1. *nam abominatio Jehovæ Dei tui illud, quod vitioſum eſt.*

§. LXXXVI. Vox רצון, cujus in materia ſacrificiorum frequens uſus eſt, (vide inſuper Eſ. LVI. 7. Jer. VI. 20.) hic non notat *ſponte*, ut Coccejus, Philologus alioquin ſolidus, locum accipit (vide illum in Lexico) ſed *beneplacitum*, εὐδοκίαν Dei, qua ſacrificium benevole acceptat, offerenti favet, benefacit & preces ejus exaudit. Rationes ſunt 1. Adhibetur enim ut ratio, motivum ſacrificium integrum offerendi, ut v. 21. & clariſſime v. 20. *nam non erit* לרצון *vobis.* Vel quis ſenſus, ſi verteres *nam non erit ſponte vobis?* At facillimus: *Nam non erit beneplacitum vobis*, ſive Deus ſacrificium vitioſum benevole non acceptabit, nec ideo vobis favebit. Jam quæ ratio vocis v. 20. 21. eadem v. 19. 2. Hoc ſenſu alibi in conſimili materia adhibetur Lev. XXIII. 11. *& agitabitur manipulus coram Domino* לרצנכם *ad acceptationem veſtri*, ut grati ſitis, quemadmodum ipſe Coccejus hic exponit. 3. Poſcit oppoſitio Deut. XVII. 1. nam ſacrificium vitioſum *eſt abominatio Jehovæ Deo tuo.* Ergo integrum רצון εὐδοκία, in quo Deus acquieſcit. Vide ſimilem oppoſitionem Prov. XI. 1. 4. Rationibus accedit auctoritas. Solum allego Raſchium הביאו דבר הראוי לרצות אתכם לפני שיהי לכם לרצון אפיימנט בל"עז *offerte id, quod vos coram me acceptos reddere*

dere valet, ut sit εἰς εὐδοκίαν vobis. Vox רצון *in Linguâ Gallicâ est appaiment.* Recte Breithaupt legit אפייצמנט vel etiam אפייסמנט quod est Gallorum *appaisement.*

§. LXXXVII. Fortissime ita Legislator compellit ad victimas integras Deo offerendum, coërcet vero ab oblatione vitiosarum. Sapiens cultor nihil perinde desiderat, quam εὐδοκίαν *benevolentiam* Numinis, metuit vero displicentiam ac iram ejus. Ideo quoque sacra Deo facit, ut accepta sint ac offerentem acceptum reddant, ex adverso iram, si quam malis moribus hactenus erga se provocavit, avertant; quare integra sacra rite facturus poterat sibi à Deo promittere cultus sui apprbationem, benevolam acceptationem, gratiam ac benedictionem divinam, sed vitiosa offerens Deum expertus erat actum hunc religionis fastidientem, damnantem, irascentem ac judicia inferentem. Disce hanc vim vocis רצון & תעבה ex sequentibus locis: Deut. XXXIII. 23. Prov. XI. 1. XII. 2. XIX. 12. Psal. V. 7. Psal. CXLV. 16. Jes. LXI. 2.

§. LXXXVIII. At paulo propius inquirendum est, quare Deus sacrificia integra sibi offerenda præceperit, eaque benevole accipienda promiserit, ac vitiosa ab ara prohibuerit ac eorum abominationem graviter interminatus fuerit. Duplex maxime hujus divini instituti causa est. Una aperta satis & quæ facile observari potest. Altera occulta magis ac mystica. De illa primum.

§. LXXXIX. Deus est אל כבוד Θεὸς δόξης, *Deus gloriæ*, qui humillimam sui agnitionem ac profundam venerationem à creaturis intelligentibus postulat. Talis maxime ab Israële agnosci & coli volebat, utpote singulare cum illo fœdus pepigerat atque ideo solenniter honorari jusserat. Forma regiminis, qua populus Israël regebatur, theocratica erat, habebaturque Jehova ejus Rex peculiari prorsus ratione. Quare ut in aliis cultus ac obedientiæ partibus, sic in sacrificiis magnifice habendus ac exaltandus erat; At vero sacrificia vilia, rejectanea, vitiosa, ægrota, morbida ei consecrata quam maxime Majestatem ejus dedecuissent. Dona enim testantur tum de animo offerentis, tum etiam claritate ejus, cui donantur. Qui itaque abjecta offerunt, declarant se abjecte de Deo sentire, alios habere eminentiores. Quum munera selectissima, eximia testatum faciant Deum reverenter coli, amari, aliis, qui-

cunque

cunque etiam gloria illustres, præferri, id quod Leges divinæ indicant, poscunt. *Non sacrificabis JEHOVÆ DEO TUO bovem vel pecus minutum, in quo macula, ulla res vitiosa. Nam hoc abominatio est JEHOVÆ DEO tuo.* Deut. XVI. 1. *Non offeretis illa* (vitiosa) *JEHOVÆ & ignitum non dabitis super altare JEHOVÆ.* Lev. XXII. 22. quasi lex dicere vellet ; Probe memor sis, cui offerre velis. Est Jehova Deus tuus. Noli itaque corrupta, contempta tanto Numini & Regi tuo consecrare, *omne, quod offerent Jehovæ in holocaustum ad beneplacitum vestrum, offerant integrum marem.* Lev. XXII. 18. 19.

§. XC. Egregie huc facit Malachias : *Si adducitis cæcum ad sacrificandum, nonne malum ? Et si adducitis claudum ac ægrotum, nonne malum ? Quæso offer illud duci tuo, an benevole accipiet ? An faciem tuam suscipiet ? Ait Jehova Zebaoth* Cap. I. 8. & V. 13. 14. *Et adduxistis raptum, & claudum & ægrotum atque* (etiam) *adduxistis* (tale) *fertum ; An benevole illud accepturus e manu vestra ? Ait Jehova : Maledictus, qui dolose agit, qui quum in grege masculum pecus habeat & vovet ac sacrificat corruptum Domino : Quoniam rex magnus ego sum, inquit Jehova Zebaoth, ac nomen meum tremendum inter Gentes.* Dignus est locus, quem illustremus. Et quidem attendemus, tum ad scelus, cujus Sacerdotes cum populo accusantur, tum ad rationes convincentes.

§. XCI. Quod scelus attinet, consistebat illud in sequentibus: Populus Israël, ut videtur, in captivitate Babylonica dedidicit summe honorandum Numinis cultum, res vero suas studiose quæsivit, quod etiam scire licet ex Haggæo vate hujus temporis. Quando vero Templo rursum exstructo sacrificandum tamen erat, loco hostiarum selectissimarum vitiosas immolabant, cœcas, claudas, ægrotas, imo etiam raptas, ceu quas bonis suis minimum damnum adferre putabant. Factum hoc, cujus gens tanti Numinis ignara & irreverens accusatur, voluntarium ex dolo & avaritia, non vero necessitate & paupertate fuisse clare docet citatus 14. versus: *Maledictus* נוכל *dolose agens, qui quum habeat in grege suo masculum & vovet ac immolat corruptum Domino.* Sed dices, quomodo opponit Propheta *masculo* corruptum ? Bochartus putat, quia mas præstat fœmina, at præstantiora Deo sunt immolanda *Hieroz.* p. I. p. 584. Id quidem verum ; attamen sacrificia fœminina non simpliciter vitiosa habebantur, ne quidem in votivis. Kimchius Ellipsin statuit;

tuit; *Quum habeat in grege suo masculum*, scil. תמים *integrum & tamen immolat corruptum.* Haud male. Ellipses in sacris frequentissimæ sunt. Hæc facilis ob claram oppositionem. Forsan textus respicit Legem Lev. XXII. 19. *qui obtulerit oblationem suam de cunctis* נדריהם *votis eorum & de cunctis voluntariis eorum, quæ offerent Jehovæ in holocaustum ad beneplacitum vestrum, offerat* זכר תמים *integrum marem.* Noluit tamen totam Legem ceu notam exprimere. Raschius explicit per איל ההגון לעלה *arietem aptum holocausto.* Syrus quoque per *arietem* sanum. Verum זכר apud Hebræos *arietem* in specie non notat: LXX. εὐχὴ αὐτȣ̃ ἐπ' αὐτῷ *votum ejus super eo*, puta *mare*, sive qui speciatim voto suo marem expressit & eum non immolat, is corruptum immolat. Sensus satis commodus est.

§. XCII. Sceleris convincuntur tribus rationibus. 1. Quod contra Legem רע *malum* sacrificent. אין רע *Nonne malum?* Ita interrogative sumunt LXX. Syrus, Arabs, Chaldæus, ac Vulgatus, ut Judæi in conscientia fortius de violatione Legis convincantur. Lex enim clare cœcitatem, claudicationem pro vitiis sacrificiorum, quæ ideo͞ ara interdicta sunt, habet. Maxime conferenda sunt Deut. XV. 21. *Si fuerit in eo macula* (velut si fuerit) *claudum aut cœcum*, (aut) *quacunque macula* רע *mala, non sacrificabis illud.* Et Cap. XVII. 1. *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem aut pecus minutum, in quo macula, ulla res* רע *mala.* 2. Quod animalia vitiata, morbida, etiam hominibus, præfectis, regem superiorem agnoscentibus data ingratissima sint, ac offensionem, iram, vindictam loco gratiæ & favoris concilient. *Quæso*, Propheta ait, *offer* לפחתך *duci tuo.* An benevole accipiet? An suscipiet faciem tuam? Ex ævo Malachiæ constat gentem Judaicam regibus Persiæ subjectam fuisse. Hi vero constituerant פחות *duces*, nomine regio præfectos, quibus Israël permultum singulis diebus solvere debebat v. Neh. V. 15. 18. Huc alludens vates ait: *Quæso offer duci tuo* animalia cœca, clauda, morbida in usum mensæ? Q. d. Nihil dicam de rege vestro, sed servo ejus tantum, qui vobis præfectus, (cui vos Sacerdotes dignitate non adeo impares estis) electus tum, ut videtur ex fratribus. An hic vitiata animalia ad sustentationem suam benevole à vobis accipiet? Nequaquam. 3. Quod summam Majestatem Dei ita contemtim habeant. Quo refero. *Ait Jehova Zebaoth* v. 8. Plenius v. 14. *Nam Rex magnus ego sum, ait Jehova Zebaoth & nomen meum*

tremen-

tremendum inter Gentes. Animalia vitiata, morbida respuit mensa ducis, servi Persiæ: Vos vero victimas corruptas νοσερὰς altari, quod mensa Dei est, imponitis. Qui tamen Jehova, Numen, quod à se & per se est, in quo omnes creaturæ subsistunt, qui Rex vere *magnus*, cum quo ipse Persarum Rex collatus Rex parvus, עבד *servus* ejus tantum est, qui צבאות *exercitus* innumeros, fortissimos in terra, mari, cœlo habet ac gubernat, cujus nomen inter ipsas Gentes, non tantum in Israële, נורא *tremendum* est. Cogitate igitur, quam imprudenter ac scelerate agatis! Et quod loco favoris divini ira Numinis adversus vos exardescet.

§. XCIII. Ex hac testimonii Malachiani aliquali expositione constat, Prophetam hunc aliorum more Mosen, ceu reliquorum vaticiniorum fontem respexisse, atque Judæos ad ἀρχὴν reduxisse. Unde diserte meminit quorundam vitiorum, quæ Moses nominat. Sic voces רע, רצון, משחת ad Mosen hoc in themate alludunt, ut partim jam observatum, partim inspici potest Lev. XXII. 19. 25. Quanquam & hoc inde pateat sensum Legis non κατὰ ῥητὸν sed διάνοιαν acceptum fuisse. Unde Malachias meminit victimarum *ægrotarum*, *raptarum*, ceu illegitimarum, quarum tamen Moses nullam expressam facit mentionem.

§. XCIV. Tanto audaciores Judæi tempore Malachiæ erant, quod ipsum naturæ lumen Ethnicos docuerit non alias Diis suis offerre hostias, quam selectas & eximias, imperfectas vero ab ara arcere, ut jam à pluribus observatum est. Quando vero hic ex professo de *victimarum integritate* agimus, hæc, ab aliis tacta licet, intacta relinquere non licet.

§. XCV. Sacris congrua animalia perfecta a Gentilibus postulari docent, quæ sequuntur. Plutarchus de oraculorum defectu Ed. Paris. p. 437. δεῖ γὰρ τὸ θύσιμον τῷ τε σώματι καὶ τῇ ψυχῇ καθαρὸν εἶναι καὶ ἀσινὲς καὶ ἀδιάφθορον. *Nam hostiam oportet & quoad corpus & quoad animam puram esse, integram atque incorruptam.* Unde idem Auctor in vita Solonis meminit τῶν ἐκκρίτων ἱερείων *hostiarum eximiarum* p. 91. A Julio Polluce sacrificia describuntur ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, *perfecta*, *indivisa*, *integra*, *sana*, *illæsa*

tuit; *Quum habeat in grege suo masculum*, scil. תמים *integrum & tamen immolat corruptum.* Haud male. Ellipses in sacris frequentissimæ sunt. Hæc facilis ob claram oppositionem. Forsan textus respicit Legem Lev. XXII. 19. *qui obtulerit oblationem suam de cunctis* נדריהם *votis eorum & de cunctis voluntariis eorum, quæ offerent Jehovæ in holocaustum ad beneplacitum vestrum, offerat* זכר תמים *integrum marem.* Noluit tamen totam Legem ceu notam exprimere. Raschius explicit per איל ההגון לעלה *arietem aptum holocausto.* Syrus quoque per *arietem* sanum. Verum זכר apud Hebræos *arietem* in specie non notat: LXX. εὐχὴ αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ *votum ejus super eo*, puta *mare*, sive qui speciatim voto suo marem expressit & eum non immolat, is corruptum immolat. Sensus satis commodus est.

§. XCII. Sceleris convincuntur tribus rationibus. 1. Quod contra Legem רע *malum* sacrificent. אין רע *Nonne malum?* Ita interrogative sumunt LXX. Syrus, Arabs, Chaldæus, ac Vulgatus, ut Judæi in conscientia fortius de violatione Legis convincantur. Lex enim clare cœcitatem, claudicationem pro vitiis sacrificiorum, quæ ideo ara interdicta sunt, habet. Maxime conferenda sunt Deut. XV. 21. *Si fuerit in eo macula* (velut si fuerit) *claudum aut cœcum*, (aut) *quacunque macula* רע *mala, non sacrificabis illud.* Et Cap. XVII. 1. *Non sacrificabis Jehovæ Deo tuo bovem aut pecus minutum, in quo macula, ulla res* רע *mala.* 2. Quod animalia vitiata, morbida, etiam hominibus, præfectis, regem superiorem agnoscentibus data ingratissima sint, ac offensionem, iram, vindictam loco gratiæ & favoris concilient. *Quæso*, Propheta ait, *offer* לפחתך *duci tuo.* An benevole accipiet? An suscipiet faciem tuam? Ex ævo Malachiæ constat gentem Judaicam regibus Persiæ subjectam fuisse. Hi vero constituerant פחות *duces*, nomine regio præfectos, quibus Israël permultum singulis diebus solvere debebat v. Neh. V. 15. 18. Huc alludens vates ait: *Quæso offer duci tuo* animalia cœca, clauda, morbida in usum mensæ? Q. d. Nihil dicam de rege vestro, sed servo ejus tantum, qui vobis præfectus, (cui vos Sacerdotes dignitate non adeo impares estis) electus tum, ut videtur ex fratribus. An hic vitiata animalia ad sustentationem suam benevole à vobis accipiet? Nequaquam. 3. Quod summam Majestatem Dei ita contemtim habeant. Quo refero. *Ait Jehova Zebaoth* v. 8. Plenius v. 14. *Nam Rex magnus ego sum, ait Jehova Zebaoth & nomen meum*

tremen-

tremendum inter Gentes. Animalia vitiata, morbida respuit mensa ducis, servi Persiæ: Vos vero victimas corruptas νοσερὰς altari, quod mensa Dei est, imponitis. Qui tamen Jehova, Numen, quod à se & per se est, in quo omnes creaturæ subsistunt, qui Rex vere *magnus*, cum quo ipse Persarum Rex collatus Rex parvus, עבר *servus* ejus tantum est, qui צבאות *exercitus* innumeros, fortissimos in terra, mari, cœlo habet ac gubernat, cujus nomen inter ipsas Gentes, non tantum in Israële, נורא *tremendum* est. Cogitate igitur, quam imprudenter ac scelerate agatis! Et quod loco favoris divini ira Numinis adversus vos exardescet.

§. XCIII. Ex hac testimonii Malachiani aliquali expositione constat, Prophetam hunc aliorum more Mosen, ceu reliquorum vaticiniorum fontem respexisse, atque Judæos ad ἀρχὴν reduxisse. Unde diserte meminit quorundam vitiorum, quæ Moses nominat. Sic voces רע, רצון, משחת ad Mosen hoc in themate alludunt, ut partim jam observatum, partim inspici potest Lev. XXII. 19. 25. Quanquam & hoc inde pateat sensum Legis non κατὰ ῥητὸν sed διάνοιαν acceptum fuisse. Unde Malachias meminit victimarum *ægrotarum*, *raptarum*, ceu illegitimarum, quarum tamen Moses nullam expressam facit mentionem.

§. XCIV. Tanto audaciores Judæi tempore Malachiæ erant, quod ipsum naturæ lumen Ethnicos docuerit non alias Diis suis offerre hostias, quam selectas & eximias, imperfectas vero ab ara arcere, ut jam à pluribus observatum est. Quando vero hic ex professo de *victimarum integritate* agimus, hæc, ab aliis tacta licet, intacta relinquere non licet.

§. XCV. Sacris congrua animalia perfecta a Gentilibus postulari docent, quæ sequuntur. Plutarchus de oraculorum defectu Ed. Paris. p. 437. δεῖ γὰρ τὸ θύσιμον τῷ τε σώματι καὶ τῇ ψυχῇ καθαρὸν εἶναι καὶ ἀσινὲς καὶ ἀδιάφθορον. *Nam hostiam oportet & quoad corpus & quoad animam puram esse, integram atque incorruptam.* Unde idem Auctor in vita Solonis meminit τῶν ἐκκρίτων ἱερείων *hostiarum eximiarum* p. 91. A Julio Polluce sacrificia describuntur ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, *perfecta, indivisa, integra, sana, illæsa*

læsa & quibus omnia membra sunt. Juxta Athenæum ex Aristotelico sympofio, quæ Diis offeruntur, πάντα τέλεια καὶ ὅλα, *omnia perfecta & integra.* Unde Homerus Iliad. lib. 1. memorat Hecatombas τελήεσσας *perfectas* & rursum.

Aut si forte ovium nidorem αἰγῶν τε τελείων *caprarumque perfectarum*
Velit assecutus, à nobis pestem depellere.

Etiam Virgilius Lib. IV. Georg.

Quatuor eximios præstanti corpore tauros ducit.

Æneid. Lib. IV.

Mactant lectas de more bidentes.

Servius. *Moris enim erat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset.*

Et Lib. III.

Superoque nitentem
Cœlicolum Regi mactabam in littore taurum.

Thucydides de Bello Pelopon. Lib. V. *Jurent autem singuli jusjurandum, quod moribus patriis receptum & quod religiosissimum habetur* κατὰ τῶν ἱερῶν τελείων *supra victimas perfectas.* Nam, ut Eustathius habet, *Diis tanquam perfectis perfecta sunt offerenda* v. Bochart. *Hieroz.* P. I. Lib. II. Cap. XLVI. pag. 524. Seringham ad *Joma* Cap. VII. 3. Grotium ad Exod. XII. Outramum *de sacrificiis* Lib. I. Cap. IX. 3. Kippingium in *Antiquit. Rom.* Lib. I. Cap. XI. 12. L. C. Rhodiginum in *Lect. Antiq.* Lib. VII. pag. 308. in Ed. Venet. Ald.

§. XCVI. Incongrua vero Diis animalia imperfecta habuerunt. Sic Suidas καθόλȣ ὅπερ ἣ μὴ τέλειον καὶ ὑγιὲς, οὐ θύεται τοῖς Θεοῖς. *In universum, quod non est perfectum & sanum, Diis non offertur.* Athenæus ex Aristotelico Sympofio ὀυδὲν κόλοβον προσφέρεται τοῖς Θεοῖς. *Quod mutilum, Diis non offertur.* Hinc Ægyptii, teste Chæremone, *non admittebant* κατάσπιλα *maculosa.* Et recte: Nam, ut Scholiastes Euripidis habet, ἄξιον ἀυτοῖς τὰ ἄριςα προσφέρειν, ἐξ ὧν πάντα ἔχομεν καὶ πάντα ἐλπίζομεν, *dignum est, ut Diis optima quæque offeramus, ceu à quibus omnia habemus & speramus.* Notat tamen Kippin-

Kippingius ex Tertulliano, Gentilibus id ipsum ultima Paganismi ætate accidisse, quod Judæis; scil. mactasse *enecta, tabida & scabiosa.*

§. XCVII. Imo specialius notandum, Gentiles illa ipsa vitia, quæ Leges Hebræorum in victimis damnabant, damnasse. Hinc Ægyptii damnabant cœcitatem, notante Chæremone apud Porphyrium *de abstinentia.* Sic alii damnabant claudicationem, incisionem, mutila animalium membra, Plinius Lib. VIII. 45. *Hoc quoque notatum Vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare licuit nec claudicantem.* Apud Aristophanem, porca quædam ad aram illegitima ideo dicitur, quod κέρκον οὐκ ἔχει *caudam non habet.* Ubi Scholiastes: Τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται: *Nam quæ cauda mutilata sunt, in sacrificiis non mactantur.* Servius ad Virgilii *Lectas de more bidentes;* Notat, *ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram.* Nec adhibebant sacris *ulcerosam victimam*, observante Rhodigino. Et quod Moses speciatim poscit in Vacca rufa אשר לא עלה עליה על *ut à jugo intacta sit*, Num. XIX. 2. Virgilius habet Georg. Lib. IV.

Et intactas totidem cervice juvencas.

Sic

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos.

Æneid. VI. conf. quoque Historiam Philistæorum 1. Sam. VI. 7. Denique fraudem, quam Malachias in Judæis sui ævi execratus erat circa sacra Ethnici gravi pœna dignam habent:

Sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo Horat. Lib. III. Carm. Od. 2.

§. XCVIII. Quare non mirum etiam Gentiles victimas probasse, num aræ aptæ essent. Lucianus de sacrificiis: *Sertis coronant pecudem multoque ante* ἐξετάζοντες, εἰ ἐντελὲς *explorant, an legitima sit & sacris idonea, ne quid forte mactent ex iis, quæ Religio repudiat. Deinde ad aram adducunt &* ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ Θεοῦ *sub oculis Dei jugulant.* In Ægypto, uti plenius notat Bochartus, Sacerdos ad id constitutus singula scrutabatur *pecude tam erecta & stante, quam resupinata.* Quo

facto ſi perfectam & ab omni vitio immunem repererat, eam notabat biblo cornibus alligato, & applicita terra ſigillari cum annulo ſuo impreſſo. Alioqui enim pecudem ἀσφράγιστον immolare credebant grande nefas & morte piandum v. *Hieroz* P. I. Lib. II. Cap. XXXIII. pag. 322. Quoniam Græci victimam poſtulant & quoad corpus & quoad animam puram, integram, utriusque examen ſubeundum illis erat. Qua de re Plutarchus *de oraculorum defectu* pag. 437. De *corporibus judicium non eſt difficile*, τὴν δὲ ψυχὴν δοκιμάζουσι τοῖς μὲν ταύροις ἄλφιτα, τοῖς δὲ κάπροις ἐρεβίνθους παρατιθέντες. Τὸ γὰρ μὴ γευσάμενον ὑγιαίνειν οὐκ οἴονται. *Animam vero explorant, farinam tauris, ciceres ſuibus apponentes. Si enim non guſtent, non eſſe ſanos judicant &c.*

§. XCIX. Quam hactenus propoſui integritatis victimarum rationem, ea ita evidens eſt, ut ſe facile ad omnium attendentium mentes probet, unde etiam, qui ſolo naturæ lumine ducuntur, exiſtimant ejus in ſacris Deo faciundis rationem habendam eſſe. Sed hæc neque ſola eſt neque præcipua. Deus qui ſapiens Spiritus forma beſtiæ perfecta, pulchra, nitente minime capitur. Ne quidem excellentem hominis formam adſpicit ac æſtimat. 1. Sam. XVI. 7. quanto minus beſtiæ. Fieri quoque poterat, imo multoties factum, ut tauri præclare cornuti, arietes bene ſaginati, agni opimi aræ quidem admoti fuerint, & Jehovæ abominabiles. Non ergo phyſica beſtiæ integritas proprie eſt, quod Spiritum conſummatiſſimum moverat ad Legem hanc dandum, toties iterandum ac Iſraelitarum animis variis argumentis inculcandum. Imo ſi hæc præcipua ſacrificiorum perfectorum ratio, etiamnum Hecatombæ immolandæ eſſent, quas vero in diebus N. T. Deo deteſtabiles eſſe ex ſacris novimus. Eſ. LXVI. 3.

§. C. Ratio ergo, de qua hactenus, ſola non eſt & potius Iſraëlem ſecundum carnem rexerat, ab externo Numinis contemtu & ſordida in cultu avaritia avocaverat, quam ſecundum ſpiritum. Latet myſtica gravior longe proprie à Deo intenta dives gloria Dei, fide ac officiis hinc à mentibus ingenuis maxime ſcrutanda, cognoſcenda, tenenda & applicanda. Quandam myſterii partem vidit monoculus Philo Judæus, diligens ſatis ſenſus arcani ſcrutator, quando in Libro de victimis pag. 836. in rationem perfectarum

ctarum victimarum ita inquirit. *Inquiſitio autem hæc adeo accurata non inſtituitur propter victimas, ſed ut offerentes ſine crimine ſint.* Βούλεται γὰρ αὐτοὺς ἀναδιδάξαι διὰ συμβόλων ὁπότε προσέρχοιντο εἰς βωμοὺς ἢ εὐξόμενοι ἢ εὐχαριστήσαντες. Μηδὲν ἀῤῥώστημα ἢ πάθος ἐπιφέρεσθαι τῇ ψυχῇ πειρᾶσθαι δι ὅλην δὶ ὅλων ἀκηλίδωτον αὐγάζειν ὡς ἰδόντα μὴ ἀποστραφῆναι θεόν. *Hac enim ratione per ſymbola informatur, ut, quoties altaria adeunt vel voventes vel grates dicentes, nullum morbum aut paſſionem in anima, totam vero immaculatam ac ſplendidam adferre contendant, ne Deus videns, eam averſetur.* Nec non inferius capite *de victimas offerentibus* ab initio. *Vide tu quisquis es, ut victima, quam offers, ſit integra, eximia, carens maculis omnibus, probata acri & incorrupto Sacerdotum judicio, haudquaquam fallendo propter continuam experientiam, niſi enim eam tum mente tum oculis exploraveris, non elues peccata & contractas in omni vita maculas.* Εὑρήσεις γὰρ τοσαύτην περὶ τὸ ζῶον ἀκριβολογίαν αἰνιττομένην διὰ συμβόλων τὴν τῶν σῶν βελτίωσιν ἠθῶν. οὐ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀλόγων ὁ νόμος, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν νοῦν καὶ λόγον ἐχόντων ὥς τε οὐ τῶν θυομένων φροντὶς ἀλλὰ τῶν θυόντων, ἵνα μηδὲν πάθος κηραίνωσι. *In hoc enim tam accurato examine victimæ invenies figurate ſignificari morum tuorum emendationem & profectum in melius. Nec enim bruta legi curæ ſunt, ſed animæ rationis compotes* (vide ſimilem argumentationem 1. Cor. IX. 9.) *Itaque de offerentibus, non de victimis, eſt ſollicita, ne quod vitium eis inſideat.* De Eſſenis idem Philo pag. 876. ſcribit οὐ ζῶα καταθύοντες, ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες, *non mactant victimas, ſed ſuasmet ipſorum mentes ad ſanctimoniam componunt.* Et quod plus eſt ipſi perſpicatiores Ethnici aliquid de Myſterio inſpexerunt. Quo facit Plato in Alcibiade. 2. Etenim grave eſſet, *ſi Deus ad donaria & ſacrificia reſpiceret potius, quam ad animum, utrum ſanctus ac juſtus ſit. Ad quem equidem arbitror Deum magis attendere, quam ad multi ſumtus pompas, quæ nihil prohibent eum, qui multa in Deum hominesque peccaverit, ſive privatus ſit, ſive Magiſtratus gerat, ſingulis annis perficere*, ut eum citat J. Philipp. Pfeifferus in Antiq. Græcis Lib. I. Cap. XI. Notandæ quam maxime ſunt ſequentes ſententiæ Sextii Pytagoræi : *Templum ſanctum eſt Deo mens pii & altare optimum eſt ei cor mundum & ſine peccato : Hoſtia ſoli Deo acceptabilis benefacere hominibus pro Deo.* (v. Hebr. XIII. 16.)

§. CI. Ne vero videar Mysterium fingere, proferam ejus fundamenta, ut qui δήλωσιν πνευματικὴν flocci habent ac tantum non exsibilant, scire cogantur, nos non ita cum umbra certare, quin ducamur ad nobile ac firmum corpus, quod *Christus & ejus Ecclesia.* Fundamenta sunt alia generalia, alia magis specialia.

§. CII. Illa: I. Tota lex ceremonialis mystica est Heb. X. 1. VIII. 4. Col II. 16. 17. Rom. X. 4. Ergo etiam hæc de integritate victimarum. II. Quicquid prædicatur de toto, prædicatur etiam de partibus, saltem essentialibus. Ceu totum hic considero sacrificium, partem vero ejus integritatem, absque qua nullum sacrificium Deo sacrum esse potest. Quando vero sacrificium, ut piaculare, holocaustum, laudativum, agnus paschalis &c. Mysterium in se continet, tum quoque continet integritas, ad eorum essentiam spectans. Memoratas vero species futura, vera, spiritualia, cœlestia præfigurasse, nemo, qui Novum Testamentum honorat, negare audet. III. Lex hæc de integris & immaculatis victimis & prolixe & sæpissime traditur, repetitur, nec tamen in se sapienti ac sancto Numini dignum quid comprehendit, nec etiam hominem Deo commendat vel meliorem reddit. Ergo latet alia Dei intentio arcana. Lex prolixe traditur Lev. XXII. 17 - 26. sæpissime repetitur. Solus Moses repetit vel quadragies.

§. CIII. *Hæc:* Res figuratæ quam frequentissime nomine qualitatis hujus sacrificiorum essentialis ceu figuræ nomine non solum veniunt, sed aliquando cum clarissima ad eam allusione, quod vero ex optimorum Typologorum observatione certum criterium typi vel figuræ divinæ est. Ex supra dictis enim constat Legem poscere sacrificium תמים & בלא מום, quod LXX. varie transferunt, uti τέλειος, ἄμωμος, ἄμεμπτος, καθαρὸς, ἀληθινὸς, ὅλος, ἄκακος, ὅσιος, ὁλόκληρος. Effectum quoque horum sacrificiorum juxta voluntatem Numinis oblatorum esse Dei רצון, רצה, ex translatione LXX. Interpretum εὐδοκέω, δέχομαι, προσδέχομαι, εὐδοκία δεκτὸς, πρόσδεκτος, ἀρεστός. At vero Jesus Christus his similibusque vocibus ac phrasibus illusivis sistitur. Agnus ἄμωμος καὶ ἄσπιλος *sine macula & labe* 1. Petr. I. 19. sacrificium ἄμωμον Hebr. IX. 14. τελειωθεὶς *consummatus* Hebr. V. 9. & hinc τελειωτὴς *consummator* Hebr. XII. 2. rupes illa in morte rejecta quidem, sed cujus opus תמים *perfectum* Deut. XXXII.

XXXII. 4. ὅσιος, ἄκακος *sanctus*, *innocens*, Hebr. VII. 26. Unde Deus justus חפץ, רצון εὐδοκίαν non invenerat in victimis, quæ ex bestiis constabant Psal. XL. 7. sed in Jesu Christo naturam humanam assumente, ut pro nobis victimæ instar moreretur Es. XLII. 1. Matth. III. 17. XII. 18. XVII. 5. 2. Pet. I. 17. Eph. I. 6. 7. V. 2. Non solum Jesus Christus sed & Ecclesia ejus ac singuli fideles his nominibus veniunt. Frequenter enim audiunt תמימים, τέλειοι Gen. VI. 9. XVII. 1. Job. XII. 4. Matth. V. 48. 1. Cor. II. 6. Coloss. I. 28. Hebr. V. 14. Jac. I. 4. ἄμωμοι *sine macula* Eph. I. 4. V. 27. Coloss. I. 22. ἄμεμπτοι *irreprehensibiles* Phil. II. 15. 1. Thess. III. 13. καθαροὶ *puri* Matth. V. 8. Joh. XIII. 10. Tit. I. 15. quos Deus, ut victimas spirituales, purificavit Act. X. 15. ἀληθεῖς & ἀληθινοὶ *veri* 2. Cor. VI. 8. Joh. IV. 23. ἄκακοι Rom. XVI. 18. ὅσιοι Tit. I. 8. ὁλόκληροι *toti integri* Jac. I. 4. in quibus acquiescit Hebr. X. 38. & quorum actiones, ceu spiritualia sacrificia, Deo in Jesu Christo acceptæ gratæque sunt 1. Petr. II. 5. Hebr. XIII. 16. Ex dictis ergo rite sequitur Legem de integritate sacrificiorum præadumbrasse *& Jesum Christum hostiam mundi & etiam membra ejus, singulos fideles, victimas πνευματικάς, dispari tamen ratione*, ut nunc specialius dicemus.

§. CIV. Et quidem primo hostia integra erat typus sacrificii Jesu Christi.

Typus.

I. Ratione integritatis in genere. Sacrificium V. Testamenti poscebatur absque ulla labe, naturali & acquisita, externa & interna, majore & minore, quod omni parte ac particula integrum.

Antitypus.

I. Ratione integritatis in genere. Jesus Christus sacrificium mundi est ἄμωμος & ἄσπιλος 1. Pet. I. 19. ἄκακος, ὅσιος, Hebr. VII. 26. ἀληθινὸς Joh. VI 32. 55. *absque peccato* natus Luc. I. 35. educatus Luc. II. 40. tandem denatus Joh. XIV. 6. justus coram hominibus (ceu quem nemo hominum peccati convincere valuerat Joh. VIII. 46.) & Deo Es. XLII. 1. 1. Tim. III. 16.

II. Ratione integritatis in specie. Victima olim postulabatur.

II. Ratione integritatis in specie. Jesus Christus oblatio pro hominibus.

א. *Bene oculata*, absque cœcitate vel etiam luminis defectu.

א. Omnia novit Joh. XXI. 17. ipsas vidit hominum cogitationes Joh. II. 25. Patrem & omnia Mysteria, solus exacte novit. Matth. XI. 27. Joh. I. 18. oculos habet ὡς φλὸξ πυρὸς Apoc. I. 14. Error hinc vel præjudium nullum ei inerat.

ב. Dein *bene aurita*, quæ sonos patulis auribus excipere poterat, minime surda.

ב. Idem dein cunctos Patris jussus intentis auribus excipiebat, præstabatque Jes. L. 4. 5.

ג. Porro *bonæ gustationis* qualis cognoscitur ex ciborum discretione & bonorum aviditate.

ג. Jesus Christus pollet facultate discernendi, utpote super quem quiescit Spiritus בינה *prudentiæ* Jes. XI. 2. hinc curate homines discernit ac dolum advertit Matth. VIII. 19 - 23. XXII. 18. malos evomit Apoc. III. 15. 16. Etiam *appetendi*; avidus quippe tum ad voluntatem patris faciendum Joh. IV. 34. tum ad fruendum deliciis suorum Cant. IV. 17. V. 1. Apoc. III. 20.

ד. Præterea *bonarum narium* ad olfaciendum.

ד. Præterea Jesus emunctæ naris, ceu qui odoratur timorem Dei in hominibus, ut non indigeat oculari inspectione, vel testimoniis hominum. Jes. XI. 3.

ה. Insuper quod *tactu pollebat.* Callosa enim vitiosa sunt, ut verrucosa.

ה. Insuper J. Christus subtilis tactus. Tum fide, tum quoque infidelitate & ejus motibus facile tangitur Luc. VIII. 45. τίς ὁ ἁψάμενός μου Act. IX. 4. τί με διώκεις.

ו. Jesus

1. Ut victima poscebatur bene sensata, sic ἐυμελης & παμμελής.	1. Jesus Christus, pulcher isque totus, ut generatim scire licet ex cantico & visione Apoc. I. 19.
Quod inde constat, debebat enim esse.	Speciatim, quia est,
(*a.*) Absque difformitate & excessiva & defectiva.	(*a.*) יפיפית *pulcherrimus* ex filiis hominum Psal. XLV. 3.
(*b.*) ἔυςομος.	(*b.*) Prodeunt ἐκ τȣ͂ ςόματος ἀυτȣ͂ ex *ore ejus* sermones suaves. Luc. IV. 22.
(*c.*) ἐυγλωττος non δίγλωττος.	(*c.*) Ipse quoque ἐυγλωττος. Accepit enim לשון למודים *Linguam eruditorum*, qua ἐυκαίρως cum fessis loqui novit. Non vero δίγλωττος, utpote verax, *in cujus ore nullus dolus* Es. LIII. 9. penes quem *ita ita & non non* Matth. V. 37.
(*d.*) Dentata.	(*d.*) Os ejus, ut חרב חדה *gladius acutus* Es. XLIX. 2. Ex ore ejus prodit *gladius acutus* δίςομος. Apoc. I. 16.
(*e.*) Labiorum integrorum absque scissura, fissura ac foramine.	(*e.*) Gratia in labia ejus effusa Psal. XLV. 3. effundit אמרי שפר *verba pulchra* Gen. XLIX. 20.
(*f.*) Faciei perfectæ.	(*f.*) Facies Christi procul dubio perfectam mentem effulgentem ostenderat. Glorificati fulserat, ut sol. Matth. XVII 2. & fulget etiamnum Apoc. I. 16. cujus gratia nihil lætius Num. VI. 25. conf. Apoc. XXII. 4.
(*g.*) Cornuta.	(*g.*) Est קרן *cornu Davidis* Psal. CXXXII. 17. *Cornu salutis* Davidicæ

vidicæ Pſal. XVIII. 3. κέρας σωτηρίας Luc. I. 69. Agnus ſeptem cornua habens Apoc. V. 6.

(h.) Manuum pedumque integrorum, validorum, non vero fractorum, aut claudicantium.

(h.) Jeſus Chriſtus diligens ἐργάτης erat Joh. V. 17. manibus nonniſi præclara egerat opera, laborando, infirmos, leproſos, mortuos contrectando, ſanando, Matth. VIII. 1. 13. 15. IX. 18. Act. X. 38. Joh. X. 28. Indefeſſus Judæam, Samariam, Galilæam, regionem trans Jordanem, valles, planities & ſæpius montes peragraverat, de quo hinc jure Eſ. LII. 7. *Quam pulchri in montibus pedes Evangeliſtæ* רגלי מבשר. Non vero ex infirmitate aut etiam metu à bono deſtiterat vel in utrumque latus claudicaverat. Matth. XXII. 16.

(i.) Carens omnibus cauſis ſterilitatis.

(i.) *Eſt pater æternitatis* Jeſ. IX. 5. cui liberi plurimi ſunt Jeſ. VIII. 18. Pſal. CX. 3.

(k.) Corpus quoque & omnia ejus membra poſtulabantur pura absque verruca, ſcabie, impetigine.

(k.) Non ſolum memoratis pollebat facultatibus ac virtutibus Jeſus Chriſtus, ſed ſine indecentia, mixtura mali, non ſolum aperti ſcandali ſed etiam latentis. Ὅσιος quippe non ſolum coram hominibus ſed etiam Deo Pſal. XVI. 6.

(l.) Victima poſcebatur integra, extus & intus absque exceſſu, & defectu partium internarum, renum veluti, cordis, in vita & poſt mortem.

(l.) De Jeſu Chriſto veriſſimum: *Qualis extus, talis intus.* Intellectus illuminatus absque mixtura tenebrarum: Acre judicium absque corruptione: Ratiocinium pro-

profundum ac solidum : Voluntas divinæ conformis : Affectus spirituales tum aversantes ut odium, ira, metus, tristitia, tum appetentes, uti amor, spes, gaudium v. Joh. II. 24. Matth. XXII. 22. 31 - 34. Psal. XL. 9. Psal. XLV. 8. Marc. X. 14. Hebr. V. 7. Matth. XXVI. 38. XXVII. 46. Joh. XIII. 1. Psal. XVI. 9 - f. Luc. X. 21.

(*m.*) Sana ac vegeta, minime debilis & ægrota.

(*m.*) Est Jesus Christus ἰσχυρότερος ἰσχυρῷ Luc. XI. 12. adeo sanus, ut simul medicamentosus. Δύναμις vere medica ex corpore ejus exibat ac quosvis pellebat morbos. Luc. VIII. 46.

(*n.*) Justæ ætatis non vero decrepitæ.

(*n.*) In flore ætatis victima Deo sacra Jesus Christus factus erat, anno vitæ XXXIII.

(*o.*) Absque δυσωδίᾳ.

(*o.*) Ἀκοὴ *fama* Jesu Christi in se optima semper erat Matth. IV. 24. Luc. IV. 15.

III. Ratione specierum ex quibus sacrificia integra constabant.

III. Ratione specierum in sacris quas Jesus Christus retulerat.

Integra esse debebant.

Est ille integrum.

α. Piacularia.

α. Piaculare scil. אשם *sacrificium pro reatu* Es. LIII. 10. חטאת, ἁμαρτία, περὶ ἁμαρτίας 2. Cor. V. 21. Rom. VIII. 3. peccata mundi suscipiens, ferens, auferens. Joh. I. 29. 1. Joh. II. 2.

β. Holocausta.

β. Itidem ὁλοκαύτωμα, nam Zelus pro Domo Dei eum (totum) consumsit. Joh. II. 17.

γ, Pacalia, de quibus comedebant & Deus & Sacerdotes & Israëlitæ.

γ. Jesus Christus vere לחם אלהים *panis Dei*, deliciæ Dei, spiritualium Sacerdotum & Israëlitarum, quo pax Deum inter Ministros & Liberos facta est.

δ. Speciatim agnus paschalis.

δ. Est *nobis* integrum *pascha mactatum* Christus 1. Cor. V. 7.

IV. Ratione probationis. Sacrificia tum demum habebantur integra, quando accurate, maxime prope mortem, explorata ac proba inventa erant.

IV. Ratione probationis. Explorabatur Jesus Christus victima mundi rigide & varie Hebr. II. 18. IV. 14.

A Satana Matth. IV. XXVI. Synedrio, Pontificibus, Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis in tota vita, maxime in fine Matth. XXVI.

Censore Romano. Matth. XXVII. Joh. XVIII. XIX.

Imo ipso Deo Psal. XVI. 7.

At Satanas non invenerat in illo οὐδὲν *quidquam*, prorsus nihil. Joh. XIV. 30.

Synedrium falsos quidem testes conquisiverat, sed non invenerat Matth. XXVI. 59. 60.

Pilatus Censor Romanus semel ac iterum judicavit: Ἐγὼ οὐχ εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν Joh. XIX. 6. Ipse denique Pater Christum absolvit.

V. Ratione offerentium. Sacrificium integrum offerendum ab Israële, Proselytis & Gentibus, ce-

V. Ratione offerentium. Tum nati in Ecclesia, tum sequente ætate ei solenniter adscripti, tum etiam fama

jebri illustris Dei Israelis & cultus sacrificii fama excitatis.

fama Jesu Christi Salvatoris mundi expergefacti (vide Exemplum in Latrone) ἱλασμὸν κόσμου offerunt ac de illo participant.

VI. Ratione effectus. Sacrificium integrum Deus benevole acceptaverat, in eo acquieverat, offerentes sibi gratos declaraverat, peccata iis remiserat, iis benedixerat, eos protexerat ac in communionem sui populi & privilegiorum receperat.

VI. Ratione effectus. Θυσία, quæ Jesus Christus, Deo εὐδοκία est Matth. III. 17. εἰς ὀσμὴν εὐωδίας Eph. V. 2. In illo offerentes misericordiam consequuntur & gratiam inveniunt ad auxilium opportunum Eph. I. 6. Hebr. IV. 16. peccata eorum remittuntur Eph. I. 7. 2. Cor. V. 19. conscientiæ mundantur Hebr. IX. 14. maxima beneficia conferuntur Eph. I. 3. custodiuntur Joh. X. 27-30. ac in communionem Dei, Jesu Christi & populi fœderati transeunt 1. Joh. I. 3.

Maculosum vero & vitiosum displicuerat eratque detestationi, unde offerentes peccatorum veniam non acceperant, iram Dei experti erant ac è populo exscindebantur.

Qui vero hoc sacrificium respuunt, justitiam propriam erigunt, se ipsos in se ipsis aut mundana, humana Deo offerunt, ut horum virtute salventur, illi Deo abominabiles existunt, peccata eorum manent, hinc non salvantur sed ira Dei super illos manet Act. IV. 12. Joh. III. 36. Rom. X. 3.

§. CV. Secundo *hostia integra* erat etiam typus sacrificiorum spiritualium, quæ regeniti sunt cum eorum actionibus, tum internis, tum externis, cum bonis, quæ habent, spiritus, corporis & fortunæ. Patet ex dictis ad §. 103. Patet dein, quod Sacerdotes sint Es. LXI. 6. LXVI. 21. 1. Petr. II. 5. 9. Apoc. I. 6 III. 4. 5. V. 10. XX. 6. Rom. XV. 16. Sacerdotibus Dei autem sunt hostiæ integræ. Patet præterea, quod iis actiones sacerdotales adscriban-

tur Rom. XII. 1. Hebr. XII. 28. XIII. 15. Patet insuper, quod iis quoque sacrificia attribuantur Psal. LI. 18. 19. CXLI. 2. Hos. XIV. 3. Malach. I. 11. Phil. II. 17. IV. 18. 2. Tim. IV. 6. Hebr. XIII. 15. 16. Patebit denique ex sequente deductione.

§. CVI. Quando vero *integritas* sacrificiorum regenitos quoque, eorum actiones & bona perfecta, ceu victimas spirituales adumbrat, poscit, clarissimum est, alia & tenuiore ratione hæc intelligenda esse, quam quod hactenus ostensum de re signata, sacrificio Jesu Christi; scilicet de hoc ἐν omni δυνάμει ac sine ulla macula. Unde Deus in illo per se plene acquiescit. Sed de illis sensu imperfectiori, cum limitationibus, exceptionibus, ut non nisi propter sacrificium JEsu Christi vere ac unice integrum piaculare Deo placeant, uti specialius ostendendum.

§. CVII. Cuncti homines in se juxta corruptionem, quæ natura iis inest, hostiæ integræ Deo acceptæ nequaquam esse valent. Sunt enim corrupti, cœci, impuri, leprosi, morbidi, adeoque sacra Deo abominabilia. Regenitis dein ob reliquias carnis adhærent maculæ, errores, præjudicia, imperfectæ, vitiosæ volitiones, affectus carnales tum aversantes, tum etiam adpetentes, corporis motus & actiones spiritui contrariæ. Quare & ita considerati לרצון ad εὐδοκίαν Dei non sunt.

§. CVIII. At considerati, ut ex Deo nati, spiritu renovati, novi & occulti homines cordis, in novitate spiritus ambulantes, intus & extus ita operantes, se ad cultum & gloriam Dei sistentes, integræ hostiæ ac Deo in fundamento & communione sacrificii consummati per Pontificem Jesum Christum vere acceptæ sunt.

§. CIX. Quod enim ex Deo est & operatur, illud etiam Deo gratum acceptumque. Regenitus, maxime recens natus vel puer, perfectionem absolutam, graduum vel etiam comparativam non quidem habet, habet tamen perfectionem essentiæ, partium essentialium, propositi, conatus. Maculæ, vitia, quæ adhærent neque ex vita spirituali proveniunt, neque regenito placent, sed proveniunt ex carne ejus nondum actu mortua. Sunt ei fastidio, detestationi ac acriter pugnat adversus illa. Si maculas animadvertit, delet, abstergit & damnat illas, quæ latent, petitque mundatio-

nem universalem. Atque ita regenitus cum actionibus & oblationibus suis spiritualiter sacerdotalibus benigno judicio Dei in Jesu Christo per passiones consummato & consummatore hostia perfecta censetur.

§. CX. En Analogiam specialiorem inter victimas integras V. Testamenti & inter spirituales sub novo.

Typus.

I. Ratione *integritatis in genere.*

Victimæ V. Testamenti poscebantur integræ sine labe fixa. Quæ labe temporaria affectæ erant, sanatæ credibiliter legales habebantur.

II. Ratione *integritatis in specie.*

Poscebantur dein.

א. Oculatæ : Coecæ acceptæ non erant.

ב. Auritæ : Rejiciebantur surdæ.

Antitypus.

I. Ratione *integritatis in genere.*

Nulli quidem homines Deo victimarum instar sacri esse queunt, in quibus corruptio naturalis manet. At à quibus illa in tempore gratia aufertur 1. Cor. VI. 11. Eph. II. 1 - 11. Tit. III. 3 - 7.

II. Ratione *integritatis in specie.*

Regeniti requiruntur ac sunt.

א. Illuminati in Domino Eph. V. 8. crescunt in cognitione Jesu Christi 2. Petr. III. 18. ac tendunt ad perfectionem graduum Eph. IV. 13. Quare cœci ac fundamentorum fidei ignari Deo abominabiles existunt, iramque ejus experientur. Matth. XV. 14. XXIII. 16. 2. Theff. I. 8.

ב. Circumcisi auribus, celeres ad audiendum verbum Dei Jac. I. 19. At auribus præputiati Deo ingratissimi Act. VII. 51. Jer. VI. 10. VII. 26.

ג. Pabuli avidæ.	ג. Avidi lactis, cibi, potus spiritualis 1. Petr. II. 2. Ps. XXXIV. 9. Qui Mannam nauseant, illi excitant excandescentiam Dei.
ד. Recti nasi.	ד. Ὀσμὴν γνώσεως χριστοῦ bene odorantes, ut illis sit ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωὴν 2. Cor. II. 14. 15. quum naribus truncatis & corruptis ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον sit.
ה. Boni quoque tactus.	ה. Tangunt pura & facile verbo, spiritu, regimine Dei tanguntur ceu molles corde. Qui vero impura tangunt ac duri, lapidei, ferrei cordis sunt, illi inidonei ad Templum Dei, sacrificiis sacrum 2. Cor. VI. 16. 17. Act. VII. 51. Ezech. XXXVI. 26.
ו. εὔστομοι.	ו. Regenitorum membra Deo quoque ministrant; Hinc ore loquuntur vera, utilia, necessaria Eph. IV. 25 - 27. quum irregenitorum ora vel clausa sint vel aperta ad effutiendum mendacia, putida, turpiloquia Eph. IV. 29. V. 4.
ז. Ἐυγλωττοι.	ז. Linguas frœnant Jac. I. 26. iis Deum magnificaciunt Rom. XIV. 11. Phil. II. 11. quando irregeniti linguis dolosis utuntur Rom. III. 13. totum corpus maculant. Eorum lingua κόσμος ἀδικίας Jac. III. 6.
ח. Dentatæ.	ח. Dentibus incidunt cibum sive scripturam dividunt, comminuunt, ut digestio facilior fit.

v. Cant.

v. Cant. IV. 2. VI. 6. Recte S. Greg. Nyssenus refert speciatim ad Doctores in Ecclesia, *qui usum dentium in comminuendo dogmatum difficultates exercent.* Cavent vero sibi à dentibus improborum, invidorum, ne proximum dilacerent aut frendeant Psal. LVII. 5. XXXIV. 6. XXXVII. 12.

ט. Bonorum labiorum.

ט. Eorum labia sunt תהלה *laudis* Psal. CXIX. 171. rectitudinum Prov. VIII. 6. Non vero שקר *mendacii* Psal. CXX. 2. מרמה *fraudis* XVII. 1. חלקות *blandæ* Psal. XII. 2. און *iniquitatis* Prov. XVII. 4.

י. Faciei integræ.

י. Qui coram omnibus integritati ac officiis debitis operam navant Matth. V. 16. In quorum frontibus nomen Patris inscriptum legitur Apoc. XIV. 1.

כ. Cornutæ.

כ. Potentes, qui armatura Dei induti hostibus salutis resistunt, cum iis pugnant eosque vincunt Eph. VI. 10-19. 1. Petr. V. 9. non vero pavidi, imbelles & qui victas manus dant Apoc. XXI. 8.

ל. Manuum pedumque integrorum.

ל. Qui manibus bona operantur ac in via pacis incedunt Eph. IV. 28. Rom. III. 17. atque contrarium fugiunt.

מ. Feraces aut saltem aptæ ad gignendum.

מ. Non sunt studio inutiles & steriles animalium vel arborum infrugiferarum instar, quin potius fertiles & gemellis fœtibus, amore

amore Dei & proximi Cant. IV. 2. Matth. VII. 19. Phil. I. 11.

ג. Puræ.

ג. Puri toti corde Matth. V. 8. Joh. XIII. 10. corpore Hebr. X. 22. intus & extus Matth. XXIII. 25. 26.

ס. Sanæ.

ס. Sani fide Tit. I. 13. II. 2.

ע. Non decrepitæ sed selectæ ætatis.

ע. Qui, quas habent vires, recto tempore servitio divino consecrant, non vero fæces ætatis Deo destinant Eccl. XII. 1.

פ. Absque δυσωδία.

פ. Bonæ famæ, absque scandalo 1. Petr. II. 12. 15. Phil. II. 15.

צ. Ante mactationem & post eam.

צ. Ante mortem Tit. II. 12. in morte Apoc. XIV. 13. & hinc post eam Apoc. VII. 14. 15.

III. Ratione specierum, è quibus sacrificia constabant.

III. Ratione specierum, è quibus sacrificia constabant.

Integra poscebantur.

Regeniti quidem non sunt sacra piacularia & agni paschales; Attamen

α. Holocausta.

α. Holocausta, qui se totos Deo tradunt ad amandum eum toto corde, anima, viribus corporis & fortunæ. Deut. VI. 5. Jac. I. 4.

β. Pacalia, speciatim laudativa & votiva.

β. Iidem ex toto corde ישלמו *persolvunt* pacalia, *juvencos labiorum* Hos. XIV. 3. θυσίαν αἰνέσεως, *hoc est, fructum labiorum confitentium nomen ejus* Hebr. XIII. 15. זבח תודה *sacrificium laudis* ac vota im-

ta implent coram populo Psal. L. 14. 23. CXVI. 17.

γ. Voluntaria tamen redundantiam & defectum non prorsus respuebant.

γ. Quæ sua sponte agunt, ceu populus spontaneus, liberiora sunt ac placent, licet aliquando de excessu aut defectu communicent. 2. Cor. V. 13.

IV. Ratione animalium Deo sacrorum, Integra esse debebant, boves, arietes, oves, vituli, agni, hœdi, mares & fœminæ.

IV. Ratione animalium Deo sacrorum. Evangelicæ perfectionis participes requiruntur non solum operarii dignitate clari, duces, adultiores Christiani, Patres & Matres, sed & gregarii, vilioris conditionis, juniores, pueri, lacte evangelico nutriti, utriusque sexus. Quippe mares inter & fœminas hic nullum discrimen. Matth. V. 48. Coloss. I. 28. Hebr. V. 11 - f. VI. 1.

V. Ratione probationis. Illa demum animalia integra habebantur, quæ post inquisitionem in vita & post mortem talia reperiebantur.

V. Ratione probationis. Probi illi sunt, qui satis explorati non solum à se ipsis, ceu spiritualibus sacerdotibus 1. Cor. XI. 28. 2. Cor. XIII. 5. sed & ab igne afflictionum 2. Cor. VIII. 2. 1. Cor. III. 13. 1. Petr. I. 7. & Deo 1. Thess. II. 4. 2. Cor. X. 18. qui hinc Deo εὐάρεστοι καὶ δόκιμοι τοῖς ἀνθρώποις inveniuntur Rom. XIV. 18. Jac. I. 12. maxime post mortem 1. Cor. IV. 4. 5.

VI. Ratione offerentium. Integra sacra offerebantur à Sacerdotibus, Israëlitis, Proselytis & piis inter Gentes.

VI. Ratione offerentium. Victimas spirituales offerunt doctores 2. Tim. II. 15. Rom. XV. 16. gregarii Christiani, sive nati in Eccle-

fia five postea ei adscripti Rom. XII. 1. 1. Petr. II. 5. ac qui Deum timent inter gentes: Vid. Exemplum in Cornelio. Actor. X. 1. 2.

VII. Ratione effectus. Sacra integra erant Deo לרצון εὐδοκία.

VII. Ratione effectus. Victimæ spirituales sunt זבחי אלהים *sacrificia Dei* Psal. LI. 19. λογικὴ λατρέια Rom. XII. 1. quibus Deus vere glorificatur Psal. L. 23. Unde acceptæ & gratæ sunt. Psal. LI. 18. LXIX. 31. 32. 1. Petr. II. 5. Hebr. XIII. 15. 16. Phil. IV. 18.

§. CXI. Hæc sunt sacra integra, quæ Deus, qui Spiritus sapiens à suis nunc unice poscit, atque sibi oblectamento esse in sacris declaravit. Olim quidem ab Israele postulaverat sacrificia physice & pneumatice integra, at jam dudum venit hora, qua cultu carnis abrogato veri adoratores Deum sacris nonnisi spiritualibus colunt. Olim Hierosolyma, Templum χειροποιητὸν sacris carnalibus unice aptum erat; Hinc Israël sacrificaturus magna molestia, magnis sumtibus, laribus relictis Hierosolymam petere cogebatur: At nunc gratia Dei totus mundus, ob ortu usque ad occasum solis, cultui spirituali sacer idoneusque est. Spirituales Sacerdotes passim locorum cultum Deo acceptum exhibere valent. Modo adsit cor fidum, munus vel levissimum integrum, ibi Templum, ibi ara, ibi Sacerdos Deo εὐάρεστος. Placent nunc Deo cogitata, judicia, desideria, preces, sermones, actiones, jejunia, Eleemosynæ, ad gloriam Dei Spiritu Christi impellente ex puro corde profectæ sive Sacerdos ille in Templo, conclavi, Musæo, horto, via vel lecto sacrificet. Tales cultores Pater ζητεῖ *quærit* Joh. IV. 23.

§. CXII. At avidus quærit quidem, verum paucos reperit. Annon carnalis Israël tristis hodiernorum Christianorum Typus existit? Quando enim res ejus ad interitum properabant, sacrificaverunt maculata, vitiosa, Deo abominabilia, adeo ut Dominus exer-

exercituum necesse habuerit dicere: *Quando hostiam cæcam adducitis, annon malum est: Et quando adducitis claudam & ægrotam, annon malum est? Offer, quæso, duci tuo* (& vide) *num id benevole accepturus ac faciem tuam suscepturus sit? Adduxistis quoque, quod raptum est, quod claudum & infirmum est.* Malach. I. 8. 13. Sic rebus Christianorum ad finem magis & magis vergentibus, ruentibus, omnia plena sunt sacris male sacris, scelestis. Vel quid communius oblationibus *cæcis* sive nomine Christianis, qui Deum ἐν ἀγνωσίᾳ gravibus erroribus & infidelitate colunt? *Surdis*, qui corde & auribus incircumcisi Evangelium audire recusant? *Nausea laborantibus*, qui ægrotant circa quæstiones & Logomachias gravidas exitiosis effectibus, & fastidiunt sanantes sermones ac doctrinam ad pietatem & pacem. 1. Tim. VI. 3 - 6. 2. Tim. IV. 3. 4. *Obesarum & corruptarum narium*, quibus male olida εὐωδία sunt, ac suavem odorem ex lucro turpi percipiunt. *Callosis*, quorum conscientiæ cauterio resectæ nullam vim verbi, spiritus, castigationum divinarum sentiunt. *Oris impuri, improbi, elinguibus, bilinguibus, linguacibus, labiorum fraudulentorum, blandorum:* Quorum vitia oris, linguæ, labiorum physica, quæ Magistri numerant, longe superant. *Male dentatis & cornutis*, quorum alii famam piorum rodunt, ferarum instar proximum dilacerant, prosternunt, alii vero corticem frangere, cibum spiritualem comminuere aut adversus hostes salutis pugnare nequeunt. *Frontis* perfrictæ, notatæ charactere bestiæ, quibus alia facies pellis, alia pectoris. *Manibus pedibusque truncatis* in operibus & via pacis: Vel prælongarum ferrearum manuum ac pedum circa mala. *Eunuchis* ad progignendum fœtus justitiæ & pietatis. *Impuris* ulcerosis, impetiginosis, leprosis, morbidis non tantum mente, interno fastu corruptis, Hypocritis, sed & aperte malis. *Decrepitis*, qui resipiscentiam ad senectutem studio differunt, florem vitæ mundo, Satanæ, carni, sed fæces ætatis Deo destinant. *Male olentibus*, scandalosis.

§. CXIII. Plures quoque peccant *circa species sacrificiorum.* Infidelitate immemores sunt unici sacrificii piacularis Jesu Christi, vel etiam putant ære aut propriis actionibus aut passionibus peccata suavere redimere. *Holocausta* ex parte tantum Deo consecrant, cor dividendo mundum inter & Deum. *Pacalia* negligunt, temerant im-

pie ac injuste vivendo. *A laudativis*, *votivis*, *voluntariis* vel prorsus abstinent vel eodem ore Deum laudant, ac hominibus maledicunt, vel vitiosa, de quibus supra, vovent, quum votiva omnia postulentur perfecta. Spiritu spontaneitatis destituti, si quæ sacra externe agunt, coacti ab hominibus, Ecclesia, Magistratu, malo tantum scopo, agunt.

§. CXIV. Maculosæ, vitiosæ sæpissime sunt animalium *figuratæ species*. *Tauri*, *arietes* sive præfecti in utroque statu, ecclesiastico & politico. *Oves* quoque sive gregarii Christiani, adultiores. *Vituli*, *agni*, *hædi*, Juvenes, pueri, nobiles, ignobiles, qui male pascuntur, nutriuntur, unde adeo deformes existunt. *Mares & fœmellæ*. Corruptio utrumque sexum inficit perditque.

§. CXV. Haud raro deficit curata sacrorum δοκιμασία. Absque exploratione plures ex perverso sui amore, præjudiciis corrupti, se suasque actiones, *proba sacra* habent. Cœci quoque dantur Sacerdotes, qui nesciunt integritatem scrutari, maculas non observant aut etiam illas pro perfectione habent. Auditores, quos ob munera, dignitatem, formam externam, cœcum partium studium æstimant, diligunt, metuunt, acceptas Deo victimas falso declarant. Nec cogitant de exactissimo interiorum scrutinio & inquisitione post mortem unice faciunda à Pontifice Jesu Christo Apoc. II. 23. cujus oculis omnia nuda & τετραχηλισμένα *resupinata* intime patentia sunt. Hebr. IV. 12. Unde tandem pudore suffusi cognoscent & experientur, quas habuerant victimas Deo acceptas, rejectaneas & detestabiles esse. Quam serio hic cogitandum: *Non ille, qui se ipsum commendat* aut quem Sacerdos aliquis ex proprio judicio commendat, probum declarat, ἐςὶ δόκιμος *probatus est*, *sed quem Deus commendat*. 2. Cor. XI. 18.

§. CXVI. Nemo nisi cœcus negabit, res Christianismi hodie corruptas esse, sacra, victimas spirituales, quæ integræ postulantur, varie imperfectas, imo vitiatas existere ac Deo offerri. Quale ergo putamus judicium Dei omniscii & sancti de cultu nostro? Si olim respuit sacrificia physice maculata, quanto magis spiritualiter talia. Illa enim ideo tantum aversatus erat Spiritus perfectissimus,

mus, eo quod figuræ fuerint. At hæc in ſe. Quare & hodie graviter Chriſtianos alloquitur. *Quando hoſtiam cœcam ſacrificatis*, אין רע *nonne malum eſt? Et quando adducitis cæcum & ægrotum, nonne malum eſt? Adducitis quoque quod raptum eſt, quod claudum & infirmum. Adducitis inſuper* (tale) *fertum. An ego benevole illud è manibus veſtris ſuſcipiam, ait Jehova?* Minime. *Potius maledictus ſit qui doloſe agit, quique, quum habeat in grege ſuo maſculum eumque vovet & ſacrificat* (tamen) *corruptum Domino.* Tales victimarum reprobarum inſtar paſcentur, donec in peccatis emorientur, comburentur quidem ſed, non in ara Domini, verum in גיהנם γεέννα humabuntur aut potius projicientur. *Tum egredientur* (pii) *& videbunt cadavera virorum, qui perfide* (à Deo) *defecerant, quoniam vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur & erunt faſtidio omni carni.* Jeſ. LXVI. 24.

§. CXVII. Faxit tremendum Numen, ut Leges ſacrificiorum ſpiritualium ſeveras rite penſitemus, fide accipiamus atque corda eorum, qui hactenus doloſe aut maculoſe ſacra fecerunt, ita contundantur, ut *ſpiritum* conſequantur *fractum*, *cor fractum & comminutum*, זבחי אלהים *ſacrificia Dei, quæ non deſpicit*, Pſalm LI. 19. ut remiſſionem peccatorum noſtrorum vere & unice quæramus in אשם *ſacrificio piaculari* Jeſu Chriſto Jeſ. LIII. 10. Rom. VIII. 3. 2. Cor. V. 21. atque gratitudinem teſtaturi magnis & multis commiſerationibus Dei commoti in faciem ejus, coram Templo quaſi, prodeamus ac corpora noſtra ſiſtamus θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ, λογικὴν λατρείαν Rom. XII. 1. ſemper Deo offeramus θυσίαν αἰνέσεως, *hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomen ejus*, vota congrua non ſolum nuncupemus ſed etiam ſolvamus Pſal. CXVI. 18. beneficia aliis, pauperibus maxime, conferamus, nam τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς Hebr. XIII. 15. 16. Ita ſacrificantes ſacra Deo in Jeſu accepta offeremus. 1. Petr. II. 5. miſericordiam & gratiam divinam conſequemur Hebr. IV. 15. לחם אלהים *panis Dei* erimus, de carne filii Dei comedemus, habebimusque in nobis pacem & vitam æternam. Joh. VI. 15.

Jesus Christus, qui Ecclesiam suam dilexit & se ipsum pro illa tradidit, ut eam sanctificaret purgans lavacro aquæ in verbo, sanctificet & nos mundetque ac sistat sibi Ecclesiam non habentem maculam aut sordes, aut tale quid, sed ut simus sancti & inculpati coram illo.

Amen!

* * * * * * *

* * * * * *

* * * * *

* * * *

* * *

* *